DAUIDIS CHYTRAEI ... SAXONIA, AB ANNO CHRISTI 1500. VSQUE...

David Chytraeus



SVPPLEMENTVM
seu
Continuatio
SAXONIÆ
Davidis Chytræi Historici Præstantissimi:

Ex diversis fide-dignis Scriptoribus concinnata: & ab initio Decimisexti huius Seculi, usq; ad præsentem Annum Christi CIↃ IↃC XI. deducta.


CHYTRÆI externos sudoribus apto labores,
Ut meliùs Chronicon continuetur opus.
In tenui labor hic, solùm Lectoris ad usum;
Sit licèt in tenui, non tamen est tenuis.



L I P S I Æ,
Sumtibus HENNINGI GROSII Senioris Bibliop.
Anno M. DC. XI.

INDEX SVPPLEMENTI SAXONIÆ.

Comes



CHRONICI LIBER TRIGESIMVS:


Annum 1599. complectens; Cui accessit à morte Authoris Cl. V. Davidis Chytræi, Continuatio historiarum, usque ad Annum M. DC. XI.

Nobili & Magnifico Domino

IOACHIMO à BASSEVITZ,

PRÆPOSITO ECCLESIÆ CATHEDRALIS SVERINENSIS,

Illustr. Ducis Megapolitani Consiliario, Capitaneo Dobertinensi, Domino Hæreditario in Levetzovv, Patrono colendo.



Ilium DEI, Dominum & Servatorem nostrum Jesum Christum, à cujus Genethlijs annum jubilæum à nato Christo tricesimum tertium exorsi sumus, ardentibus votis precor, ut nos doceat & gubernet, ut reliquum, quod superest vitæ curriculum, piè, feliciter & placidè transigamus. Ego, ut plurimos jam annos solitus sum, ita proximi etiam superioris anni eventuum memorabilium consignationem brevem confeci. Quam tibi, patrono meo veteri, Nobilissimo & Beneficentissimo, adhuc semel ante meum ex hac vita discessum, qui longè abesse non potest, dicare & mittere volui. Quam te, bono & candido animo non gravatè accepturum: & te, amicosq́, cum quibus ista communicabis, sine molestia lecturum non dubito. Benè & feliciter vale. Datum Rostochij, prima die Anni jubilæi 1600.

David Chytræus.

ANNO M. D. XCIX.

ANno M.D.XCIX. in orbe hoc Arctoo, Sueciæ regnum, post Regis Sigismundi superiore autumno ex eo discessum, Carolus Regi patruus, administrabat, & metropoli regni Stocholmiâ & cæteris locis, quæ Regi se dediderant, sine ullâ difficultate receptis: præcipuum regni propugnaculum, Calmariam, quod præsidio militum ac Ducum fortissimorum, Ladislai Bekes Vngari, Ioannis Sparre & aliorum nobilium Suecorum nomine Regis absentis adhuc defendebatur, obsidere cœperat. Cumque comitia, in Transactione Lycopiensi, à Rege indicta, non procederent; Carolus ipse, Ordines regni Ienecopiam, mense Februario convocavit. Vbi cum Ordinibus regni fœdus, ante biennium Arbogæ initum (ut constitutiones Sudercopienses constanter servent: &, si ea de causa oppugnentur, adversus omnes superiores vel inferiores, se mutuò, universi pro singulis & singuli pro universis, fideliter juvent & tueantur: nec alium regni Gubernatorem, absente Rege, quàm Carolum unum & solum, nec quenquam supra eum aut juxta eum, admittant) renovat & confirmat: Legatum etiam ad Regem Sigismundum in Poloniam cum literis Ordines Regni amandant, denuò Regis obedientiam & fidem deferentes, si ut Rex clemens & pacificus, & pater propitius, non cum exercitu hostili, ut superiori anno, sed usitato comitatu aulico, 300. aut 500. hominum, in regnum veniat, & juxta leges patrias regnum gubernet. Quod si militum copias adducet, se non quidem Regi ipsi, sed exercitui ipsius, conjunctis viribus, restituros esse. Petunt igitur, ut Rex Sigismundus ipse in Sueciam redeat, Sin Poloniæ regni negociis impeditus, accedere ipse nequeat, cùm in hoc rerum statu, Suecia Rege in regno præsente, carere non possit: ut filium Uladislaum Regem ipsis mittat, vel fratrem Johannem Regem præficiat, cui omnem obedientiam & officia, Regi debita, se præstituros pollicentur.

Interea dum hæc mandata in Poloniam deferuntur, Carolus, inchoatam Calmariæ obsidionem urget: & totâ hyeme continuat, donec tandem post semestre, præsidiarios, ad extremum durantes, Saguntina fame exhaustos, deditionem facere, permisso victori vitæ ac necis arbitrio, duodecima Maij coëgit, ac deditos milites 250. Polonos ac Ungaros, totidem ferè Germanos, ea vespera, in templum urbis concludi: 48. Suecos in turres arcis conjici, & postridiè, eorum aliquot, strangulari jussit. Germanos & Polonos incolumi vitâ dimisit. Sed Suecos Duces, Johannem Sparre (qui superiori anno cum Rege in potestatem Caroli ad Lyncopiam reductus, nihil se deinceps, contra Carolum, toto vitæ tempore moliturum promiserat) Christophorum & Laurentium Andreæ, & præfectum tormentorum, inspectante & approbante toto Suecorum exercitu capite mulctari mandavit. Quibus astanti Uladislao Beckes, & jam in genua procubituro, vitam Carolus donavit, hac conditione, ut aliquot nobiles Suecos, à Rege ex Suecia abductos, sui permutatione redimi & in Sueciam à Rege dimitti curaret. Germani & Poloni aliquot milites, Duci Carolo se sacramento obligarunt. Cæteri duabus navibus impositi, ad oppositum Germaniæ littus in Pomerania expositi & incolumes dimissi sunt. Machinas bellicas, quibus in obsidione usus erat Dux Carolus Stocholmiam remisit. Ad Calmariæ portum, septem naves bellicas, omni apparatu instructas, in excubiis collocavit.

Reliquam verò classem armatam, ad custodiam regni & intercipiendas hostium naves, passim in toto hoc mari Balthico vagari sinebat, quæ Lubecensibus præcipuè infesta erat. Cæterarum civitatum, VVismariæ, Rostochii, Sundiæ, & totius Pomeraniæ incolis parcebat.

Partà

Partâ verò ad Calmariam victoriâ, Carolus, regni totius comitia Stochol- M. D. XCIX.
miæ mense Julio celebravit, in quibus primùm res ad Calmariam gestas exposuit, quibus occasionem præbuerit Regia Majestas, discedens à promissis & pactis Lyncopiæ initis, de omnibus peregrinarum gentium militibus ex regno dimittendis, sed Calmariam præsidio exterorum militum muniens addito mandato, ne unquam Suecis arcem restituerent: Quod cùm juri regni, & Regis juramento, & paci Lyncopiensi repugnaret, visum esse Ordinibus Jenecopiæ congregatis, ut Dux Carolus vi eam regno rursum adjungeret. Petit igitur, ut omnes regni Ordines id factum communi nomine & consilio susceptum esse fateantur, & pariter defendant. Deinde; securitatem suæ vitæ, insidiis Pontificiis & aliorum apostatarum expositæ, & auxilium in gubernatione majus, sibi præstari Carolus flagitat, si diutiùs hanc molem curarum & laborum pro salute publica sustinere debeat. 3. Cùm Finnones & Livoni aliquot Coronæ Sueciæ subjecti sæpè admoniti nondum se regno univerint, nec nisi illis adjunctis, pax & tranquillitas in regno esse ac retineri possit; deliberare jubet, quâ ratione ad obedientiam Coronæ præstandam Finni reduci queant. 4. Cùm Consiliarii regni Archiepiscopus & cæteri jam captivi, causam omnibus his turbis regni dederint: postulat, ut ordines, sicuti Jenecopiæ promiserint, secundùm leges Suecicas, justum de illis judicium pronunciare & exequi velint. 5. An Lubecenses, qui violatâ pace Stetinensi, hostiliter Suecos & eorum naves, arresto detinuerunt: privilegiis suis, in regno diutiùs frui debeant? 6. Cùm aliquot Coronæ ministri, & cives Sueci & Germani, ex regno sponte cesserint, qui practicis suis hostilibus regno nocere moliuntur, an his reditus ad sua bona permittendus? an eorum uxores & liberi in regno tolerandi? vel, an cum fugitivis illis, juxta Sudercopiense & Arbogense decreta, tanquam contra seditiosos & proditores procedendum sit? Postremò, cùm Rex hactenus ad literas ordinum regni, Jenecopiâ ad se datas, nihil responderit, ut deliberent, quid deinceps à Rege expectandum, & quid in hoc negocio prætereà agendum, an Regi ad obedientiam deinceps præstandam obligati sint?

Cùm autem omnibus his Articulis, Ordines regni, prolixiùs, quàm optabat Carolus, assensissent: inter cætera, publico Ordines decreto regnum Sigismundo abrogant, & fidem ac obedientiam omnem illi deinceps renunciant. Uladislaum tamen filium ipsius, si intra sex menses in regnum Sueciæ veniat, ut in religione & legibus Suecorum educetur, & juxta leges Suecicas regnum administret, se non excludere ostendunt. Cives & alios ex regno profugos Suecos & Germanos, nisi intra certum diem redeant, & se judicio sistant, perpetuò proscriptum iri, & bona eorum fisco inferenda pronunciant. Lubecenses verò, qui Suecorum naves & merces arresto detinuerant, privilegiis suis in regno tantisper privandos, donec legitimo modo cum regno transegissent.

Ante omnia verò amplissimam Finnoniæ provinciam, quæ hactenus cum Rege Sigismundo senserat, Coronæ regni Sueciæ iterum adjungendam censuerunt. Carolus igitur præmissâ in Finnoniam classe, exeunte Augusto, ipse eò trajicit, & copias Finnonum, quarum Axelius Korck Dux erat, sibi occurrentes, cum cohorte prætoria singulari animi ardore aggreditur, ubi periclitantem Carolum, Johannes Back, cum sua acie, se interponens, magno cum sui capitis discrimine suorumque amissione, Finlandorum copias fudit & profligavit. Imperator verò Finlandorum Axelius VViburgum pervenit, ubi suos ad fortunam belli ulteriùs tentandam adhortatur, Carolumq; eò non perventurum suis hominibus persuadere nititur. Carolus verò Duces aliquot in loca mediterranea mittit, ut juramentum subjectionis & fidei solenne à nobilitate & rusticis passim accipiant. Ipse verò summâ celeritate cum maxima parte exercitus Helsingforsam & inde VViburgum oppidum munitissimum ad fines Russiæ circulo Arctico subjectum, contendit. Ubi sine magna difficultate, præsidiariis

M.D.XCIX. ipsis arma adversus Carolum inhibentibus, & socios Germanos trucidantibus, civitate & arce Carolus potitus est.

Tribunum equitum Germanorum, Casparum Tisenhusium, & coadjutorem ejus, Guilhelmum Farensbekium, Georgii fratrem, in arce VViburga cepit, quos adhuc in custodia servat Signifer equitum Germanorum, Joachimus Greve, cùm aliquot equitibus in Russiam aufugit.

Classis sex navium Ducis Caroli, VViburga solvens 23. Octobris Nervam appulit, & novum Capitaneum Petrum Stolpe, nobilem Suecum, cum aliquot centum militibus adduxit, qui à Nervensibus & Rutenis Ivvanogrodensibus, machinarum tonitrubus, & summâ lætitiâ exceptus est.

Dux Carolus, post aliquoties à gubernatore & senatu Revaliensi flagitatam cum Duce Carolo & Corona regni urbis conjunctionem tandem 2. Novembris categoricum responsum postulavit, sed Revalienses, se coronæ Sueciæ membrum mansuros esse professi, nec à juramento fidelitatis, Sueciæ & Poloniæ Regi præstito, deficere posse, responderunt, & in eo perstant.

Dum hæc VVipurgi aguntur, Arvidus Erici, & Johannis Flemmingius, præfecti arcis Aboviensis, deditionem faciunt, Architalasso Jacobo Schelio, permisso Principi Carolo vitæ ac necis arbitrio. Sic Finnonia, etsi quidam viri nobiles earumque matronæ & liberi Revaliam effugerunt, tamen tota in Caroli potestatem tum pervenit.

Qui, partâ hâc victoriâ, occupato VViburgo, Finnoniæ metropoli, comitia Finnonum Aboviæ indicit. Ubi de multis, qui Carolo se hactenus opposuerant, supplicium capitale sumptum est, & Caroli exercitus, passim ad fines Russiæ & Livoniæ in hyberna distributus, & Finnis alendus est impositus: Præfecto toti Finnoniæ Jacobo Schelio Architalasso Carolus, sine amplioribus copiis mense Novembri in Sueciam reversus comitia regni induxit, de quibus deinceps dicemus.

Classis verò regis Sigismundi octo navium, ad Elsburgum, extremum regni Sueciæ, ad mare occidentale portum missa, subsidente in scopulo marino navi prætoria, & cæteris fœdè à Caroli navibus, in portu excubantibus, rejectis & pulsis, re infecta & lacera retrò cedere coacta est. Sic omnia ex voto & animi sententia Carolo succedebant.

Ericus Iohannis

GUSTAVUS Rex sapiens, fortis & felix. natus 1490. Rex electus 1523. obijt 1560.

Ericus XIV. Rex, depositus 1568.

IOANNES Magnus III. Rex Sueciæ, natus 1437. die 21. Decemb.

- *Sigismundus III. natus 1566. 20. Iunij, Rex Poloniæ elect. 1587. Rex Sueciæ coronat. 1594.*
  - *Uladislaus natus 1594.*
- *Ioannes puer decennis*

CAROLUS, Dux Hæreditarius & hoc tempore Gubernator regni Sueciæ, natus 1550. die 4. Octobris

- *Gustavus Adolphus: natus 1594. die 9. Decembris*

In Sa-

In Saxoniæ inferiori finitima diœcesi Monasteriensi, & ad Rhenum, in Clivia, Bergensi Ducatu & Marchia VVestphaliæ, Hispanicus exercitus, cui Franciscus Mendosa, regni Aragoniæ Admirabilis præerat, in hyberna distributus, quietè & tranquillè, totam adhuc hyemem commorabatur; quantumvis frementibus ac indignantibus vicinis Imperii Principibus, qui Francofordiæ ad Mœnum, Erphordiæ, Coloniæ, Confluentiæ, Magdeburgi & in plerisque circulis, conventus agentes lentis deliberationibus & belli ostentatione, tempus terebant. Etsi enim Henricus Julius Dux Brunsuicensis, Brandeburgicus, Ansbacensis, Mauritius Hassiæ Landgravius, Simon Comes Lippiensis, VVestphalici circuli præfectus, copias collegerant: tamen ante Julium vix aperto Marte bellum gerere cœperunt. M. D. XCIX.

Priùs enim plurium circulorum seu provinciarum auxilia, sicut in constitutionibus Imperii de pace publica ac executionis ordine sancitum erat, sibi adjungenda judicabant. Itaque, ut cæteros conventus omittam, CONFLUENTIÆ tandem, Electorum ad Rhenum, Francorum, Rhenensis superioris, VVestphalici; & inferioris Saxoniæ circulorum consiliarii, ab illis evocati, post repetitam priorum conventuum propositionem, de inaudita Hispanorum in VVestphalico præcipuè orbe tyrannide & insolentia reprimenda, & auditos Cæsareæ Majestatis commissarios, & Andreæ Cardinalis Constantiensis, & Alberti Archiducis Austriæ consiliarium Ferdinandum, baronem Madruzium (qui utriusque nomine milites ex solo imperii abductum & damna illata compensatum iri sanctè pollicebatur,) institutâ deliberatione, omnes συμπάθειαν erga vicinos suam, quibus juxta Imperii decreta se auxiliares manus porrigere & Cæs. Majestatis ac imperii existimationem, autoritatem & commoda conservare & tueri debere, & promptos esse, ostenderunt.

Cùm autem Cæs. Majestatis commissariorum oratio eò directa fuisset, ut ordines considerata Cæsaris paternâ sollicitudine & mandatis editis, & secutâ Archiducis Alberti & Cardinalis Andreæ (quibus insciis per Amyralem Aragoniæ hæc scelera perpetrata sint) liberali pollicitatione de copiis ex solo Imperii deducendis & damnis resarciendis: aliquantisper exitum promissionum expectent, arma multis etiam aliis caussis allegatis, paulùm adhuc inhibeant.

Electorum Rhenensium legati plerique, Nihil hoc tempore, contra alterutram partem bellum gerentem, & offensivè tentandum, sed promissionum illarum exitum præstolandum esse censebant, sicut in ipsa executionis constitutione cautum sit, etiam à quinque circulis, ut necesse sit ad comitia vel deputationem Imperii causas deferri, & maturè ac diligenter deliberari debere. Nunc verò magnum utriusque partis belligerantis potentiam, & milites ultra triginta annos in armis exercitatos esse. Regem Hispaniæ pariter bella cum Belgis & aliis exteris regibus gessisse, & damnis alicubi acceptis, nihilominùs iterum emersisse, & viribus majoribus bellum instauràsse.

Quòd si petita Executio suscipienda esset, non solùm pari numero militum opus fore, verùm etiam partes offensas, ad vindictam irritatum & periculum toti Imperio non exiguum accersitum iri. Itaque offensione nostrâ, molem ac sedem belli ex Belgico in solum Imperii attrahendam non videri, præsertim cùm executionis constitutio gradus certos habeat, & media proponat; ne paucæ provinciæ in tantum pelagus discriminum se immergant, sed plurium aliorum circulorum consilio utantur, nec sine Cæsareæ Majestatis, tanquam supremi capitis Imperii consensu, tàm periculosæ opus aleæ suscipiant; Quæ violenta & ancipitia hæc media planè dissuadet: & Archidux Albertus ipse roget, ut fides ipsi tanquam principi Germanico sanguine nato, habeatur, & ad satisfaciendum omnibus damno affectis sese offerat; cujus laudatissimi principis promissis meritò non diffidendum sit, nec celsitud. ipsius causam non servandi pro-

M.D.XCIX. missa præbendam esse, si Belgicas ditiones ipsi accrevisse nostri se dolere ostendant. Cùm igitur tanta hujus causæ magnitudo, tantum periculum sit, ut communi omnium Imperii Ordinum deliberatione indigeat, petendum à Cæsarea Majestate, ut Comitia Imperii maturè indicat. Ita caveri posse, ne his quinque circulis objici aliquando possit, quod non præsciis nec assentientibus cæteris, Imperium gravissimè adfligere, & irrecuperabili damno afficere moliti sint, interea afflictos Imperii ordines, non destitui ac planè deseri debere, sed NOVEM mensium contributione ad Iohannis Baptistæ, Bartholomæi & Martini, hoc anno juvandos esse: non ad offendendum alterutros, sed defendendum ne ulteriùs progrediantur, & recuperanda alia loca, quantum commodè fieri possit. Quòd si ordines aliqui, transitu vel lustratione militū, vel aliis modis detrimenti quid acceperint, nec militibus pro alimentis solverint: contributiones promissas inhibere & solutionem à circulo, cui milites serviunt, exigere poterunt.

Hanc Electorum sententiam, quam moderatissimam & rectissimam esse plerique cordatiores postea judicabant, plerique etiam Francisci Legati suo suffragio magna ex parte comprobârunt.

Cæteri autem Franci, cum Rhenense superiore, VVestphalico, & inferioris Saxoniæ circulo, monuerunt, constitutiones Imperii de pace publica & auxilio adflictis ordinibus ferendo extare, nec AN? sed quomodo executioni illa dari & in actum deduci oporteat, nunc deliberandum esse. Etsi autem Cæs. Majestatis ac Electorum gravissimam sententiam audiverint, tamen satis tempestivè Archiducem & Cardinalem ab Electoribus & Principibus, de suorum militum violentia edoctos esse: & quanquam aliquoties Amyralis, se ex fundis Imperii militem deducturum datis literis & sigillis promiserit, tamen & Electorum ac Principum subditos graviùs interea pressos, oppida & arces machinis ad deditionem coactas, contributiones auctas, & præcipuos pacis publicæ violatores (qui insciis Archiduce & Cardinale tàm tetra scelera patrâsse nunc dicantur) non tantùm impunitos, sed in summis honoribus & officiis militaribus continuatos esse. Nec de restitutione omnium locorum, nec de compensatione damnorum seriò ab illis hactenus agi. Nullam igitur fidem inanibus his promissis toties frustratis habendam, sed, ordinibus, jam 32. annis hoc bello vexatis, & nunc in septimum mensem intolerabili mole oneratis, opem ferri, & patriam carissimam & veterem Germanici nominis gloriam, adversus iniquissimam externorum violentiam defendi oportere, & defendi posse, si ordines singuli, quod suum est, conferant, & fideliter se mutuò juvent. Ignominiam quoq; & periculum haud leve, Cæs. Majestati & toti Imperio allaturum esse, si apud exteros & vicinos intelligatur, eos sua mandata & decreta exequi non solere.

Quare majoris partis suffragiis decretum est, vigore constitutionis Imperii: VVestphalico circulo & aliis ordinibus afflictos triplicata auxilia, ut in Decretis Imperii ordinata sunt, quàm primùm mittenda esse, ut ambæ partes bellatrices, vel alterutra non obediens, ex fundo Imperii suos deducere, damna illata resarcire, ne similia deinceps inferant cavere & libertatem commerciorum non impedire cogantur, & hæc auxilia tantisper, donec ad hunc finem deventum sit, contineant, & contributiones ex singulis circulis tempestivè mittant, unde militibus & per eos subditis debita solvant.

Capitaneum exercitûs generalem constituerunt Simonem comitem Lippiensem VVestphalici orbis, auxilium implorantis militiæ præfectum: contradicentibus quidem inferioris Saxoniæ, Electoris Palatini & Marchionis Ansbacensis Legatis, sed à cæteris circulis, quòd Imperii executionis decreto congrueret, electio confirmata est. Huic Capitaneo supremo cæterorum ordinum præfecti, quando & ubi cum suis copiis se sistere possint, significabunt, & quo loco & modo omnia ad Imperii honorem & afflictorum ordinum salutem instituenda & agenda sint, cum eo deliberabunt & concludent. Militem ita ducent

& lustra-

& lustrabunt, ne aliis Principibus eorumve subditis oneri sint, nec in aliorum ordinum ditionibus, quas transeunt, quidquam in religione aut politicis mutabunt, nec præsidia in oppidis, nec castella munient sine legitimi magistratûs locorum consensu, omnia etiam oppida & loca auxiliis circulorum occupata, prioribus Dominis statim restituent. Roganda etiam Cæsarea Majestas videtur, ut non solùm mandata à se edita, donec obedientia illis plenè præstetur, constanter urgeat; & ad executionem Banni contra inobedientes procedat, verùm etiam Nobilitatem Imperii, immediatè sibi subjectam, ad societatem hujus defensionis invitet. Omnibus etiam reliquis Imperii circulis, decretum hujus conventûs indicandum, ut singuli, cùm requirentur, vigore constitutionum Imperii, quod sui est officii, præstent. Cætera in hoc negocio ad salutem, & levandas adflictorum calamitates pertinentia, Capitanei generalis & cæterorum præfectorum prudentiæ ac fidei committuntur. Senserunt aliqui, etiam si ambæ partes belligerantes, postulatis Imperii satisfecerint, nihilominùs tamen ex cæterorum circulorum contributionibus, præsidia in finibus collocanda esse, quæ deinceps similes impressiones arceant; sed hæc suis superioribus referenda tantùm Legati susceperunt. Omnes tamen ostenderunt, se, si deinceps simili necessitate (quam Deus clementer avertat) oppressis, opus sit similem promptitudinem, quam ipsi jam declarent, in ferendis auxiliis, à cæteris vicissim expectare. Quo casu, juxta constitutiones Imperii, fideliter singuli conjunctis auxiliis se mutuò juvare & tueri debere sancitum est.

Deinde Commissariis Cæs. Majestatis responsum, Legatis autem Andreæ Cardinalis Constantiensis, in consessu consilii quinq; circulorum indicatum est, longè diversa ab iis, quæ tam sanctè & prolixè polliciti essent, ad se deferri. Quòd si facta, promissis congruentia, deducto ex terris Imperii milite, & damnis sarcitis, & præstita mandatis Cæsareis obedientia legitima apparerent; certò se asseverare, nihil in celsitudinis ipsius præjudicium vel detrimentum in hoc Conventu actum aut decretum esse, ac ejusdem argumenti literæ ad Cardinalem Legatis datæ sunt. Postremò, unitarum provinciarum status, de restituendis oppidis Imperii à se occupatis per literas admoniti sunt.

Huic decreto cùm parêre generalis copiarum præfectus, Simon comes Lippiensis studeret: & miles peregrinus spontè jam ex plerisque Imperii oppidis discessisset: tardior ac lentior Ducibus quibusdam, qui Hollandorum partibus addicti, palàm se cum iis conjungere cupiebant, esse visus est, ut postea exponam.

HISPANI verò statim post factum Confluentiæ decretum, Calendis nostri Aprilis ex hybernis VVestphalicis educti, etsi cætera Ducatus Bergensis ac Clevensis oppida, libera iterum relinquebant, tamen ut Rhenum in potestate retinerent, & liberum ac tutum in Geldriam aditum ac receptum haberent: quinq; ad Rhenum Clevensia oppida, Rees, Emmerich, Calcar, Goch, Gennep, præsidiis suis muniunt. ac primò Schenckii, quod vocant, castellum tentant, à quo fœdè repulsi, in eryceto Morsensi exercitum lustrant, & Neomagense præsidium non sine suorum damno provocant. Frustrà igitur Neomagum se obsessuros videntes, ad VVahalim in Bommelvverder initio Maii descendunt. Sed fortissimè defendente Bommeliam Mauritio Nassovio, exercitus Hollandorum & unitarum provinciarum Imperatore, cùm totum mensem Hispanus in ea urbe oppugnanda, irrito tandem eventu consumsisset: initio Junii, solutâ obsidione, integrum adhuc mensem, in ea Insula Rossumi desedit, unde cum Trelam munitissimum Geldriæ oppidum petiturus, & ad Heroërden pagum, VVahalim transiturus existimaretur: Mauritius opposito Castello, mediæ lunæ figura, præsidio fortissimorum militum munito, institutum iter, non sine Hispanorum clade impedivit, nec quidquam hac æstate, Hispani vel Hollandi in ea insula memorabile prætereà gesserunt, nisi quòd castra castris opposita, & aggeribus ac fossis munita, utrinq; sua defendere, ac hostem, ne latiùs grassaretur, arcere conati sunt.

M. D. XCIX. Dum verò Hispanorum exercitus in VVestphalia adhuc hybernaret, ALBERTUS Archidux Austriæ, Belgici gubernator (cujus auspiciis Hispani adversus Hollandos & unitas provincias militabant) totam ferè hyemem, quæ solito asperior eo anno erat in Italia, cum Margarita patruele sua, Philippi III. Hispaniæ regis sponsa, Ferrariæ per Clementem VIII. Pontificem consecrata: & illustrissima illius matre, Caroli Austriaci vidua: & reliquo comitatu desedit. Ineunte Martio demum Genuæ conscensa classe littora Liguriæ Niceam usque prælegens, tandem in Hispania ad portum Rosas, & inde Viveros, circa idus Aprilis Gregoriani, appulit. Hinc celeribus equis Albertus Valentiam ad serenissimum Hispaniæ regem, illiusque sororem Isabellam, sibi desponsam, excurrit. Qua Dominica Palmarum salutata: postridiè Madritum seu Mantuam Carpetanorum ad matrem Imperatricem, Maximiliani II. viduam discessit, Quam die Parasceves invisit, aequinque dies usque ad finem feriarum paschæ apud eam commoratus, Valentiam recurrit.

Interea, regis Philippi sponsa, cùm in portu Viveros aliquot dies quievisset, & Regis nomine per Marchionem de Denia supremum stabuli magistrum, cum illustri nobilium comitatu excepta esset, terrestri itinere, Valentiam versus proficiscens, Monviedro, veteri nomine SAGUNTUM, ab Annibale oppugnatum, quatuor milliaribus Valentiâ distans pervenit, ubi devotione religionis totam ante Pascha hebdomadam, pœnitentiæ destinatam, singulis diebus à Rege per Legatos salutata, permansit 15. Aprilis Sagunto ad Michaëlem de Regibus Monasterium uno miliari Valentiâ dissitum veniens, comitata Duce de Infantasgo, Admyralio Castiliæ, aliisque proceribus, invisit Comitissam & serenissimam Infantem.

17. Aprilis, Dominica Quasimodogeniti, quæ nobis Paschæ festum fuit, ingressus reginæ ex monasterio S. Michaëlis, in urbis templum Cathedrale, & nuptiæ Regis cum Margarita Austriaca, Caroli filia: & Alberti Archiducis, cum ISABELLA clara Eugenia, Philippi II. regis Hispaniæ filia, celebratæ sunt. Reginæ ingredientis pompa usque ad horam primam pomeridianam producta est, qua templum introeunte, eadem hora, Rex etiam serenissima infante, sorore, & Alberto sponso per aliam domum ingreditur.

Vbi Regali solennitate ceremoniis copulæ matrimonialis peractis, quæ tres ferè horas durarunt, longo ordine templo egressi; Regina vecta cisio, assidente illi ad sinistram matre, ad dexteram serenissima infante; Rex equo insidens, & proximè ferè ad ipsius latus Archidux Albertus, tandem per multas portas seu arcus triumphales palatium ingrediuntur. In convivio nuptiali summo loco sedit Reginæ mater, ad illius dextrum latus Regina: ad sinistrum serenissima infans Isabella Reginæ assedit Rex: Infanti Albertus. Mensis remotis choreas duxerunt: Rex bis cum Regina toties Albertus cum infante totâ nocte è machinis bellicis globi ejecti, varii ignes incensi & artificiosè ejaculari, & sequentibus diebus, varia lætitiæ signa, plurima spectacula & festivitates continuatæ sunt. Majo exeunte, Rex Philippus II. cum coniuge Madritum, Albertus verò cum Isabella, Belgici Domina, Barcellonum versus profecti sunt. Vnde Genuam trajecerunt, & aliquot dies Mediolani commorati, Alpes transierunt, & per Basileam, Vesontium Burgundiæ metropolim, Lucelburgum lentis itineribus procedentes, tandem 26. Augusti Bruxellas, solenni pompâ, cœlo admodum pluvio ingressi & summâ omnium ordinum gratulatione & lætitiâ excepti sunt. Inauguratio autem novorum Principum solennis, aliquot adhuc menses dilata est, quòd ordines Brabantiæ & conciliatarum provinciarum requirerent, & novi Principes priùs extraneos milites omnes ex arcibus Antverpiensi & cæteris dimittant; & omnes arcium præfecturas, officia & munera, naturalibus Belgis conferant & lætum introitum, quem vocant: seu privilegia

omnia,

omnia, sanctè & mediante juramento promittunt. Vt cum Hollandis sociis, confœderatis pacem ineant. Inprimis verò ne Belgicæ provinciæ, à corona seu Rege Hispaniæ in feudum tenerentur, quod articulus quidam paternæ donationis innuere videbatur, de quo ordines, cùm Regis donationem non approbarent, ante biennium etiam protestati erant. M. D. XCIX.

De his articulis dum in Brabantia Albertus Archidux & Isabella cum ordinibus tractant: Philippus VVilhelmus Auraniæ Dux ad Galliæ Regem proficiscitur, ut fœdera, amicitiam & pacem cum Philippo II. Hispaniæ Rege initam, confirmari, & intercessione Regis Galliæ de pace cum regina Angliæ instaurandæ, actionem institui curet. Quo nomine Rex Caleti præfectum, statim ad reginam misit. Quæ etsi fraudulentæ actionis de pace, Brugis in Flandria institutæ ab Hispanis, ut incauta & nihil hostile expectans, classe illâ terribili obrueretur, oratione suâ meminit, tamen se à honesta & tuta pace non alienam esse ostendit, si legati ad eam, cum plenis mandatis mittantur.

Exeunte Novembri tandem, Lovanii, & postea Bruxellæ: Idibus Decembris Antverpiæ, & deinceps aliis in urbibus juramentum fidelitatis Albertus & Isabella acceperunt.

Maximilianus I. Imp. obijt 1519.

Philippus I. Rex Hispaniæ, obijt 1506. ante patrem

Carolus V. Imp. sapientiâ, virtute, potentiâ, & felicitate excellens obijt 1558.	*Ferdinandus Imp. obijt 1564.*			
	Maximilianus II. Imp. obijt 1576.	*Ferdinandus Tyrol. ex Philippina VVelseriana*	*Carolus, Gracij in Stiria, obijt 1590.*	
Philippus II. Rex Hispaniæ obijt 1598.				
Philippus III. ex Maximiliani II. filia natus	*Isabella, Alberti sponsa, ex Henrici II. Galliæ regis filia Elisabeth prognata 1566. die Clara*	*Rodolphus Imp.*	*Albertus, olim Card. Archidux Austriæ, Belgici gubernator, sponsus Isabellæ*	*Andreas Cardinalis Constantiensis*	*Margarita sponsa Philippi III.*

Sigismundus Transilvaniæ Princeps, quem velut Heroëm magnanimum de cœlo datum, hactenus admirati fuimus, specimen naturæ variæ & inconstantis, hoc anno singulare edidit. Cùm enim superiore anno, violatis pactis cum Cæsare initis, ex Silesia in Transilvaniam Pegasario cursu clàm rediisset: & se ac populares suos Transilvanos à fide & juramento, Cæsari præstito, liberari, & Varadinum ac vicinas regiones sibi restitui petiisset; cunctante Cæsare, initio anni Legatos ad eum mittit, Episcopum Albæ Juliæ & Stephanum Paschai Cancellarium, qui priora pacta renovari, & ditionem Trebnitz in Moravia, duobus in Silesia Ducatibus Oppaviæ & Ratiboræ addi, & annuos 50000. aureos ex Camera Imp. adjungi, & ordinibus Transilvaniæ, defectionem à fide Cæsari datâ, condonari, & privilegia ac libertates singulorum confirmari impetrabant. Cum his conditionibus, 9. Aprilis, Juliani, Pragâ Legati discedunt.

Interea Sigismundus, domi nova consilia & omninò prioribus repugnantia, cum Polonis aliquot proceribus cudit, qui Turcicum ministrum, quem Ziaus

M.D.XCIX. Ziaus nominant, Constantinopoli: & Andream Bathor patruelem, Episcopum VVarmiensem, ex ultima Borussia evocant, & in obscuro Transylvaniæ oppido, Polonis finitimo, unà cum Legato Turcico, & Sigismundo ac Delectis ordinum Transylvaniæ ab ipso adductis, conveniunt. Vbi ditionem Transylvaniæ, patrueli, Andreæ Bathori tradit, ac Delectos provinciæ statim Cardinali juramentum fidei & subjectionis præstare Sigismundus jubet. Andreas Cardinalis familiarem petiturum salvum conductum Legatis cum Turca transacturis, Constantinopolim cum Polonico mittit, qui ambo clementissimè in porta excepti, vestibus sericis, auroq; intextis donati sunt: additis mandatis, ut intra tres menses, Legatum solennem, cum tributo ad portam mittant.

Deinde rursus spes pacis & reconciliationis cum Cæsare ostenditur, cùm Pontificius nuncius in Transylvaniam, Pegasario cursu profectus, illius animum ad saniora consilia, & retinendam cum Cæsare & reliquo orbe Christiano concordiam flectere conetur. Sed hæc Transylvanica paulò pòst suo loco pertexam.

STEPHANUS BATHORI de Somlio, Palatinus Transylvaniæ, uxor Catharina Telegdia

STEPHANUS Princeps Transylvaniæ 1561. Rex Poloniæ creatus 1576.

CHRISTOPHORUS Princeps Transylvaniæ post fratrem Regem factum 1576.

SIGISMUNDUS Princeps Transylvaniæ fuit

ANDREAS, Isabellæ Reginæ Ungariæ palatij præfectus

STEPHANUS, ad Plescoviam patruo militavit,

Balthasar

ANDREAS Cardinalis Bathoreus, Episcopus VVarmiensis in Borussia. Sigismundo in Transylvania hoc anno successit & excessit.

EXERCITUS verò Cæsareus in Ungaria mense Junio nondum conductus fuit. Descenderunt tamen indies per Danubium Suevicæ & aliarum gentium copiæ, ac ex superiori Saxonia vir fortissimus Johannes Osterhusius mille equites in Pannoniam mense Jul. duxit. Cæteri Saxoniæ Principes, ob intestinum cum Hispanis bellum, nullas in Ungariam copias hoc anno miserunt.

Exeunte Junio, à Strigonio & Comorra perscriptum est, Volones Cæsareanos, quos Heidoccos dicunt, circiter mille ducentos posteaquam per exploratores cognovissent, Actuariis ultra centum, varias merces & commeatum Budensibus, fame & inopiâ laborantibus, adverso Danubio, cùm præsidio quinque millium Turcarum supportari, & navigiis Budæ exoneratis, pontem Pestanum refici debere; se in viam opportunè dedisse, & ad viginti infra Budam milliaria, ex insidiis, Turcarum agmen, navalesque socios improvidos invasisse, partemque eorum maximam occidisse: ac cæteris in fugam actis, commeatum in Danubium effudisse: navigia verò, exportatis inde mercibus, fracta & lacerata in flumen depressisse.

Moscus, Legatum ad Poloniæ Regem mense Aprili miserat, qui cùm VVarsaviæ introductus ad Regem esset, clepsydram, & acinacem, vaginâ media ferè parte eductum, & sclopetos aliquot, ex eorum genere, quos milites humeris gestare solent, importavit; ut ipse dixit, dona à suo Principe Regi missa

ut alii

ut alii sunt interpretati: bella denunciandi signa, quod clepsydra significari videretur, inducias, cum Polono pactas, propediem exituras esse: Acinace verò nudato & sclopetis ostenderetur, Moscum tàm ad pacem, quàm ad bellum paratum esse. M. D. XCIX.

Summa legationis, de judiciis jam exeuntibus fuit, ut prorogarentur: ac ut quadraginta equitum millia per Poloniam ire Rex pateretur: quos equites Cæsari, adversus Christiani nominis hostes, Moscus subsidio missurus esset, additæ huic postulationi etiam conditiones fuerunt, quibus pax inter Polonos & Moscos confirmaretur, & commercia inter gentes has vicinas exercerentur.

Rex iter per Poloniam se Moscis dare posse negavit, & de judiciis & conditionibus pacis deliberationem ad comitia regni rejecit, post quæ, per Legatum Mosco responsurus esset.

Moscus igitur, alienato à Polonis animo, Legatos ad Cæsarem suos, in portu S. Nicolai, Anglicam navim conscendere, & Sueciæ, Norvvegiæ, & Daniæ regnis circumnavigatis, per Albis ostium in Germaniam penetrare voluit. Qui toto trimestri in mari consumpto, Stadæ tandem appulerunt. Inde Hamburgum, Lubecam, Magdeburgum; & in Boëmiam ad Cæsarem pervenerunt. Ubique, Hamburgi præcipuè ac Lubecæ, honorificentissimè excepti, magnificè ac ex magni Principis sui dignitate, sparsa etiam in vulgus pecunia, se gerentes, civitatibus Anseaticis, spem amplissimam Emporii Neogardensis in Moscovia instaurandi faciunt. Ab Imperatore Rudolpho, Pilsenæ, quòd pestis Pragæ grassaretur, die 10. Octobris, auditi sunt, præmissis muneribus, candidis aliquot Falconibus & auro ac gemmis distinctâ equestri clavâ, brachiali poculo: Tympano imagine S. Nicolai, pannis Persicis auro intertextis, Zebellinarum quadragenis quatuor, & vulpium aliquot pellibus nigris.

Munera sequebantur duo Secretarii elevatis in sublime brachiis, binas epistolas, fidei Legato habendæ testes, alteram patris Borosovii, magni Moscoviæ Ducis, alteram filii: serico obvolutas exhibuerunt: posteà Princeps legationis admissus proposuit.

Turcico autem nuncio Poloni Pragam, ut de pace cum Imp. instauranda ageret, pertexere institutum iter, qui se Gabrielem nominabat, & Judæum esse profitebatur, permiserunt. Qui cùm Pragæ appulisset, nec documentum Legationis seu literas fidei testes (quod eas in itinere Polonico sibi à Cosaccis ereptas, trucidatis etiam aliquot comitibus, narraret) exhibere Imperatori potuisset, pro exploratore habitus, & Viennam missus est, ubi in hospitio publico benignè exceptus, noctu per præfectum rerum capitalium ex cubiculo abductus, & manibus pedibusque ferro vinctus, carceri mancipatus est: cùm cæteri comites injectis compedibus operas serviles in fossa urbis obire quotidiè cogerentur.

Summi Tartarorum Cami legato, de pace inter Imp. & Soltanum Turcarum acturo, responsum scribunt: Si Ungariam Turcus Cæsareæ Majestati, ut vero & legitimo Regi & Domino, integram restituat & tradat, benignè responsum & pacem conclusum iri.

Turcus vicissim, ἅμα κηρυκεῖον δορὺ ostendens, in Ungariam, ingentem ad 130. mille exercitum duce Imbraimo Bassa misit, qui initio Septembris Budam appulit, ac Imperatoris sui nomine, Pragam retulit non se metu, aut virium imbecillitate, sed tantùm misericordiâ tot innocentum hominum, quorum sangvis indignè fundatur, pacem petere: ac conditionibus in congressu Legatorum acturum esse. Destinatus igitur, exeunte nostro Septembri, colloquio de pace locus, in Danubii insula infra Strigonium, quò cùm à nostro Imp. Rodolpho Schvvarzenbergius, Palfius, Nadasti ac Episcopus Vaciensis: à Turcico Serdar seu generali exercituum præfecto, Amuratus novus Bassa Budensis, & Tatari

Chanis

M.D XCIX. Chanis locum tenens, & alii venissent: Turci Jaurinum seu RABAM, Strigonium, Fillek, Setschin, & omnia cætera oppida, à nostris intra quinquennium occupata sibi restitui, & quotannis tributum, suo Cæsari Constantinopoli pendi, & oratorem in Porta Turcica assiduum ali petierunt: Nostro Imperatori vicissim Agriam offerentes. Ad extremum verò, cùm Rabam & Agriam se Imperatori relicturos ostendissent, si modò Strigonium redderetur: cùm ne id quidem impetrassent, pace infectâ discessum, & bellum instauratum est, nec tamen quicquam memorabile, quod ego sciam hoc anno perfectum. Nisi quòd Michaël VValachiæ inferioris Princeps, Cæsari Rudolpho fœderatus, insidias vitæ suæ in aula Turcica strui à Cardinale Batthoreo didicisset, exercitum in Transylvaniam duxit, & propè Cibinium commissa 28. Octobris pugna, Cardinalem profligavit, totamque Transylvaniam suâ virtute recuperatam Imperatori Rudolpho restituit. Quam insignem victoriam Imperator Rudolphus ipse Principibus Imperii exeunte Novembri per literas significavit.

Germanorum Principum, quos suprà nominavi, copiæ, quarum Dux Simon Comes Lippiensis, VVestphalici circuli, in quo bellum gerebatur, præfectus erat; ad Rhenum mense Julio tandem procedentes, munitiunculam in insula Rheni contra Reinbergam expugnant, & mox relictâ hostibus Reinberga, Embricam descendunt, ubi introducto præsidio, aliquot hebdomadas otiosi desident, ac inter se dissident, quòd alii palàm se conjungere Hollandis, adversus Hispanos: alii tantùm occupata in solo Imperii oppida, sive ab Hispanis, sive Hollandis tenerentur, recuperare, & neutri se parti addicere cupiebant. Cùm igitur Ducis Brunsuicensis Legatus Philippus ab Hoenloh, Hollandis olim militans, & alii, Duces ac Præfecti, cum Mauritio Comite Nassovio, adjunctis aliquot ordinum deputatis, collocuti essent, & oppida aliquot Cliviæ ab iis detenta recepissent, cæteri verò Principes & civitates Belgis seu Hispanicæ ditioni proximæ, Neutrales manere vellent; Colonienses, Leodii, Juliacenses, Aquisgran. Trevir. se ab illis sejunxerunt, ac Juliacenses soli, ex decretis conventus Confluentiæ factis, quibus leges fœderis & belligerendi præscriptæ erant, aliquot articulos à Germanis violatos esse querebantur. Ideoque, ad sumptus belli contribuere ampliùs recusarunt.

Tandem propiùs ad oppidum Rees, quod Hispanico virorum fortium præsidio tenebatur, accedunt, & machinis oppugnare incipiunt. Sed initio Septembris, die nebuloso in Hessos negligentiùs excubantes, impressione factâ, multos trucidant, unde trepidatio in toto exercitu jam antè discordi, orta, occasio discedendi ab obsidione, & prorsus dissipandi copias Germanicas præbuit, cùm quidem passim in oppidis & pagis, quos anteà transierant, plures & graviores querelæ, de militum Germanorum ferocia, injuriis & rapinis, quàm de Hispanis ipsis passim exaudirentur: Adeò virtus & disciplina militaris antiqua apud Germanos exolevit, de quo plura verba non facienda sunt, κακῶν γὰρ ἔργων, οὐκ ἔπεστιν καλά.

Calendis Martii, Ezardus, Orientalis Frisiæ Comes, post insuaves & turbulentas cum subditis suis ac civitate Emdensi, multorum annorum controversias, tandem in portum tranquillitatis & quietis, ex his terris evocatus, pervenit, relictis quinque filiis, Ennone, Gustavo, Joanne, Christophoro & Carolo, ex quibus gubernationem patriæ, Enno primogenitus hactenus Esenæ Dominus, suscepit, qui agitatas inter patrem & provinciales ac Embdanam præcipuè urbem disceptationes & lites ex æquo & bono, cedens aliquid de suo & majorum jure & possessione, componi passus est, recepta Transactione DELFZILENSE, Cæsaris Rudolphi autoritate ante quadriennium confirmata, & judicio provinciali constituto, in quo causæ subditorum inter se mutuò & cum Comite cognitæ, deciderentur: & Consistorio sacro, cui Embdenses & reliqui

Con-

Comitatus miniſtri aliquot præſidentes, eccleſiaſticas & matrimoniorum controverſias dijudicarent. Adfuerunt autem Ennoni & fratribus, in hac actione, Johannes Fridericus Archiepiſ. Bremenſis, Adolphi Holſatiæ Ducis filius (cujus ſoror Ennoni nupta erat) & Chriſtina, Adolphi Holſatiæ Ducis vidua, Ennonis ſoror, pax Embdæ, exeunte Sept. lætitiâ & gratulatione ſummâ promulgata eſt. M.D.XCIX.

PAX RELIGIONIS GALLICA, Edicto Henrici Quarti Galliæ & Navarræ Regis, menſe Februario Lutetiæ promulgata eſt, & 29. articulis comprehenſa. Quibus præcedentis edicta de libertate religionis explicat, interpretatur & moderatur. Primùm ἀμνηστίαν omnium præteritarum offenſionum, exceſſuum & malorum ſancit, & injurias, exprobrationes ac vindictam prohibet. Deinde Catholicam Romanam religionem ubique in regno inſtaurat, & eccleſiaſticos ἱερεῖς καὶ ἀσύλους declarat & agros, decimas, ædificia, & templa reſtituit, in quibus reformatis religionem ſuam exercere omninò prohibetur. Quæ reformati ſolo eccleſiaſtico inædificârunt, eccleſiaſtici ement, vel juſtum pretium ſibi pro fundo ſolvi patientur. Quæ verò in munitiones urbium vel arcium ceſſerunt, ſine juſſu Regis nec repeti nec deſtrui poterunt.

Reformatis libertatem conſcientiæ abſq; ulla inquiſitione vel moleſtia in toto regno Rex concedit. Liberum etiam reformat exercitium è religionis Dynaſtis & Nobilibus, qui plenum feudum cum jure gladii poſſident, publicè: cæteris nobilibus jus gladii non habentibus tantùm pro familia propria permittit, & ubicunque illud in regno annis 1596. & 97. fuit, & ubicunque vigore edicti pacis annis 1577. reſtitui debuerat, clementer relinquit & inſtaurat, reſervatis tamen tranſactionibus privatim cum Principibus Catholicis & urbibus ac regulis anteà factis. In aula regia, & Lutetiæ, ac intra quinque milliaria in circuitu, reformatis exercitio publico interdicit, ita tamen, ut conſcientiæ libertatem ſine ulla moleſtia retineant. In exercitu ſolis præfectis militiæ, ejuſdem religionis, at extra locum hoſpitii regii tolerat.

Miniſtros eccleſiæ, lectores, & alios concionatores jubet à ſeditioſis ſermonibus abſtinere, eaque ſolum docere, quæ ad alendam pietatem, timorem DEI, fidem ac obedientiam erga DEUM & magiſtratus, in animis auditorum ædificandam, & ſtabiliendam pacem & tranquillitatem publicam, à Rege decretam, conducunt. Reformatis à juramentis, promiſſionibus & abjurationibus religionis anteà factis, abſolvit. Diebus feſtis ab Eccleſia Romana cultis, reformatos etiam laboribus ruſticis; negatione & artibus machinicis, quæ extra ædes audiantur, exercendis, abſtinere jubet libros reformatæ religionis nec imprimi, nec publicè vendi liceat, niſi iis locis, ubi exercitium permittitur. Famoſi verò libelli ubique prohibentur.

In Academiis, Collegiis, Scholis, Xenodochiis, hoſpitalibus & publicis eleēmoſynis, ſine reſpectu religionis, quo ſuis admittit, ſine ullis ceremoniis ſuæ religioni contrariis, modò ordinarium pro introitu ſolvant, & juramenta DEO tantùm, non ſanctis præſtent. In contrahendis matrimoniis, gradus conſanguinitatis & affinitatis ab Eccleſia Romana ſtatutos obſervari: & decimas eccleſiaſticas Romanis debitas ſolvere vel redimere præcipit cœmiteria reformatis gratuitò aſſignat. Exhæredationes verò religionis causâ factas, omnes irritas pronunciat. Admittuntur etiam reformati & rehabilitantur (ut eorum verbo utar) ad dignitates, officia & munera publica, tàm in Parlamentorum curiis, quàm alibi, ſi juramentum de functionibus publicis fideliter obeundis præſtent. Articulo 30. & 27. ſequentibus, de juſtitiæ adminiſtratione æquabili inter utriuſque religionis homines, in Parlamentis & alibi exercenda, prolixè diſſeritur, & in Parlamento Pariſienſi & aliis, Cameræ edicti eriguntur, in quibus, judices è reformatis recepti, in cauſis, ubi reformati ſunt partes litigantium, judicant. Omnia verò arreſta, ſententiæ, proceſſus, alienationes, venditiones, decreta & executiones contra reformatos, tàm vivos quàm mortuos, poſt Henrici II.

M.D.XCIX. Regis obitum,causa religionis & tumultuū prætextu factæ abolentur, unà cum insignibus, notis, & memoriis dictarum executionum & diffamationum,ipsiq; damnati vel illorum hæredes in bona confiscata restituuntur. Similiter eos, qui bellum gesserunt, vel absentes fuerunt, ob religionem durantibus tumultibus condemnari : eorumque liberos Rex in integrum restituit. Omnes etiam exules ob religionem vel extra regnum natos, veros & nativos Francos & regnicolas declarat. Omnibus provinciis, urbibus, & aliis locis, sua privilegia, immunitates & jura, quæ habuerunt ante cœptos tumultus, mense Martio anni 1585. & præcedentibus,reddit. Omnes captivi ob religionem & relegati ad ergastula nautica solventur, nec in publicis oneribus & contributionibus reformati, graviùs quàm cæteri subditi prementur. De pecunia regia vel ex aliis ærariis publicis urbium & locorum, quicquid altera partium durantibus tumultibus recepit, de iis planè quieta redditur, & ab omnibus armorum motibus, rapinis, demolitionibus arcium, templorum, confœderationibus cum exteris, eorumque in regnum introductionibus, post mortem Henrici II. factis, & omnibus conventiculis impositis exactionibus, destitutis administratoribus absolvuntur. Rationes etiam acceptorum & expensorum apud reformatos redditæ,probantur,nisi falsas apochas eos habere constet. Renunciabant autem posthac reformati omnibus fœderibus & practicis, intra & extra regnum, in fraudem hujus edicti institutis, nec militem citra Regis voluntatem & mandatum conscribent. Omnes prædæ mari vel terra in bello captæ & judicio Admiralis adjudicatæ,relinquuntur iis,qui possident. Quæ verò contra jus & disciplinam belli,privato furore ablata vel abrepta sunt,propriâ authoritate collecta vel exacta, juridicè repeti poterunt. Mœnia urbium seu locorum destructa consensu regio instaurare licet. In summa, omnes reformati ad omnia sua bona, jura, famam & actiones redibunt, & omnia præcedentia edicta, jussa, rescripta, articuli, declarationes, interpretationes, arresta & registrata,in negotio religionis,præsenti edicto adversantia, abolentur. Quòd se observaturos esse omnes præfecti,gubernatores,delegati, justiciæ præsides & cæteri publica officia gerentes, jurabunt. Datum apud Nannetes, mense Aprili, Anno 1598. in curia verò Parlamenti Parisiensis promulgatum, 25. Februarii, Anno 1599.

Epistola CASPARI HORVVAT *ad Poloniæ Regem, de Cardinalis* ANDREAE BATHOREI *clade in Transsylvania accepta die Simonis & Judæ.*

SAcra ac serenissima Regia Majestas, Dn. Domine clementissime. Mandaverat mihi Majestas vestra, ut si quidpiam certi, de illustriss. Domino Cardinale & præsenti Transsylvaniæ statu acciperem,id Majestati vestræ confestim perscriberem. Itaque status rerum illic gestarum, in quantum in earum cognitionem pervenire potui, hic est. Valachiæ Transalpinæ Palatinus, maximo exercitu in Transsylvaniam repentè ingressus cùm fuisset, ferroque obvia quæq; vastaret, ac cædem pariter faceret horribilem, quoad copiæ Illustriss. Cardinalis confluerent, hostiq; occurrerent, accidit, ut Corona (vulgò Brasso) civitas ampla, item Fogaros arx, ipsi sese dederent : unde Michaeli Albam Juliam versus celeriter profecto, sexto citra Fogarisinum miliari, Illustrissimus Cardinalis ad Cibinium, inter Saxones civitatem amplissimam, cum copiis, quas temporis angustiæ permiserant congeri, hostibus occurrit, cumq; non longiùs, quàm mediū jam milliare à se invicem abessent, obsides sibi mutuò miserunt. Ad hæc Cardinalis Illustriss. Dominum Maloaspinam ad Palatinū miserat, ut ex eo, quidnam vellet, intelligeret ; Palatinus re ad diem dilata, spem aliquam tractandi, & suæ voluntatis declarandi præbuit. Interea temporis facto impetu, exercitum Transsylvanium, qui aderat, fudit. Ubinam locorum ipse Illustriss. Cardinalis sit, rescire adhuc nequeo hoc tamen pro certo intelligo, illum ex loco prælii, salvum

abusse,

abiisse,& certis quibusdam circumstantiis ductus, credo etiam ipsum servatum; ex via verò, quam ingressus fuerat, conjicio, per Moldaviam transitum facere. Dominum Stephanum Bathori, Joannem Offin, Stephanum Czaky, Ladislaum Gyrelaffi, Joannem Szinpalii, nonnullosque alios ex primariis nobilibus conglobatos, in Poloniam versus iter facere rumor est, quo pacto iter illis plenum insidiis succedat, nescio. Quos in prælio desideratos intelligo; hi sunt; Stephanus Godonii, Stephanus Tholdi, Consiliarii, Moyses Zekel, cujus egregia opera, D. Rex Stephanus in omnibus bellis usus est, Petrus Gitzii, olim Joannis Gitzii Gubernatoris Fransiæ frater. Commissum est prælium, die festo SS. Simonis & Judæ. M D. XCIX.

Habeo hæc ab eo, qui pridiè conflictus vesperi, ex castris Domini Cardinalis exiverat, quæ idem diebus postea subsequentibus, ex diversis fugientibus, uno eodemq; tenore intellexit: qui in Hungariam properans, Stephanum Botzkay aliquot cataphractorum millia, & exercitum Hungaricum in Fransiam properè ducentem, obvium habuit, qui sanè, nec dum scimus, quali nam sint usi ingressu, cùm Illustrissimus Cardinalis partem copiarum, ad arcendum exercitum, si quis ex Hungaria irrumpere vellet, intra fines collocatam habuerit. Quòd si his vel plura, vel certiora intellexero, ea ad Majestatem vestram sine mora perscribam. Quod reliquum autem est, Majestatem vestram felicissimè valere & florere desidero, eidemque servitia mea humilima supplex defero. Datum Bochiniæ 10. Novemb. 1599.

Regiomonte in Borussia, civis pius, prudens, justus, & in omni officio diligens, MARCUS LANGERFELD, cùm triginta annos Reipublicæ patriæ in administrandis judiciis serviisset: initio hujus anni die 11. Januarii vitam in his terris suam placido & beato exitu conclusit: relicto filio GEORGIO, qui peragratis in juventute præcipuis Europæ Academiis & Provinciis, in hac etiam littoris Balthici Sarepta mecum olim familiariter vixit, cujus amicitiæ veteri tribuo, ut partem Genealogiæ ipsius hoc loco asscribam. Is nunc patris officium in Republica veteris urbis Regiomontanæ administrat.

MARCUS LANGERFELD.

PETRUS Senator & Judex veteris urbis Regiomontanæ

Hieronymus Senator Elbingensis obijt 1577.	*Petrus civis Regiom.*	*Adrian præfectus templi*	*MARCUS nascitur 1536. obijt 1599.*

GEORGIUS Assessor Scabinorum.	*Tobias adhuc in Academijs studiorum causa vivit.*

Dum Cardinalis Andreas Bathori Episcopus VVarmiensis in Borussia, traditam sibi à patruele Sigismundo Transylvaniam tenuit, Sigismundus prior Transylvaniæ Princeps, octo illis mensibus in Episcopatu VVarmiensi ferè commoratus est, & subinde, mutato habitu in vicinas urbes, Dantiscum & alias evagatus. Nuncio autem hujus cladis accepto, clam inde discedit.

Finis Saxoniæ Davidis Chytræi.

M.DC.

CONTINVATIO SAXONIÆ PRÆSTANTISSIMI THEOLOGI ET HISTORICI DAVIDIS CHYTRÆI.

Ex diversis fide-dignis scriptoribus concinnata: & ab initio decimi sexti hujus seculi, usque ad præsentem annum M. DC. XI. deducta.

ANNO M. D. XCIX.

AD principium novi anni millesimi sexcentesimi, qui Iubilæus fuit, Romæ Clemens VIII. Pontifex Maximus sellâ, ob podagræ dolores, in porticum Basilicæ D. Petri delatus auream, uti vocant, portam aperit, tantâ hominum, qui eò ex omnibus nationibus confluxerant, multitudine, quantam vix quisquam Romæ antè visam meminerat; adeò ut Helvetii, Pontificii satellites, per confertam turbam viam ægrè facere possent. Nec verò iis tantùm diebus, verùm etiam toto anno, tam frequens fuit Romæ eorum, qui peregrè, religionis causâ, è remotissimis quoque terræ partibus quotidiè adventabant, numerus, ut vix tecta ipsa hominum multitudini capiendæ sufficerent. Multa millia Pontificis liberalitate quotidiè alebantur, quibus multi è Romana nobilitate præcipuè ministrabant.

Hyems fuit hoc anno rigidissima, adeò ut pleraque flumina glacie starent concreta, nec hominibus tantùm, verùm etiam plaustris essent pervia. Hac usus occasione Ludovicus Nassovius, Ordinibus militans, Vachtendoncum, Geldriæ oppidum, suis per fossam glacie stantem immissis, capit; Præfectus, qui in arce erat, quum aliquamdiu se cum paucis, quos circa se habebat, defendisset, & hostes per fossam undique cerneret irruentes; accepto vulnere, se arcemque dedere fuit coactus: quum, ut & oppidum, Ordines præsidio & opere mirum in modum posteà communiverunt.

Multis iisque maximis difficultatibus Albertus Archidux totâ hac hyeme conflictatus fuit. Hac enim hostis urgebat vigilantissimus, & magna agitans animo: illac milites, ob non soluta stipendia tumultuantes, imperium detrectabant: agricolæ & cives à militibus miserè divexati, luctu & querelis omnia complebant. Manus militum non exigua Geldricis oppidis exclusa, Aumontium, Leodiensis ditionis vicum occupavit, & operibus muniit: unde quotidiè excurrentes, vicina loca omnia sibi tributaria fecerunt. Dum hi placantur; præsidiarii ad fanum S. Andreæ, in Bommelia insula relicti & ipsi tumultuantur, duces suos & tribunos exigunt potestati prius, velle se nihilominùs, quàm Hispaniarum Regi & Alberto Archiduci, dedissent, fidem conservare, nec aliud quærere, quàm stipendiorum solutionem. Mauritius, nequaquam hanc rei benè gerendæ occasionem amittendum sibi existimans, primo Vere Martii scilicet decimo octavo, Hugâ profectus, Dordracum venit; eodem die commeatus, & milites ducentis navibus impositos, per Mosam adversum subvehi jubet, & ad Crevecoram munimentum vicesimo primo ejusdem mensis exponit; & postridiè, misso præcone, deditionem fieri postulat. Præsidiarii (quatuor signa peditum erant, Valones omnes) rebellionis sibi conscii, & hostium in oppugnando diligentiam conspicati, partim diffidentiâ, partim metu deditionem pacti sunt: & duo quidem signa Ordinibus sacramenta dixerunt; reliqua duo ad suos in Castellum Santandreanum se receperunt. Hoc successu alacrior factus Mauritius, etsi alienâ anni tempestate, Santandreanum obsidere statuit, magnaque diligentiâ, eâ maximè parte, quæ Brabantiam spectat, communitis castris, oppugnandi facit initium.

Cæte-

Cæterùm quum per Vahalim multis cum periculis commeatus subveherentur, quòd præsidiarii è castello vicino prætemavigantes vehementer infestarent: fossam, quâ Vahalis in sinum contra castellum curvatur, duci jubet; quæ inferiùs iterum cum Vahali commissa, militari joco crux S. Andreæ fuit appellata, inde perforatis aggeribus, plana omnia inundata fuêre adeò, ut aqua Sylvam Ducis usque stagnaret. Obseptis omnibus partim diluvio, partim hostili operè viis: Hispani Barlotta, & Ludovico Velasco ductoribus, obsidionem solvere conabantur; sed re infeliciter tentatâ, retrocesserunt. Sed nec Sylvæducenses, ut præsidiariis animum adderent, nec hi, ut locum defenderent, quidquam omninò intentatum relinquebant. Valdè quidem hostis: sed multò magis aquâ eos urgebat, fluminibus hyberna nive supra modum auctis. Quare post propugnacula ceu cuniculi cavernis inclusi latebant, nuditate & algore confecti. Interea MAURITIUS munitiones suas propiùs egerat, & ad assultum se comparabat: ad quem præsidiarii tandem, omni auxiliorum spe, sed & pugnandi voluntate abjectâ, internuncium miserunt, cum his postulatis: Traditurós se castellum, si quinquies centena aureorum millia, quæ ipsis ab Archiduce stipendii nomine deberentur, Ordines numerarent. Oblata ipsis fuerunt centum & viginti quinque millia: quæ summa etsi nimis exigua videbatur, eo tamen, quod præsens erat, uti maluerunt, quàm incerta sequi, præsertim quum apud Archiducem rebellionis rationem reddendam sibi scirent. Et Mauritius, etsi castris suis ab hoste non multùm metuebat; timebat tamen aquarum eluvionem, quæ si paullulum increvissent, periculum erat, ne castra movere, & tormenta aliò transferre cogeretur. His ergò conditionibus octavo Maii facta fuit deditio; 1. Ut ægri & vulnerati, quoad convaluerint, in oppidum aliquod confœderatarum provinciarum reciperentur, iisque rata pars singulis de prædicta argenti summa daretur. 2. Ut viduis ex prædicta summa donum gratuitum tribueretur. 3. Ut omnes, qui Ordinibus confœderatis anteà militârunt, in gratiam reciperentur, nec debiti sui parte fraudarentur. 4. Ut quicunque discedere inde volent, recepto argento, salvus conductus iis præstetur: qui verò manere voluerint, ne deteriori sint quàm cæteri Ordinum milites conditione. 5. Qui Crevecora Santandreanum venerunt, iis æquè aliis satisfieret. 6. Ut nihil eorum, quæ hîc acta sunt, cuiquam exprobretur. 7. Militibus, interveniente Mauritii Principis consensu, fas sit octo è Valonum, & tres è Germanorum numero eligere sibi centuriones. 8. Omnes non milites in locum tutum sine ulla injuria deducantur. 9. Qui sub Ordinibus stipendia facere volent, idem quod cæteri juramentum præstent, &c. Undecimo Maii viritim sua cuique tota pars fuit distributa, scilicet centeni seni floreni: Mauritius, cum magnâ hominum multitudine, qui eò ad spectandum venerant, castellum ingressus, locique situm diligenter est contemplatus. Repertæ ibi sunt machinæ octodecim, sex & nonaginta vasa pulveris, aliquot globorum millia; copiosa omnis generis armatura, frumenti & polentæ magnus numerus. Ita ergò non toto menstruo spacio munimentum naturâ & arte tantùm non expugnabile in eorum, ad quos domandos erat exstructum, concessit potestatem. Sic vos non vobis nidificatis aves.

In Transylvania VValachiæ Princeps Michael bellator fortis, animosus & felix, fide tamen lubricâ & incertâ, à Turcis ad defectionem à Cæsare Rom. incitatur quidem, sed mavult tamen à Cæsare Christiano Transylvaniam sibi hæreditariam tradi. Interim Sigismundus Bathoreus à Polonis & Moldavis adjutus Transylvaniam recuperare nititur. Sed occurrit ei cum exercitu Michaël, & tàm Sigismundum, quàm Jeremiam Moldaviæ Principem prælio memorabili fundit ac cædit. Hi verò redintegrato bello cum Michaële denuò confligunt, & secundò vincuntur atque profligantur. Sic igitur utraque provincia subju-

M.DC. ſubjugata in fidem à Michaële Cæſaris Rom. nomine recipitur. Poſt hanc victoriam in Tranſylvaniam redit Michaël. Moldavus verò novis opibus, copiiſque Polonorum auctus, non priùs quieſcendum ſibi eſſe arbitratur, quàm amiſſa recuperârit. In anguſtias igitur adductus Michaël à Rom. Imp. auxilium petit, fidem & obedientiam omnem ei pollicens. Interim rebus novis ſtudens diffidere à Georgio Baſta Domino in Sult equite aurato,& generali Procapitaneo Cæſaris Rom. in ſuperiore Vngaria incipit, cogiturque adeò Cæſarianus ille præfectus Michaëlem vi invadere & ex provincia pellere. Non multò pòſt à Sigiſmundo quoque & Polonis idem Michaël cæditur. Quanquam hi viciſſim ab eo paulò pòſt clade magnâ affecti ſunt. Rediit nihilominùs Moldavia & VValachia in Polonorum poteſtatem. Michaël verò affectatæ dominationis & uſurpatæ tyrannidis ſuſpicionem delere cupiens, coram ſeſe expurgare Cæſari Rom. Claudiopoli conatur. Sigiſmundus verò Tranſylvaniæ Princeps iterum à proceribus declaratur: & jam ipſi etiam Tranſylvani Cæſarianos in vincula conjecerant. Idcircò Legatis ad Cæſarem miſſis, ea in re ſeſe excuſabant. Michaëlem non parùm ſolicitabat angebatque clades accepta. Augebat quoque dolorem rumor de captivitate uxoris & ſobolis, nec quò confugeret, inveniebat, niſi ad Rom. Cæſarem. Venit itaque Pragam 23. Febr. anno 1601. cum viginti tribus perſonis, ubi à Cæſare acceptus & habitus eſt munificè ac honorificè.

Plurimum negocii exhibuit Rudolpho Cæſari Tranſylvaniæ pacificatio, ob quam ultrò citroque mitti oportuit Legatos, quorum unus & quidem primarius fuit David Vngnadius Baro, qui ad illud uſque tempus, in fide miniſterioq; Cæſaris Rom. conſtanter permanſerat. Et cùm ex Tranſylvanica legatione ad Cæſarem reverteretur, in itinere in morbum incidit,& Calchæ ex peſte mortem obiit, cadaver verò Viennæ humatum eſt. Ante eum vitam depoſuit Nicolaus Palfius, nempe 23. Martii in arce ſua Bibersbergio, qui & ipſe Ducis boni, fortis & vigilantis in bellò Chriſtianorum cum Turcis munera executus eſt, & hoſtibus terrori, Chriſtianis verò ſolatio & emolumento magno fuit.

Erupit maturè hoc anno furor Gallorum ſeu VVallonum, qui Pappæ in præſidiis collocati erant, culpam omnem in retardata ſtipendia conferentes. Itaque factâ conſpiratione de defectione ad Turcos & deditione arcis conſilia nefaria agitabant, nec obſcurè jam cum Turcis, qui Albæ regiæ erant, eas vias perſequebantur, quibus & arcem eis traderent, & viciſſim ab his ſtipendia retardata acciperent. Cæſariani maturè ſatis molitiones eorum ſceleratas odorabantur. Idcircò dimittere & amandare eos cum pace cupiebant, alioque præſidio Pappam munire. Sed illi in ſuſcepta perfidia & pervicacia manebant,& de adventu Schvvartzenbergii Turcos certiores faciebant, quòd capere illum in animo haberent, & in manus eorum tradere. Monebant quoque illos, ut Schvvartzenbergium ipſi in itinere interciperent. Simul in arce præfectos omnes partim expellunt imperiumque ſibi ſumunt, partim vinculis conſtringunt, ædes ſpoliant, & prædam congeſtam Turcis adventuris reſervant. Immò etiam Vexillum Cæſareum Albam regiam mittunt, & datis acceptiſque obſidibus fidem mutuam firmant. Turci contra allaturos ſeſe ad diem 25. Junii ſtipendia promittunt, arcemque occupaturos. Indies invaleſcebat improbitas, & augebatur periculum. Haud igitur cunctandum ratus Schvvartzenbergius cum 2000. viris, equitibus & peditibus omni feſtinatione eò properat. Et cùm duorum miliarium ſpacio abeſſet, 24. equites mittit, qui Gallos ab impio conatu tradendi Turcis Pappam revocent, polliceanturque intra dies paucos ſolutum iri ſtipendia. At hi conviciis multis & acerbis à Gallis repulſi ſunt.

Incidit

Incidit eodem tempore tempestas pluviosa, ut propter exundationem aquarum efficere Schvvartzenbergius nihil posset. Itaque Jaurinum remeavit. Paulò pòst tamen misit Pappam Matthias Cæsaris in hoc bello Legatus Dominum Pezium cum equitibus quadringentis, ut furentes audaciâ & scelus tetrum anhelantes Gallos eloquentiâ suâ reprimeret. Sed is non solùm auditus ab illis non est, sed etiam cum tormentis repulsus. Constabat Gallos ipsos ancipiti contentione distrahi, dum alii proditionem, seu defectionem ad Turcos urgebant, alii reprobabant. Acceperant autem jam tum rebelles isti à Turcis supra 20000. ducatos, reliquam summam Turci ipsi erant allaturi, cùm arcem occuparent. Schvvartzenbergius verò Scharffensteinium cum tribus circiter millibus hominum, cum scalis & petardâ unâ mittit, qui impressione factâ efficere & obtinere nihil potuit. Quin ad 300. Gallos hi ipsi rebelles in molendino extra arcem collocârant, qui appropinquantes VVallones & Hussaros improvisò invaderent, tum displosis etiam ex arce tormentis omnes adire cupientes arcebant. Satis declarabant perfidi Galli, se maximè cupidos esse sanguinis Germanici. Itaque Germanos contra se mitti potissimùm optabant. Erat jam in eum locum adducta res, ut Galli etiam habitum Turcicum gererent, ut pro Turcis veris haberentur. Vngaros verò & Germanos cum uxoribus & liberis pro accepto à Turcis commeatu in eorum manus tradiderunt. Ajunt Turcos ipsos in hoc itinere magis sese præbuisse misericordes erga miseros Christianos, qui adducebantur, quàm immanes illos Gallos. Cùm igitur ad deditionem arcis comparata essent omnia, Cæsariani duces in medium discrimen sese objecerunt, & Schvvartzenbergius quidem ad Albam regiam Tartaros in castris invadere cogitavit: sed hi cognito ejus adventu aufugerunt. Colonicius verò bonam illorum partem fudit. Monuerat Schvvartzenbergium Marotus Pappæ præfectus per epistolam in vinculis scriptam, ut conatibus Gallorum nefariis obviam iret, & vel arcis deditionem flagitaret, vel si id minùs obtineri posset, introitu clandestino eam occuparet. Quod factu faciliùs fore demonstravit, dissentientibus inter se tantopere Gallis ipsis. Appropinquat ergò Schvvartzenbergius cum exercitu 9000 equitum & peditum. Etsi autem Galli crebris excursionibus ex tormentorum displosionibus Cæsarianum militem ab aditu arcis repellebant, vicissim tamen à Cæsarianis ipsi acerrimè oppugnabantur. Et cùm primarium quendam Gallorum Capitaneum Cæsariani cepissent, cutem ei detraxerunt vivo, eamque unà cum capite affixam lanceæ ante arcem statuerunt. Penè victos sese sentiebant Galli, vel certò in discrimine extremo se versari perspiciebant. Itaque à Turcis summis precibus auxilium flagitabant.

Illuxerat jam 26. dies Julii, quo in angustias summas adducti Galli Molendinum etiam amiserant, per quod Turcos adventantes sese intromissuros esse in arcem sperabant. Turcorum verò auxilium aquarum abundantia retardabatur. Interim Cæsariani curâ & operâ omni expugnationem arcis urgebant, constabatque obsessis nihil præter pauculum salis & equos sexaginta superesse, qui jam tum distributi inter eos essent. Nihilominùs cùm veniæ impetrandæ spes omnis præcisa esset, mortem certam oppetere, quàm in hostium potestatem venire malebant. Idcircò ad extrema descendunt, & eruptione factâ de Cæsarianis multos bene potos trucidant. Hic cùm accurreret Schvvartzenbergius, ut aliud præsidium ferret, eheu casus incidit ingentibus lacrymis & gemitibus deplorandus. Globulo enim caput fortissimi & felicissimi ducis Schvvartzenbergii trajectum est, quo statim concidit, & è vita cessit. Hujus cadaver Jaurini honorificè sepultum est. Ajunt perfidos Gallos adeò lætatos esse

M.DC. cognito Schvvartzenbergii interitu, ut mercede magnâ dignum judicârint illum, à quo trajectus esset. Hic fuit finis, hic exitus Ducis excellente animi magnitudine præditi, quem boni omnes certatim amabant, cujus ductum libenter omnes milites sequebantur, hostes verò tanquam fulmen horrebant ac reformidabant.

Quanquam autem inclinata jam res rebellium Gallorum erat; tamen, ut fit, in desperatione vires animi & corporis universas profundebant, & 30. Julii denuò in castra Cæsarianorum irrumpebant, fermè 130. interficiebant, nonnullos etiam capiebant, reliqui fugæ incertæ & periculosæ sese dabant, quorum aliqui etiam timiditatis suæ pœnas dependebant & suspendebantur. Auditæ sunt id temporis voces Gallorum, quibus significabant, se, si commeatu destituerentur, Christianos esse devoraturos, & inprimis Marotum præfectum. Jucundissimum quidem certè erat illis nuncium de Schvvartzenbergii interitu. Hunc enim suis conatibus obsistere maximè intelligebant. Sed exitio tamen illis ipsis hujus Ducis mors erat. Nam & premebantur indies magis, & in locum Schvvartzenbergii succedebat non minùs illustris & heroicus Dux Melchior Rhederus, Baro Silesius, cujus virtus in aliis multis, tum vel maximè in conflictu Christianorum cum Turcis acerrimo ad Sisseckium enituit, cùm Hassan Bassa Bosnensis, fax & tuba belli totius in Colapim fluvium cum flore Turcicæ militiæ adactus est & suffocatus. Deinde in defensione VVaradini, quam illi quasi humeris suis sustinuit, gubernavit, & post DEUM immortalem repulsis Turcis ad exitum salutarem provexit. Hic ergò 8. Augusti Pappam venit, & statim ex homine certo, qui à Gallis aufugerat, cognovit, eos decrevisse arcem deserere & fuga salutem petere. Quod etiam factum est. Nam sequenti die via per piscinam aqua nudatam strata fugere cœperunt. Sed ex fuga retracti penè omnes confossi sunt. Supremus verò Della Mota conscius sibi sceleris maximè nefarii capi prorsus noluit. Itaque trucidatus est, & caput in castra delatum. Inventi sunt in vepribus ducenti, qui tametsi repugnarunt acerrimè, capti tamen in castra abducti sunt. Alio in loco reperti sunt alii ducenti: in arundineto quoque centum & ampliùs cæsi & capti sunt. Quotquot verò superstites in Christianorum manus venêre, hi supplicio exquisito affecti sunt, ita postulantibus Christianis militibus, quibus tantum laboris ac periculi creassent. Hoc modo Christiani, quos furor VVallonum in arce reliquos fecerat, liberati sunt, rebellium verò vix decem evaserunt. Deprehensum est in animo habuisse Gallos hyberno tempore constricto frigore Danubio Jaurinum in Turcorum potestatem redigere. Ita recuperata Pappa & ex crudelissimorum proditorum manibus erepta, novo præsidio Cæsariano munita est.

Confecto jam ætate & corporis morbo Melchiore Rhedero, suffectus est Schvvartzenbergio Dux de Mercurio Gallus, ut Mareschalli munia in bello Turcico obiret. Is in fine Augusti Viennam venit, quo tempore Turcicæ copiæ ad obsidendum Canisium accelerabant. In itinere verò Bobetschum omni opere oppugnabant. Quòd cùm impetum hostilem sustinere non posset, pacti sunt milites, qui in præsidiis erant cum Turcis de incolumitate corpôrum, & 4. Septembris passis signis & assumtis rebus, quas asportare possent, egrediebantur. Ex his tamen præfectum & signiferum Germanorum abduxit Ibraim Bassa, ut eorum consilio & operâ uti in expugnatione Canisii posset. Hæc sive necessaria sive præpropera, deditio movisse dicitur Ibraim Bassam, ut majori spe atque animo inflatus Canisium adoriretur. Interea Canisii comparabantur & instruebantur, quæcunque in tanta angustia temporis conquiri poterant. Summæ rerum præfectus erat Georgius Paradisius, cujus opera jam tum inermis turba mulierum & liberorum amandata erat, & præsidiis necessariis loca arcis passim munita. Erant Bassæ duo in Turcorum exercitu, quorum alter

alter Chraia Vezirius, cum aliquot millibus equitum & peditum 8. Septembris Canisium venit. Hic quicquid obviam sese fert, prosternit, & castra proxime arcem ponit. In arce erant Vngari & Germani non ampliùs octingenti. Forum inprimis, quod à tam paucis militibus defendi non posset, exuritur. 9. Septembris Ibraim Vezirius Bassa cum exercitu centies mille hominum advenit, quòd capti à Cæsarianis juniores Turci duo enunciarunt. Hi incensis undiq; pagis cum Vngaris ex arce prorumpentibus velitati sunt primùm, pòst tormentis arcem verberare cœperunt. In hoc communi & quidem summo periculo jurisjurandi religione sese conjunxerunt & obligârunt in arce collocati Capitanei & milites, non se deserturos eam esse, quoad vitâ & spiritu fruerentur, nec admissuros ullam vocem, quæ contrarium præ se ferret, tum pro ejus incolumitate verbis certis sese devoverunt. Paradisius quoque successores certos nominabat, quorum ductum sequi milites deberent, si ipsi aliquid humanitus accidisset. Hac fide mutuâ confirmati operas & loca sic distribuunt, ut quæ cuique partes tuendæ sint, sciri possit. Hostes verò operibus & munitionibus sese immanem in modum armabant. Accidit sæpiùs, ut excursionibus & præliis levibus vincerentur à Christianis Turci. Semel etiam duo vexilla eis erepta sunt, quorum unum victoriæ vel Mahometi signum appellabatur. Sed cæsi tamen sunt à Christianorum parte non minùs multi, quàm Turcorum, Fossa erat aquis repleta, quæ Turcorum impressionem vehementer retardabat. Hanc igitur virgultis replere summoperè nitebantur. Sæpiùs etiam ab ortu solis ad ejusdem occasum non raró quoque totam noctem tormentis fulminabant. Accidit semel, ut cum virgulta, quibus fossa repleri debebat, clam subtracta essent ex quadam parte à Christianis, Turci vi & impressione ingenti arcem invaderent. Sed cùm transire fossam non possent, multi eorum impulsu suorum ducum occubuerunt. Flagitata est deditio aliquoties à Turcis, affixa telo in arcem emisso charta, sed conatu irrito. Incensus est quâdam incuriâ pulvis tormentarius in arce, cujus impetus multum damni dedit rebus Christianorum maximè necessariis. Convellit enim & labetactavit arcis aliquam partem, & tàm homines quàm commeatum perdidit, ut inquirere posteà in ruderibus cadavera & reparare destructa oportuerit. Nominatim etiam nunciandum curavit Ibraim Bassa Christianis, mox affuturos esse Gallos illos perjuros, qui ex Pappa ad Turcos defecerant, ut plus terroris injicerent Christianis, utpotè quibus ferocitas immanis illorum hominum nota esset. Significavit etiam, se nisi Canisium expugnaret, non minùs vita privatum iri, quàm Bassam, qui Varadinum frustra oppugnarat. Quò autem Turci propiùs arcem attingebant, & tormentis verberabant vehementiùs, eò se milites Christiani firmiùs ad eam tuendam obligabant. M. DC.

Spectaculum erat miserandum, in arce videre alios manu alios pede sauciatos, nonnullos corpore toto disjectos esse. Cùm verò hanc molem laboris & periculi toto mense Septembri pertulissent Christiani, ineunte Octobri Paradisius datis ad Ducem de Mercurio literis, de periculo, quod impenderet arci, admonebat, & præsens auxilium petebat. Eo enim tempore Christianus exercitus ad Muram fluvium duobus miliaribus à Canisio distantem venit, & spem bonam obsessis in arce injecit. Nec citiùs ille venire propter tempestates & aquarum abundantiam potuit. Erant cum Duce de Mercurio Dominus Banus, Comes Serinius, Franciscus de Nadasti, Hardensteinius, Hoffkirchius, Colonicius & complures alii: Advenienti Duci de Mercurio pacem Ibraim Bassa offert, cui si locum ille relinquat, velle se ab oppugnatione arcis desistere pollicetur. Ad quod responsum accepit à Chri-

M.DC. à Christianis, si pacem expeteret, statim solutâ obsidione abscedendum esse. Sin minùs, prælium cruentum sibi paratum esse sciret. Mox Turci arcem acerrimè impugnant, & quidèm tam propè accedunt, ut manibus penè prehendere obsessi & obsidentes sese possint. Non parùm verò erigebat obsessorum animos, quòd audirent sonum & fragorem tormentorum in castris Christianorum, quos ad se tuendos, & sublevandos adesse sciebant. Vident etiam Gallos perfidos in hostium castris operam dare magnam, ut Christianis quàm plurimum detrimenti adferant. 7. Octobris prælium acre Christiani cum Turcis commiserunt, quod non nisi occidente sole diremtum est. Sequentibus diebus continuata est à Turcis verberatio & oppugnatio arcis multò quàm antè vehementiùs, denuóque missus rusticus, qui deditionem flagitaret, sed repulsus est. Dimicatum est extra arcem fortiter aliquoties, & primùm quidem Cæsariani Turcis terrorem non exiguum injecerunt: sed hi opportunitate loci, & hominum multitudine Christianis longè superiores erant. Et cùm comeatûs copiam omnem interciperent Turci, nec ratio mittendi militis & pulveris tormentarii in urbem ulla reperiri posset: navare & efficere Cæsariani nihil ampliùs poterant. Itaque cùm se circumfusis undique Turcis premi viderent, se cedere satius esse arbitrati sunt, quàm in discrimen evidens sese conjicere. Dum hæc inter Christianos & Turcas geruntur, completur arcis fossa injectis lignis, quorum exustio quidem tentatur ab obsessis, sed conatu irrito. Itaque fit, ut siccis pedibus transire hostes possint. Nihilominùs deditio adhuc per Turcam, qui Christianus fuisse perhibebatur, urgetur, sed responsum nullum datur. Quocirca renovatur oppugnatio vehementissimè, & cùm Vngari de defensione arcis longiore quererentur, nec ab ea querela dimoveri possent, sed cum hoste aliquid jam tum tractassent, etiam Germanos commoverunt, ut ad faciendam deditionem consentirent. Itum igitur est in eam sententiam, paciscendum esse cum hoste datis & acceptis obsidibus. Quod factum est 22. Octobris, quo Christiani cum curribus fermè centum Canisio egressi, à Turcis ad Muram fluvium usque deducti sunt, relictis in arce tormentis cum pulvere nitrato & comeatu. Ac Ibraim Bassa quidem traditam sibi à Christianis arcem præsidio amplo & firmo peditum 3000. & equitum 500. muniebat. Paradisius verò accusatus ejus deditionis nomine expurgare quidem sese conatus est, culpam omnem in perfidos milites conferens: sed cùm satis innocentiam suam probare non posse videretur, coram judicio militari capitis condemnatus est, amputatâ priùs dexterâ.

Antequam rerum in Gallia & Belgio hoc anno gestarum narrationem contexam, mirabile facinus, quod Scotus quidam genere nobilis in Regem suum molitus est, commemorabo; literarum è Scotia Latinè scriptarum, & in Germania impressarum, fidem sequutus. Res sic se habet:

Dum Falcolandiæ Scotorum Rex agit, seque quotidiè cervorum venatione exercet (quo exercitii genere eo anni tempore se plurimùm oblectare solet) quinto Augusti, qui in Martis diem incidebat, inter sextam & septimam matutinam, cœli serenitate invitatus, quum jam stabula prætergressus, equum esset conscensurus (venatoribus interim ejus adventum in campis exspectantibus, & aulicis se ad equitandum accingentibus) Alexander Ruvenus Comitis Gouriæ frater germanus arcem ingressus, deque Regis abitu certior factus, cum magnâ celeritate accessit; ubi salutatione satis humili, capite ad Regis genua demisso (qui salutandi modus illi antea prorsus insolens) peracta, apud Regem à comitatu nonnihil seductum, vultu dejecto, & oculis uno obtutu in terram defixis, tale alloquium instituit. Accidit, inquit, ut vespera proximè elapsa, non procul Pertho, ubi in præsentia cum fratre commoror, animi

gratia

gratia prodeambulanti mihi plebejus quidam occurreret: cujus & caput pallio obvolutum animadverti, accedens propiùs, de nomine quidvè negotii solus in loco solitario & avio factitaret, cœpi inquirere. Hîc hominem tanta consternatio invasit, ut nec lingua, nec alia corporis membra suis adessent officiis. Hic gestus augebat suspicionem: itaque dum singula accuratiùs observo aliquid subesse ratus, sinum aliquantò turgidiorem video: inde rejecto pallio, capacem unam, auro ad orificium refertam subaxilla deprehendo. Vt vidi, hominem sic onustum in urbem mecum clanculùm reduxi, ibique vinctum, vase unà relicto, nemine alio facti conscio, conclavi, quo nisi per multas fores, jam à me obseratas, nulli patet aditus, diligenter inclusi & hodiè cum diluculo, ante quartam matutinam, Pertho iter ingressus, quanta potui celeritate, sicut ex officio tenebar, huc ad Celsitud. tuam me contuli. Ideò majorem in modum Majestatem tuam oro, ut quàm primùm omni adhibitâ tum diligentiâ, tum taciturnitate, eò proficisci Celsitudo tua dignetur, ut priùs quàm res fiat palàm, aliquid de ea statuatur. Hic enim protestor sanctèque affirmo, me rem istam nemini mortalium, immò ne fratri quidem, hactenus revelâsse. Ad hæc Rex, quum gratias pro benevolentia egisset, Nulla, inquit, ratione æquum aut honestum censeo, ut hujusmodi negotio me immisceam: quando nullius liberi ac fidelis subditi thesaurus, nisi fortè sub terra repertus (quod in isto secus est) ad Regem possit lege devenire. Cæterùm, inquit Alexander, ille mihi est fassus, eo se fine egressum, ut in terram defoderet: ut plura exquirerentur, nec temporis, nec loci ratio sinebat: Rex, Non parum, inquit, factum ipsum à facti consilio distat: nec perinde est, animum defodiendi habuisse, & defossum invenisse. Nimium, inquit Alexander, in re tanti momenti, tamque utili Celsitudo tua scrupulos movet ejusmodi. Si enim res deferatur, & fratri meo, aliisq; regni proceribus innotescat; tali occasioni minimè postea repetendo possit suboriri. Ex prædictis Rex colligebat, aurum esse peregrinum, & fortè à quibusdam ad novos motus in regno excitandos illatum: quod ipsum anteà factitatum non semel meminerat. Hinc de numismate, & viri illius habitu interrogat. Ille numisma, quantum quidem tunc poterat observare, peregrinum sibi videri: virum, etsi linguâ & habitu indigena videretur, nunquam tamen à se anteà, quantum meminerit, conspectum ajebat. Hinc Regi major suspicio crescebat, aurum illud aliundè à seditiosis, ut eo in factionum capita distributo, pacem publicam faciliùs abrumperent, importatum: virum autem illum Scotum alicundè in eum finem emissum, & ad majorem rei securitatem ita personatum. Proinde è suis quempiam, auctoritate præditum, Alexandro comitem dare constituit, qui nomine Regis magistratui urbis Perthi, hominem illum unà cum thesauro in custodiam recipiendum, examinandum, & ad ulteriorem Regis voluntatem detinendum, manerct. Quibus Alexander vehementer commotus, protestari denuò incipit, si vel Comes, ipsius frater, vel urbis reliquus magistrat9 id resciscerent, fore ut mutilas illius thesauri rationes olim Regi essent reddituri: sanctèq; affirmans, ex amore singulari, & intimo, quo Regiam Majestatem prosequeretur, affectu proficisci, & ipsius Celsitudinem & sibi, & fratri in isto negocio prætulerit: pro quibus officiis hoc saltem petere se, ne eò proficisci dedignaretur, quò primus esset thesauri inspector: quibus peractis, se Regiæ Majestatis arbitrio laborum suorum æstimationem permissurum. Rex & narrationis incredibilitate, & narrantis insolitâ stupiditate non parum perculsus; comitatu interim jam in equis Regis cum nobili illo moram moræq; causam (lusu jam reperto & venatoribus unum Regem in campo exspectantibus) admirante; colloquium tandem abrumpere est coactus. Hic paucis in abitu prolatis, non posse se tum diutiùs commorari, verùm ea de re deliberaturum, & venatione finitâ, certi aliquid desponsurum: simul cum dicto, jam eques ad comita-

M.DC.

M.DC. mitatum se properè contulit. Alexander ægrè ferens, quòd apud Regem pro voto non obtinuisset,ut rectâ Perthum conderet, hæc adjecit non futurum,ut quotidiè venationis talis delectus daretur, qualem ipse jam obtulerat: insuper vereri se, ne protracta hæc deliberandi mora homini jam vincto, aut vociferandi, aut talem strepitum concitandi occasionem præbeat, unde res tota detegatur,& thesaurus periculo exponatur, ad hæc fratrem de se inquisiturum,quando eo insalutato,nec de itinere admonito,manè discesserit: quibus omnibus diligentia Regis facilè occurri posse: præsertim quum ante concionem finitam,cui jam frater cum magistratu & reliqua civitate interesset, res expediri possit. Verùm Rex præterea nihil respondens,in equum insiliens ad suos se convertit. Rege digresso, Alexander ibidem subsistens, è duobus servis, quos in hunc finem frater adjunxerat, ut per illos de rerum eventu certior fieret, alterum Andream Hendersonum nomine, Comitis cubicularium, amandat multis inculcans, ut si fratris honorem periclitari nollet nec sibi,nec equo parceret, quin quantâ posset celeritate ad fratrem profectus,admoneret, sperare se Regi persuasum iri, ut eò, verùm non nisi post tres horas, quòd venationi jam esset intentus, perveniat: hæc addens,Roga fratrem,ut prandium nobis paret,interim Rex collem, qui saltui imminebat, in quo canes venabantur,conscenderat, canibus magna cum alacritate irruentibus,& venatoribus non minori cum voluptate insequentibus, solus Rex, qui aliàs hoc exercitio imprimis capi solebat, cogitabundus & superioris narrationis novitate quasi extra se raptus, re cum nullo adhuc communicata, Ioannem Novisebrum,Chirurgum,fortè fortuna ad equitantem remittit,qui Alexandrum advocaret. Ille intereà servum,ut diximus, ad fratrem ablegârat: quum Rex solum advenisse putaret, & comitem ullum habuisse,ne suspicari quidem posset. Adducto dicebat Rex ,jam re perpensâ, extremâ narrationis parte permotum,venatione peractâ, Perthum rectâ cogitaret: quod & fecit posteà,nam suos aliquot stadiis jam progressos, solis Ioanne Hamiltonio Grangiano uno ex Archippocomis,& Alexandro comitantibus, est sequutus, venationem autem eo die habuerunt talem,qualem se nunquam anteà expertos,& Rex & reliqui sunt professi: à septima enim matutina,ultra undecimam est protracta: quo tempore Alexander Regem semper pene secutus, ad minimam in procinctu remoram continuò Regi in aurem insusurrabat,ut quàm primùm istis fine imposito,Perthum accelararet. Tandem,cervo interfecto, cervas insequi,contra consuetudinem suam, destitit: immò de equo, continuo & longo cursu jam defatigato, non descendit,nec gladio se,totus in cogitationibus illis,accinxit,quin & Alexander seriò rogabat,ne equum recentem (quamvis Regis stabula ne uno quidem stadio inde abessent) exspectaret: cujus importunati Rex obsequutus,eidem calcaribus additis, tantâ festinatione in itinere perrexit,ut equus recens integrum miliare Britannicum coactus sit pleno cursu sequi, antequam Regem assequeretur,nec Lenoxiæ Ducem,Marciæ Comitem,vel alios è comitatu nobiles sese ad viam accingentes exspectavit: tantum discedens admonuit, se Perthum,Gouriæ Comitem ibi conventurum,properare,anteque vesperam reversurum: quibus auditis,maxima pars aulæ,quàm poterat expeditissimè,Falcolandiam, equos mutandi gratiâ,se confert: qui,licèt nullâ morâ interpositâ in viam se rursus dederant, Regem tamen non priùs sunt assequuti,quàm ad quartum à Pertho lapidem est perventum, alii equis prioribus, etsi longè jam cursu lassis & defatigatis, Regem è vestigio sunt sequuti: quorum quidam in medio itinere equos pabulo reficere sunt coacti. Tanta verò in servis Regis, alioqui injussis, festinatio ex suspicione quadam orta est. Nam paulò antè Dominus ab Oliphant facinus quoddam in Augusia perpetrârat; ad quem apprehendendum, motusque ab eo ex-

eo excitatos sedandos, Regem proficisci sunt arbitrati. Alexander ut novos equos Lenoxiæ Duci, Marciæ Comiti, & aliis nonnullis aulicis, adduci videt, obnixè rogat, ut comitatui Rex publicè denunciet, ne quando eâdem vesperâ esset rediturus, cum ulteriùs comitentur: inprimis Lenoxiæ Ducem, & Marciæ Comitem, quò minùs sequantur, inhiberet, sibique tres tantùm quatuorvè ex infimo satellitio adjungeret: fieri enim non posse asserebat, quin si ex nobilitate aliqui adessent, totum negocium malè esset successurum. Hinc Rex non parùm commotus, Lenoxiæ inquit; Duci & Marciæ Comiti in majoris momenti negocio se nolle diffidere, nec videre se, quid impedimenti quisquam nobilis sit is an ignobilis, unus an plures posset afferre. Verùm ita altè postrema illa verba Regis animo insederant, ut ex variis cogitationibus variæ suspiciones subinde orirentur: juvenem tamen à multis annis sibi jam probè cognitum, quique non multò antè in nobilium cameræ numerum recipi petierat quicquam mali machinari, minimè suspicabatur. Ideò nec ulteriùs Regis se cogitationes extendebant, quàm juvenem alioqui ingenuum & magnanimum duriusculè à fratre tractatum, in mentis alienationem incidisse: quod non minùs ex vultu commoto, insolenti adspectu, & continuâ durante venatione, meditatione solitariâ; quàm ex inauditis, à fide alienis narrationibus colligebat. Quare re totâ cum Lenoxiæ Duce communicatâ, seriò rogabat, an juvenis illius (utpote affinis, cujus sororum in uxorem duxerat) ingenium & mores illi essent perspecti, & an unquam delirio, vel animi perturbatione extraordinariâ corripi solitum advertisset: sibi vix sanâ mente eum videri. Interim sedulò Ducem monebat, ne omitteret, quin eò ubi perventum esset, ubi homo ille cum thesauro custodiri dicebatur, rectà sequeretur. Ista Duci vehementer admiranti, prorsus absona & incredibilia visa sunt: interim asserebat, nihil unquam à se in juvene illo observatum, quod vel levissimum mentis alienatæ indicium præ se ferret. Alexander privatum illud cum Duce colloquium observans, & rem ex circumstantiis metiens, Regem accedit, etiam atq; etiam rogans, ne cujusquam fidei negocium istud concrederet, nec ulli, quò esset ipsum ducturus, sequendi potestatem priùs concrederet, quàm Rex solus hominem thesaurumque esset conspicatus. Cui Rex subridens, se non bene in numeranda pecunia versatum; ideóque quempiam adesse oportere, qui partes illas saltem habeat, respondit. Excipit ille, nulli se præterquam soli Regi primò ad thesaurum illum aditum daturum; verùm illo à Rege semel conspecto, postea quoscunque posse advocari. Hic sermo Regi durior visus, suspicationi priori novam addidit; ideò insidias sibi strui penè certò concludebat: verùm tot, tantas, tamque varias suspicationes cogitabundus animo volvebat, ut singulæ singulas velut æstu quodam reciproco obruerent, adeóque nihil certi statuere potuerit. Quare inter spem metumque dubius progreditur, rediturus fortassis, nisi quòd nullius sceleris sibi conscius, nec certo fundamento innixus, à sententia tam subitò discedere turpe ducebat. Quamvis verò Alexander equo planè lasso, & qui reliquos cursu vix poterat æquare, insideret, Regem tamen subinde monebat, ut equo calcaria subderet. Postquam duobus miliaribus à Falcolandia essent progressi, in via substitit, & alterum servum Andream Ruvenum, qui de Regis adventu fratrem admoneret, eadem, quâ ad priorem, usus exhortatione, clanculum præmittit: eoq; præmisso, quum mille passus ab urbe abessent, præcedere se velle dicebat, ut fratrem de Regis adventu præmoneret. Ad fratrem ut ventum est in prandio, quasi talis negocii prorsus ignarum deprehendit: & quamvis per binos à fratre internuncios, Regem adventare probè intellexerat, cuncta tamen ista sibi antè incognita simulabat. Mensis itaq; remotis, confestim domesticis & amicis fortè præsentibus, ut in occursum Regis se accingant, mandat: paulloque post octuaginta circiter comitatus, Regi obviam ad Isthmum processit: Regis verò satellitium tantùm

M.DC.

M.DC. sedecim fuêre,solis gladiis armati.Rex hospitio exceptus,horam integram prandium exspectare cogitur: tarditatem autem & tenuitatem apparatus in inexspectatum Regis adventum Comes rejiciebat. Dum prandium paratur,Rex Alexandrum de tempore locum illum adeundi commodo interrogat:cui ille,quum res in tuto sit,inquit,tempestivè satis & fortè commodiùs à prandio peragi posse: insuper rogabat Regem,ut se relinqueret,ne fortè frater, qui ipsum toto illo die desideràrat, ex clandestinis istiusmodi colloquiis,quod res erat,suspicaretur. Ideò rex adComitem se convertens,variis de rebus sermonē instituit,sed nihil ab illo,quippe aliis cogitationibus intento,ad rem,vel solidè est responsum. Quum Rex jam accubuisset; Comes vultu admodum demisso cogitabundus ad extremitatem mensæ consistens,nunc his,nunc illis domesticis, flexâ cervice aliquid insusurrabat,sæpiùs conclave sicut & ante prandium frequentabat: nec Regem hilariter excipere,nec ullo signo, gratum sibi Regis adventum, declarare conabatur: immò Lenoxiæ Ducem,Marciæ Comitem, & alios nobiles aulicos,mensam Regis circumstantes,antè ad prandium non deduxit, quàm Regi mensæ secundæ apponerentur: quum aliàs post prima fercula nobiles prandium ordiri moris esset,tandem in aula communi prandio excepit,verùm unà,ut patriæ ferebat consuetudo,non accubuit,sed rediens, Regis mensæ,sicut antè,mutus adstitit; Rex hominem diligentiùs observans,familiariùs cum eo cœpit agere,mirari se dicens,tàm frigidè illum hospites suos tractare, quibus ne in prandio quidem adesse dignetur. Regem tandem à mensa surrecturum, reliquis adhuc in aula prandentibus,Alexander in aurem admonet, tempus quidem jam esse, verùm fratris præsentiam obstare; ideóq; cupere, ut frater aliquò ablegetur. Rex igitur accepto poculo,hilari & familiari modo Comitem ita compellat. Etsi, inquit, me minimè latet, te exterarum nationum in hospitibus tractandis morem probè callere; Scotus tamen quum sis,de recepto apud Scotos in hospitibus excipiendis consuetudine,ne domi peregrineris,à me adhuc es admonendus, quando igitur nec mihi propinaris,nec aliis tuis hospitibus in mensâ adesse dignatus sis, in eoq; non parùm in hospitii leges peccaveris: tibi ego propino, idemq; poculum hospitibus tuis offeras,meoq; nomine lautiùs se tractent, jubeas volo. Digresso Comite,Rex per Alexandrum jubet Thomam Areskinum, Equitem,qui unà comitetur,advocari: ille Regem ut pergeret,suosq; ne sequerentur,inhiberet,obsecrans,unum pluresvè, pro Celsitudinis ipsius arbitrio; posteà se adducturum pollicetur. Ita Rex solus cùm eo triclinium ingressus, per aulam illam, in qua sui prandebant,profectus, cochleam quandam ascendit, tandemque per quatuor conclavia,ab Alexandro januas in transitu obserante,& vultu quàm antea hilariori,hæc secum perpetuò dicente, in tuta illum & satis firma custodia detineri,in Musæum quoddam est perductus,ubi hominem non vinctum,sed liberum prorsus,& pugione armatum conspicit. Vt primùm autem Musæum sunt ingressi Alexander occlusa priùs janua, pileóq; in caput superbè injecto, armato pugionem eripiens,& Regis pectori admovens,in hæc verba minitabundus prorumpit: in mea potestate jam quum sis,meo etiam arbitrio necesse habes te subjicere,ideò si vel voculam unam edideris,vel fenestram ullam aperire coneris,præsentem mortem exspectandam tibi puta: ut autem quis tibi thesaurus sit exspectandus intelligas,ita accipe: Mihi dubium non est,quin innocentis mei patris,contra jus fasq; à te trucidati,cæde conscientia tibi jam gravetur: itaq; paternæ necis vindicem filium exspecta; Rex subitam rerum mutationem miratus,inermis (nam præter cornu venatorium, armorum nihil gerebat) inter duos istos proditores, mortem illius machinatos (nam & Alexander stricto pugione, & gladio armatus, & alter, sed tremebundus, & timore totus concussus, ut condemnato, non deputato ad tale facinus patrandum similior videri posset, latus hinc inde claudebat) constitutus; quum aliam evadendi

dendi rationem non videret, eloquentia (quâ aliàs plurimùm pollet, quâque tum inprimis opus erat) rem aggreditur, multisque priùs commemoratis hæc addebat, quàm horrendum facinus contra se innocentem, nec ullius sceleris sibi conscium, intentaret, quòd si, inquit, stat sententia, quod malè excogitâsti, pessimè exsequi: id saltem tecum reputa, inultum abire non posse, nec te impunè tantum scelus laturum: quando mihi à DEO & liberi sint dati, qui cædis paternæ olim memores, hujus facinoris rationem à te suo tempore reposcent, & fideles meique sat scio, amantissimi subditi, qui tam indignam Regis sui mortem impunitam non dimittent: imò mihi crede, si neutrum esset, DEUM vel ipsos lapides in tam nefandum & inauditum facinus armaturum. Ad patris tui mortem quod attinet, DEUS mihi testis est, quàm nullo illius stimulo conscientia mihi pungatur, neque etiam te latére arbitror, me tum temporis adhuc juniorem, sub factionis ejusmodi imperio captivum, quæ & mihi, & regno tibi pro lubitu dominaretur; præterea tibi constat, quicquid ea in re factum est, ex justitiæ legumque moderamine esse decretum. Cæterùm quò mea magis, his appareat innocentia, ipse tuum tibi pectus tange, & judex mihi in hac causa esto, quam bene de te totaque vestra familia ex eo semper sim meritus, ut, qui non tantùm possessiones & dignitates pristinas vobis restituerim, verùm etiam sorores, eas tanquam in sinu fovendo, dilectissimæ meæ conjugis conclavi præficiendo, hactenus educârim. Sed istis sepositis, conscientiæ aculei tibi obversentur, ut qui eandem mecum religionem pro educatione profitearis eandem, inquam, quam hodiè profiteor, semperque à pueritia sum professus: inprimis verò sancti illius & pii DEI servi, Roberti Rolloci monita tibi in memoriam revoca, cujus te olim discipulum es professus; cujus & olim animam, certò mihi crede, te accusaturum istam sævitiam adeò immanem & inhumanam ex ejus disciplina nunquam hausisse. Quod si ad meos revertendi copiam facias; fide regiâ tibi polliceor, me nemini unquam mortalium revelaturum, quid inter nos negocii intercesserit, nec si aliundè detegatur, permissurum, ut quidquam inde vel pœnæ vel periculi tibi creetur. Hæc quidem Rex seriò proponebat, sed ne surdo verba fierent, non parùm verebatur; quippe in vultu crudelitas, in gestu fastus & superbia, nihil quàm præsens exitium pollicebantur: tecto enim capite, omni positâ reverentiâ, aspectu minaci, Regem perorantem intuebatur: tandem verò tantùm effecit Regis pia & modesta oratio, ut primùm quasi consternatus, retecto rursus capite juramentis interpositis, sit protestatus, se Regem salvum & incolumem dimissurum, si nullum se clamorem aut strepitum emissurum polliceretur; seque tantùm Comitem fratrem suum, cum Rege colloquendi ergò introducturum. Verùm, inquit Rex, quid mihi cum Comite negocii? aut quid utilitatis ex mea hac captivitate ad vos pervenire potest? (si quidem ex promissis jam vitæ gratia est facta) cui ille, hoc se tantùm polliceri, salvam ei futuram vitam, modò quietum se ac taciturnum contineret: reliqua fratrem, quem jam accerseret, significaturum: alterum interim affatus: Ego te hîc Regis custodem in meum reditum constituo, tibi igitur unà & illi cave: si quid enim acciderit, id tuo periculo fiet: simul & Regi, æquo illum animo ferre oportere: alium quippe neminem usq; ad suum reditum, habiturum custodem. Eo egresso, Rex hominem interrogat, an ejus occidendi, aut quo alio fine illic esset constitutus, & quantum in isto negocio intelligeret. Ille ad aspectum Regis trepidus, voce prætrepidâ, jurejurando interposito, sibi nihil prorsus ea de re constare, sed invitum eo paullò ante Regis adventum esse pertractum, & foribus occlusis isthic relictum dicebat; quod etiam verisimile ex hominis gestu, præsente Alexandro, videbatur, is enim toto eo tempore, quo cum Rege Alexandro fuerat, nunquam destitit, eum, ne quid gravius contra Regem attentaret, obsecrare. Interea Rex, quia

M.DC. Alexander ante egressum juramento eum obstrinxerat, ne vel vocem ederet, vel fenestram aperiret, hominem rogat, ut fenestram à dexteris recluderet, & si quem è suis conspiceret, isthuc advocaret, cui ille promptè est obsecutus. Rege in isto periculo versante, nec ullo è suis, ubi terrarum esset, conscio, dum à prandio venerunt, ex domesticis quidam Comitem admonet, Regem jam pridem abiisse, & Isthmum jam fortè superâsse, Quod ubi à Comitis aulicis est nunciatum, agmine facto confestim foràs se proripiunt: in transitu autem quidam janitorem rogant, quàm pridem Rex discessisset; quibus janitor constanter adfirmabat, Regem nondum egressum: quem Comes indignabundus intuitus, nequam mendacemque hominem appellabat: interim ad Lenoxiæ Ducem, & Marciæ Comitem conversus, sese jamjam certò, ubinam esset, relaturum ajebat, simul testudinem ascendit, verùm in alium finem, fratrem nempe convenire statuerat, ut ex rei circumstantiis facilè apparebat: eodem enim momento frater, Rege in Musæo relicto, magnâ velocitate per gradus descenderat, exiguâ tamen interpositâ morâ, Comes ad Ducem & reliquos, ante fores attonitos, revertitur, Regem per posticum jam pridem egressum afferens, adeòque progressum, ut nisi properent, eum vix essent assequuturi: simul equum adduci jubet, quod ubi acceperunt, similiter uno ore equos poscunt, & Isthmum versus properè contendunt. Dum hæc geruntur, Alexander ad Regem reversus, in modum desperantis, expansis brachiis, omnem vitæ spem sublatam asserebat; nec aliud se videre, quàm quòd Regi jamjam esset moriendum, ideò Periscelidem Regis manibus injiciens, blasphemiis exsecrandis, ligari illum oportere asseverabat. Rex hoc audito, animum colligens, Mentieris, inquit: siquidem liber PRINceps natus, liber etiam moriar. Ast ille Regem metacarpio conatus apprehendere, quò illi manus vinciret, nihil obtinuit: nam Rex illo apprehenso se continuò liberavit, & manu dextrâ gladium extracturum sua ex adverso cohibens, sinistrâ gulam invadit, quod & ille jam Regi fecerat, duobus aut tribus digitis ori Regis ad loquelam clamoremque omnem intercipiendum insertis, ita mutuo amplexu aliquamdiu luctati cum essent: Rex ad fenestram illam jam apertam eum pertraxit; idq; non sine miraculo, quum alioqui viribus Regem longè anteiret, interea (divinâ providentiâ ita moderante) eodem momento famulitium Regis, unà cum Gouriæ Comite sub fenestram transibant. Rex itaq; capite & cubitu dextero per fenestram exserto, se isthic prodi exclamat: cujus vox Lenoxiæ Duci ac Marciæ Comiti audita simul ac cognita, Comite Gouriæ interim admirante, & quid sibi res vellet, quærente, nec Regem à se visum, nec vocem ullam auditam, simulante, omnes uno impetu per januam irruunt: dumq; singuli viam ad Regem proximum quærunt, Lenoxiæ Dux & Marciæ Comes, ad eum aditum, per quem Regem ingressus anteà viderant, se conferunt: Gouriæ verò Comes cum suis longè diversam viam ingreditur, cochleam scilicet privatam, ante eum diem semper occlusam, & tum primùm, ut videbatur, ad facinus illud faciliùs exsequendum patefactam. Interea Rex continuâ luctâ ALEXANDRUM Musæo extraxerat: cujus ostium proximè ingressus, dum aliis intentus nimiùm festinaret, apertum reliquerat, quumque jam magna cum difficultate Alexandri in genua dejecti caput sub axilla comprehendisset, cochleæ foribus ipsum afflixit, & ensem manibus extorquere, eoque ipsum transfigere, transfixumque per gradus dejicere meditabatur: tum Ioannes Ramisæus Eques supervenit; qui Regis clamore audito, quà sibi potissimùm esset eundum dubius, in eandem cochleam, DEO sic dirigente, inciderat: ad cujus summitatem ubi pervenit, cubiculum ingressus, Regem cum Alexandro ut suprà relatum est, colluctantem reperit, confestimque extracto pugione, altero illo se subducente, bis terve confossum per gradus cochleæ præcipitem dedit: qui dejectus à Thoma Areskino & Hugone Heresio, Equitibus, exceptus in gradibus hæc verba

post re-

postrema semianimis proferens, Ego in culpa non eram, extrema est passus. Thomæ Ariskini adventum Gouriæ Comitis congressus retardârat: hunc enim Regis voce perceptâ, intrò se proripientem, manu in gulam injectâ, sub pedes miserat, statim interfectur9, nisi Comitis servi, velut sequestri, se interposuissent, his aliquamdiu impeditus, solus ferè relictus; tandem accedens, ex summa cochleâ Joannis Ramisæi voce ad aures delatâ, in cubiculum contendit Hugone Hercsio, & fratris quodam servo, fortè conspectus, sequi jussis: qui in transitu, ut dictum est, Alexandrum omninò confecerunt, hos tres confestim à tergo Gouriæ Comes est sequutus, qui gladium utrâque manu vibrans, capite galea munito, septem item satellitibus, gladiis instructis stipatus, horrendum jurans, ad unum omnes morte morituros proclamat. Rex Comite conspecto, Alexandri jam mortuo gladium, qui illi dum detruditur, exciderat, inermis quærebat: sed à suis in musæum invitus est retractus, & ostio obserato exitu prohibitum: quem ubi in tuta collocâsset, eum Comite ejusque servis manus conserunt: & post multa vulnera utrimque illata dedit Deus quatuor illis, utcumque armatis, de octo probè instructis victoriam reportare: quæ è Comitis morte initium una & finem habuit. Hoc enim à Ioanne Ramisæo per præcordia transfixo, & sine ulla numinis vel invocatione vel mentione è vita sublato, servi facilè per gradus, multis plagis saucii; sunt detrusi: sicut & prædicti quatuor, non sine sanguine, victoriâ sunt potiti. Dum hæc superiùs peraguntur, Lenoxiæ Dux & Marciæ Comes cum reliquis inferiùs aditum illum, per quem Rex anteà transierat, malleis patefacere nitebantur: sed diu frustrà. Nam ex robore quum esset, sicut & paries totus, ictibus cedebat, ut post dimidiam tandem horam, transitu patefacto, Regem à tam præsenti periculo, longè præter exspectationem, liberatum, Comite proditionis auctore ad pedes mortuo jacente, accesserint, his peractis, Rex in medio suorum, in genua supplex procumbens, Deo pro liberatione tam miraculosa, & victoriâ tam insperata gratias prolixè agebat, sibique pollicebatur, Deum non frustrà se ab imminente isto periculo liberâsse; nec dubitabat, quin idem Deus à tanto malo incolumem servârit, ut qui olim se in majori negocio ad nominis sui gloriam, & populi suæ curæ commissi salutem, esset usurus. Interea famâ per urbem sparsâ, Gouriæ Comitem, urbi præfectum esse interemptum, magni tumultûs causam dedit. Siquidem multitudo ex omnibus urbis angulis concurrens, facinoris ignota, domum undique trium aut quatuor horarum spacio cingebat, donec tandem Rex, per fenestram illos, alloquendo, & manu signa faciendo, tumultum compescuit, & magistratui urbis in conclave ad se vocato, rem totam, ut gesta erat, exposuit; denique ædes & proditorum cadavera, donec quippiam de iis statueretur, illorum custodiæ mandavit: priùs tamen scripta & literas diligenter est scrutatus, si fortè quid posset reperiri, quod ad conjurationem detegendam faceret: sed præter marsupium, magicis characteribus, & vocabulis incantatoriis plenum nihil est inventum; in hoc verisimile est, Comitem non parum fiduciæ collocâsse: nam sine eo nunquam se tutum arbitrabatur, ideòque perpetuò circumgestabat, quin & illud observatum est, quàm diu de collo illi suspensi manebant, vulnera, quibus periit, ne unâ quidem sanguinis guttulam distillâsse; ut primùm dempti fuêre, totum corpus abundanti cruore manâsse. His peragendis dies ad octavam vespertinam est protractus, antequam Rex præ hominum multitudine, undique magno numero confluente, in viam sese rursus dare potuit. Quum verò quatuor millibus passuum Pertho Falcolandiam versus processisset, omnia viarum compita, ex omni hominum genere, equitum peditumque obviam euntium fuêre completa, ut applausus gratulatorii læta conclamatio ultra mille passus exaudiretur. Quæ verò alia lætitiæ & gaudii testimonia subditi per totum regnum ediderint, quantus ex omnibus regni partibus concursus, quanta tormen-

M. DC.

M. DC. tormentorum terrâ marique fulmina, quot pyræ vbique accensæ, quamque frequentes nolarum pulsus, quæ denique preces publicæ privatæque fuerint, fusiùs prosequi, non est hujus loci.

Inter Persas & Turcas jam olim gravissima exstitere dissidia, quæ, ut superioribus quoque annis in cruenta sæpè bella eruperunt. Horum caussa duplex est, & de finibus contentio & religionum vel potiùs superstitionum diversitas quædam. Etsi enim eandem, quam Turcæ profitentur religionem, eamq; quam nefarius Pseudopropheta & impostor Mahumetes commentus est: sectam tamen diversam sequuntur: adeòque in Turcas longè majori quàm ipsos Christianos odio flagrant. Quod quidem insatiabilis etiam regnandi cupiditas Othomanicæ gentis, omniaque ad se rapiendi libido, & accendit vehementiùs, & etiamnum alit. Hujus igitur gentis Rex non ignarus, quantâ contentione inter gloriosissimum Romanum Imperatorem & Turcarum tyrannum de Vngariæ regno jamdiu vario eventu decertaretur, optimum suis rebus tutissimumque duxit arma cum eo conjungere, & fœdus sancire. Ea de caussa legationem splendidam, quæ 4. Novembris Pragam venit, cum triginta viris: quòd reliqui longissimi itineris difficultate ac laboribus in ipsa via essent exstincti. Inter hos primarius fuit Anglus quidam natione, Antonius Sirleus nomine; secundus ab eo Cuscinati Beg primarius aulæ Persicæ Consiliarius, pro more gentis suæ vestitus. Auditâ Regis postulatione, Imperator ad II. Decembris ita respondere jussit: Magnâ se cum voluptate intelligere, quòd potentissimus Persarum Rex non suam tantùm, sed cæterorum etiam Christianorum Principum amicitiam ultrò ambiat, quò faciliùs immanissima Turcarum tyrannis non reprimi tantùm, verùm etiam (DEO bene juvante) tolli omninò tandem queat. Sibi quidem nihil prius atque antiquius fore, quàm ut tam præclaram de se potentissimi Regis voluntatem ac studium pro virili tueatur expectationemque sustineat; tùm eò omnes curas cogitationesque conversurum, ut commune contra communem non Christianorum tantùm, sed omnium etiam nationum hostem ac depopulatorem fœdus ineatur. Multas quidem hactenus à Turcis missas ad se legationes, multos conventus habitos, atque hoc ipso etiam tempore pacis spem ostentari vel potiùs simulari: sibi verò decretum esse non contra vim tantùm, quàm optimè omnia parata habere, verùm etiam insidias cavere, nec passurum, ut coëunte jam ac conspirante secum contra acerbissimum hostem tam valido Principe, per se stetisse videatur, quò minùs Othomanicæ tyrannidis nervi planè succidantur: ut verò ad tantam rem, quæ opus sunt, comparentur, brevi omnium Imperii Principum comitia habiturum, ad magnum Moscoviæ Ducem quoque Legatos missurum, qui ad arma suscipienda & ipsum cohortentur, quod quidem is ultrò facturus videatur, ut quidem nuper è splendida ipsius legatione intellectum sit. His conatibus Georgianorum quoque, qui vocatur, Ducem fortè non defuturum, Persarum Regis maximè auctoritate adductum & ope confisum. Quòd si uterque suis quisque locis Turcicas ditiones incunte vere oppugnet, non dubium esse, quin magna ad victoriam momenta sint consequuturi. Illud denique, quod Persarum Rex Christianis omnibus non modò liberũ commeatum in suo regno, sed libertatem etiam religionis aliasque immunitates prolixè liberaliterque offerat, non solùm Christianis omnibus gratum futurum, sed & eosdem certatim undique invitaturum, ut faciliùs & libentiùs cum Persarum gente se conjungant, commerciaq; exerceant.

Hoc anno 25. Iunii clarissimus vir, D. Davides Chytræus Theologus & Historicus celeberrimus, author hujus operis, quod continuandum suscepimus, vitam cum morte commutavit: cujus honori dandum esse judicamus, ut oratio de ejus vita à nobili & clarissimo viro Dn. Christophoro Sturcio I. V. D. & Historiarum Professore conscripta, hoc loco subjungatur: quæ talis est.

Ora-

Oratio memoriæ Davidis Chytræi habita.


QVàm acerbus nobis sit, fueritque omnibus hujus Academiæ urbisque civibus reverendissimi, clarissimi & excellentissimi viri, D. Davidis Chytræi communis Præceptoris nostri, honoratissimi ex hac vita discessus, non domesticorum modò ejus viduæ liberorum, generi magnifici pro tempore Rectoris IOANNIS FREDERI, & amicorum luctus id ostendit; sed multi etiam ex vobis, concio ornatissima, indubitatis id quibusdam signis amoris, non obscurè, profusis etiam lachrymis demonstrârunt, cùm ejus exuvias more solenni terræ mandaremus. Quis enim, quæso, est tam ἄστοργος, qui patrem non lugeat suum? at multos ille non tam naturâ quàm doctrinâ & pio affectu filios habuit suavissimos. Quis præceptoris sui venerandi memoriam non recolit? summè nisi qui ingratus est. Quis ergò tantum virum ex nostra Academia abreptum non doleret? columna qui fuit hujus gymnasii usque dum florentissimi: præsidium qui fuit Musarum: fulcrum qui fuit pacis & concordiæ publicæ: præceptor denique noster qui fuit communis. Certè meritò lugemus, flemus, mœremus. Abiit à nobis in cœlestem Academiam, qui suis studiis, consiliis, laboribus & operibus elegantissimis hanc nostram Academiam per annos plùs minùs quinquaginta ornavit, decoravit, ampliavit. Abiit ex hoc ergastulo, & à nobis Theologus summus, historicus eximius: Abiit talis vir, qui sua auctoritate unam religionem, unam inter nos amicorum consensionem retinuit. Heu dolor? hem gemitus? ille pater Academiæ? ille, cujus umbra senis plus quàm gladius juvenis valebat: ille, qui hactenus prohibuit, ne qui novi motus fierent, aut in nervum erumperent; effecitque divinâ prosperante gratiâ, ut id firmiter & integrè tuerentur & sequerentur omnes, quod jam antè purum & verbo DEI consentaneum esset demonstratum, nihil morati aliorum vel subtilitates Physicas; vel θρησκείας verbo DEI non comprehensas. Quis ergo id mihi vertet vitio, si exemplum Metelli Macedonici secutus, quod ille dixit de Scipione Affricano, mœsto item ego vultu & confusâ voce è publico suggestu de DAVIDE CHYTRÆO exclamem. Concurrite, concurrite cives Academiæ mœnia nostræ scholæ versa sunt. Non volo malè ominari, nec ea est animi mei inductio: vereor tamen & quidem vehementer, ne ubi senes hi, quos canis capillis adstantes videtis, paulatim à nobis in suam requiem discesserint, novæ rixæ, novi motus, novæ disputationes excitentur & existant, & mutatio quædam periculosa subsequatur. Sed enim DEO ἀλεξικάκῳ hæc cuncta moderanda & disquirenda relinquimus. Magni tamen viri non frustra colligi solent in requiem: à facie malitiæ imminentis id fieri Propheta Isaias testatur c.57. v.1. Id verò non dubito adserere, Rostochium, urbs Musis Gratiisque cara, gravissimas habet profectò causas, ut DEO gratias agat summas, quòd DAVID CHYTRÆUS vir tantus in hac Academia docuit & consenuit. Nam sive publica requiras sive privata opera & emolumenta, utrobiq; reperies maxima, quibus hanc ille urbem & scholam, Musarum sedem, ornavit & beavit cumulatissimè, ac celebriorem fecit apud exteras nationes, quàm hæc urbs anteà fuit unquam, cujus tanta fuit auctoritas, ut unum ejus verbum unusq; nutus sexcentis argumentis & verborũ continuationibus parem fidem meruerit. O mi CHYTRÆE, qualem amicum te amisi; sed hæc rursus cogitatio jucundior me consolatur: O quantum amicum habeo & in æternum habebo? donec sibi suisq; huic universitati & mundo, mihi aliisq; ejus amicis necessarium fuit, moram hic traxit: Dum verò sibi uni expedire magis cœpit, ab hujus mundi malis separari, eripuit illum DEUS, ei scil. consulens non nobis; imò forsan & nobis. *Quis n. sufficit abditas & imperscrutabiles divinæ præscientiæ causas aut exitus contemplari,* dicente Apost. ad Rom. *Sensum Domini quis novit, aut quis consiliarius ejus fuit?* Dicam porrò paucis,

M. DC. quæ εὐφημία D. CHYTRÆI, quævè ejusdem εὐθανασία fuerit, & quomodo cursum vitæ suæ piè, sapienter & feliciter absolverit.

Id constat planè inter omnes, in homine ea potissimùm, quæ sua fuêre propria; non aliena, nec extrinsecus accidentia disquiri debere, nam veram nobilitatem Socrates sciscitanti respondit, esse animæ & corporis bonam temperiem. Stobæ. serm. 84. Ergò nec de generis claritate in tanto viro, suismet virtutibus præclaro solliciti sumus ἀνδραγαθίας, quippe non πατραγαθίας rationem habendam Rex Antigonus admonebat, sed tamen, si quid ad laudem boni viri pertinet parentum dignitas & virtus, optimis eum, & quod præcipuum rei caput est, DEUM timentibus prognatum esse parentibus scimus. Patrem habuit mediocris fortunæ, sed probatæ vitæ magnæque pietatis virum MATTHÆUM CHYTRÆUM, Ecclesiæ DEI pastorem, qui in oppido Greichgææ Menzinga per triginta annos puram Evangelii doctrinam docuit. Matrem habuit Barbaram Neipergensem, honestissimam matronam, Ex his parentibus felici sidere natus est anno Christi 1530. die 25. Febr. in Ducatu VVirtenbergensi in oppido Braenheikmo.

Patri autem sine dubio hoc solenne fuit votum, & hæc unica cura maxima, ut liberi, quos suavissimi conjugii sui pignora sibi DEUS dedisset, quàm fieri posset, optimè & elegantissimè educarentur & instituerentur, hoc est; ut veræ religionis semina imbiberent, & in tales viros evaderent, qui Ecclesiæ ac Reipublicæ magno præsidio & emolumento essent. Nec eum hæc pia vota fefellerunt. Nam ut Ioannes Caselius eleganter in epitaphio memoriæ Matthæi Chytræi conscripto, canit:

Εὖ ἄρα λαμπροτάτην ὅγε σοι παρέδωκεν ἀμοιβὴν
Υἱὰς τῆς πατρικῆς κληρονόμους ἀρετῆς,
Τῶν μὲν Δαβίδης ἕστηκεν ἐν ἴχνεσι πατρός,
Θεσπεσίου θνητοῖς σπέρμα λόγοιο βάλων,

Hoc est: Sic sanè DEUS tibi pulcherrimam pensationem fecit, filios qui dedit hæredes paternæ virtutis: inter quos David in vestigiis patris consistit, qui semen divini verbi inter mortales spargit. Ex ipso DAVIDE CHYTRÆO, piè defuncto in sermonibus (quos familiarissimè sæpe pro sua singulari in me benevolentia mecum communicare solebat) audivi, parentem suum decem liberorum patrem fuisse, sed unum ex filiis plus deinde opulentiæ acquisivisse divinâ benedictione, quam ille habuit, qui tantam aluit familiam. Benedictionem ergò Domini divites facere, hoc planè exemplo docemur, Nec enim divitiæ magnæ, rerumque copia ingens meliores efficit liberos, imò deteriores redduntur homines divitiis pariter ac vitiis: qui commodis anteà fuêre moribus, ut in multis id experientia, vitæ magistra, comprobat, Siquidem nihil difficilius est, quàm æqua commoda mente pati, & rebus omnibus ad nutum fluentibus modum vitæ suæ certum statuere posse. Itaque mediocritas fortunarum multis profuit ad laudem virtutis & eruditionis adipiscendam, ut id ipsum testatur vulgatum sermone proverbium: ἡ πενία ἔλαχε τὰς τέχνας, Paupertas invenit artes.

Prorsus ita evenit in pueris, ut in cæteris rebus omnibus: initio mox indolis bonæ indicia apparent: tum ex corporis lineamentis (ex quibus Lacedæmonii adeò infantes recèns natos dijudicabant, ut quos turpes & facie deformes invenissent, statim neci darent) tum ex aliis signis, quibus natura tacitè de homine loquitur. Itaque cùm in puero DAVIDE CHYTRÆO εὐφυΐα naturalis ingenii ad omnia dexteritas & bonæ indoles esset, mox à patre infans septem annorum in scholam vicini oppidi Gemmingen est deductus, & VVolfgango Busio in disciplinam commendatus, ubi item & Franciscum Irenicum audivit; & adeò feliciter in primis literis discendis profecit; ut æquales omnes ingenii

gloriâ

gloriâ vicerit; & postquam ex oppido Brakenheim patriâ parentis sui stipendio- M.DC.
lum quoddam accepisset, majoris ingenii cultus causâ ad diversas Academias profectus fuerit. Tubingam primùm à patre ductus est, ubi Hieronymum Gerardum, Iohannem Mendlinum & Michaëlem Vaium privatos Præceptores habuit. Nam par erat, plurium labore & curâ illum institui & excitari, in quo tanta vis ingenii & virtutis latebat: & qui multorum utilitati & saluti servire debebat. Et quidem obsequio magis quàm alieno metu eorum disciplinæ se subjecit. Cùm jam satis & bonis literis & eloquentiæ rudimentis instructus esset, & encyclopædiam artium integram percurrisset; nativâ docilitate institutionem præcurrens; nam anima benè nata præceptis obviam se offerens à se ipsa magis quàm à magistris adjuvatur: dignus visus est, qui magisterii honore publico ornaretur, admodum licet juvenis ætate, sed non ingenio nec moribus, quibus præditus erat elegantissimis. Scitum enim est illud Senecæ: quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem, in ea, quæ tradi solent, perveniunt sine longo magisterio, & honesta sunt amplexi, cum primùm audiverunt. Et qui puero ingenium dederat præclarum, is deinde suâ ipsi gratia patronos & adminicula studiorũ dedit, excitatis bonis viris, qui diligentem ejus curam haberent. Duo enim res humanas; unà divinâ providentiâ cuncta moderante: Deus & occasio gubernant; quam offert omnipotens, quoties cuidam benefacere vult. Tubingâ D. CHYTRAEUS VVitebergam; præbente sibi sumptus studiorum nobili viro Petro à Menzingen, Equite aurato, profectus est, ubi per sesquiannum D. MARTINUM Lutherum divinitùs excitatum magnum illum Theologum audivit; PHILIPPO Melanthone etiam familiariùs usus est, ejus domesticus factus. Nec enim opus habuit felix ingenium longâ experientiâ: certò si est bonum & felicitas quædam, jugum adolescentiæ suæ portâsse, hac in parte satis magnam felicitatem DAVID CHYTRAEUS adeptus videtur. Sed talem, quam molliculi quidam scio, manibus pedibusque aversarentur, nec sibi eam contingere optarent; sed malè, qui rerum nondum sunt intelligentes, quos vel hæc præmia movere deberent. non tentatus qualia scit? Non ergo is fortunarum splendor in patrimonio DAVIDIS CHYTRÆI fuit, ut suis sese sumptibus exhiberet, quàm diu in Academia vixit. sed modico viatico contentus esse, & aliis servire aliquando necesse habuit: Sed hoc servitium magnam animi vitæque elegantioris libertatem attulit. En ergò quantum ex hoc jugo adolescentiæ, quod æquo ille animo tulit, bonum; Philippo Melanthoni, nondum satis laudato viro, domesticus fuit, DAVID & Davidi ille Præceptor fuit, magister fuit præcipuus: animi ac prudentiæ verus informator fuit. Nec juveni deerat ingenium & industria, quin tanto Præceptore usus, grata quæ essent DEO, & utilia Reipublicæ, ac hominibus & dicere & facere attentè & diligenter disceret, atque hæc fuit prima illa velut causa & occasio, quâ in tantum virum, eruditione, pietate & virtute præstantem evasit. Quare sæpissimè honorificam Philippi mentionem fecit, sermones injiciendo de castis ipsius moribus, integritate vitæ & singulari zelo pietatis cum summa eruditione conjuncta. Ingratus enim sit necesse est, qui non illum Præceptorem colat & diligat, qui bonam indolem erexit, qui modò laudibus fecit animum, modò admonitionibus discussit desidiam, tum ingenium latens & pigrum, injectâ, ut ita dicam, manu extraxit; nec quæ sciebat, malignè dispensavit, quò diutiùs esset necessarius, sed cupiit, si posset, universa transfundere, ut verbis Senecæ 6. de benefic. c. 16. utar.

Planè ambigendum non est, quin ter quaterque beatus sit ille, cui talis contigit Doctor & vitæ informator, qui fontem vitæ omnisque salutis Iehovah velut digito, sui sermonis simplicitate & perspicuitate, ostendit, quivè ex-

M. DC. emplo domestico, cui major vis occulta licèt quàm multis præceptis inesse solet; optimam & saluberrimam vitæ degendæ rationem demonstravi. Eo sanè dicto optimi præceptoris audiens fuit D. CHYTRÆUS, primus in auditorium venit, novissimus exiit, ambulantem etiam Philippum insecutus qui vicissim discenti non tantùm paratus, sed & obvius fuit. Et proinde DAVID CHYTRÆUS eam, quam illustrissimis testimoniis sacrarum literarum & hominum probatam viam vidit; & rationem vitæ ingressus & secutus, in talem virum evasit, quem non hæc schola duntaxat magnum Theologum, historicum eximium, oratorem suavem, poetam jucundum vidit & cognovit: sed tota etiam Europa suspexit & admirata est, & posteri, fructu laborum eius lætati, magis magisq; deinceps admirabuntur. Quid verò de nostris auditoribus dicam? illud Senecæ epist. 108. non injuria proferre possum. Novimus quosdam, qui multis apud Philosophiam annis persederunt, & ne colorem quidem duxerunt. Quidni noverim? pertinacissimos quidem & assiduos, quos ego non discipulos Philosophorum, sed inquilinos voco. Quidam veniunt, ut audiant, non ut discant, sicut u. theatrum voluptatis caussa ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui Philosophi schola diversorium otii est: non id agunt, ut aliqua vitia deponant, ut aliquam vitæ legem accipiant, ad quam mores suos exigant, sed ut oblectamento animi perfruantur. Hæc ille. Id jam antè D. Philippus Melanthon in Davide adolescente, quantus ingenio & doctrinâ vir evasurus esset, animadverterat, nam animis præstantium virorum vis quædam divinitatis inesse solet; ideoq; eum instar filii adamavit vehementer, & DAVID CHYTRÆUS à senis latere discedere noluit, nec quicquam sibi grave vel molestum videbatur, quod ille non libenter susciperet, modò in oculis clarissimi viri quotidiè versaretur, & ad eius exemplum vitam moresq; componeret. Consilium etenim est Senecæ salubre æque atq; utilissimum Epist. 11. quod aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Socraticus AEschines Atheniensis miræ indolis, à puero laborum patientissimus adeò præceptoris studiosus fuit, ut nunquam ab eo discederet, undè Socratis illa vox memorabilis. Solus AEschines novit Socratem honorare.

Illustris ac Magnificus Dn. Stanislaus Czarnchovius, senex, meritis in Rempub: præclarus, cæcus quidem, sed eâ mentis integritate & acrimonia præditus, ut publicis eum consiliis Poloni nunquam abesse velint, trium Regum qui fuit Secretarius resq; magnas usu & experientia perdidicit, & etiamnum suâ auctoritate & prudentiâ administrat: is sæpè mihi Posnaniæ & in comitiis Varsaviensibus commemoravit, cùm VVITTEBERGÆ esset studiorum caussa, vidisse se DAVIDEM CHYTRÆUM tum juvenem pulcherrrimum præstò adesse PHILIPPO MELANTHONI, adeò modesto vultu & compositis moribus, ut imaginem optimi præceptoris hic discipulus inter cæteros solum referre videretur: & cùm Philippus suaviori eum vocabulo non posset, suum Davidem appellasse.

Cùm post mortem LUTHERI, qui velut è faucibus Erebi veritatis lucem revocavit, gravissimum & difficillimum bellum in Germania esset exortum, ac iis in locis gereretur, CHYTRÆUS VVitebergâ discedens se Heidelbergam contulit, ac inde rursus Tubingam ac docendo disputando, notando optimâ ratione se aliosq; summâ dexteritate erudivit & exercuit. Excellentis enim animi sui nota est.

Continuò pecoris generosi pullus in arvis,
Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit,

Primus

Primus inire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto.

Finito deinde bello in Saxonia D. CHYTRÆUS VVitebergam rediit, & circa annum 1548. scholam ibidem aperuit, & cum magna omnium admiratione docuit, suo exemplo testatus, quòd ingenium cœleste suis velociùs annis surgat, & quidem publicè in auditorio veteris collegii diebus extraordinariis horâ quartâ promeridianâ locos communes Philippi Melanthonis (Compendium, qui sunt totius Theologiæ accuratè conscriptum) explicavit; & privatim alias item lectiones utiles proposuit & continuavit, Musæum habens in novo Collegio à Dn. Philippo sibi traditum, in quo ipse Philippus anteà degere & studiis suis incumbere solitus fuerat. Nam qui cum sapientibus graditur: in quorum contubernio nil nisi sanctum honestumque cernitur, sapiens erit: Circa idem tempus paulò pòst VVitebergam venerat D. LUCAS BACKMEISTERUS tunc juvenis studiorum caussâ (qui jam Superintendens hujus urbis & Professor ac Doctor Theologiæ apud nos dignissimus & honorandus, ætatem laudabiliter huc usque vitæ D. CHYTRÆI ferè parem peregit, rude donandus, quem ut DEUS Opt. Max. diu salvum & incolumem conservet, vota nuncupamus) & repererat DAVIDEM CHYTRÆUM publicè & privatim ibi docentem, quem & ipse tum dictos locos communes proponentem audivit, & familiariter coluit, DEO sic pectora conjungente inter eos, qui deinde in hac Academia, anno 1562. collegæ facti, studia Theologica unà cum cæteris collegis fideliter propagârunt. En quanta concinnitas? Decus Academiæ. En bonum concordiæ? ille familiarem suum magno ingenio, singulari facundiâ, & docendi gratiâ præditum, consilio & operâ, quantum potuit, promovit, amavit, ornavit, hic rursus illum observavit & honoravit, mutuâ planè voluntate & benevolentiâ. Hic collegatum consensus quàm pulcher: quàm optabilis? Etenim annis 38. negocia religionis orthodoxæ, & Ecclesiæ Christi conjunctis animis & communibus sententiis, cum multorum salute & hujus scholæ dignitate tractârunt, magnumque emolumentum in vinea Christi multis hominibus eo ipso contulerunt, uti vos seniores hujus rei testes locupletes estis.

Anno Christi 49. D. CHYTRÆUS, cùm ad civilis prudentiæ artem veræq; eruditionis rationem plurimùm prodesse sciret, multas vidisse urbes & præstantium hominum consuetudine usum esse, in Italiam, adsumpto uno Comite fideli M. Andreâ Martino Rostochiensi, profectus, coram oculis illa loca contemplatus est, in quibus tot res gestæ fuère, quas Livius & alii descripserunt. Fidus Achates Chytræi M. Andreas Martinus, quorundam Baronum in Bohemia pædagogus fuerat, & VVitebergam tunc redierat, postea hîc Professor Theologiæ & Pastor in templo Mariano factus, magna cum laude suo muneri satisfecit, & perpetuam cum D. CHYTRÆO amicitiam coluit: ejusque sæpè honestam, alter idem qui fuit, mentionem gratitudinis ergò fecit. Florebant tunc in hac alma Academia ingenio, eruditione & virtute præstantes viri, D. IACOBUS BORDINGUS Medicinæ Doctor, & M. ARNOLDUS BURENIUS. Ex Burenii schola velut ex equo Duratheo multi clarissimi viri, Doctores, Principum Consiliarii & alii nobilissimi homines prodierunt: & quidem ex iis nobis familiares etiamnum optimi Præceptoris ac disciplinæ salutaris imaginem suâ morum elegantia & facundia referunt.

D. IACOBUS Bordingus sua cùm propriæ virtutis & sapientiæ laude celebris, tum quòd filium sibi ὁμώνυμον verè κοινὸν ἀγαθὸν huic Academiæ & Provinciæ Megapolitanæ reliquit IACOBUM BORDINGUM Cancellarium illum Principis Dn. Vldarici Ducis Megapolitani, quem novistis magni consilii, integerrimi animi, & acerrimi judicii virum. Hi viri duo collegæ, pro suo in Remp.

litera-

M.DC. literariam studio & amore,id agebant,id tractabant,id magnâ curâ efficiebant ut hæc schola conquisitis eruditissimis viris quàm pulcherrimè constitueretur. Itaque M. Burenius ea potissimùm de caussa VVitebergam anno 1550. profectus cum Philippo Melanthone agebat, ut ejus consilio adjutus virum aliquem eruditum in hanc Academiam adduceret. Ioannes quidem Aurifaber Theologiæ Doctor venit eo anno Rostochium, & aliquandiu in hac schola docuit, deinde pòst in Borussiam profectus. Sed quem DEus huic scholæ destinârat potissimùm, in ejus comitatu ad videndum urbem venit DAVID CHYTRÆUS, nihil suspicatus de vocatione,quæ divinitùs mox sibi facta est. Nam statim atque familiariùs magnis illis viris uti cœpit; ingeniorum qui erant æstimatores optimi,juvenem impensè adamare cœperunt, & dignum suâ benevolentiâ & promotione censuerunt, effeceruntq́ue, ut ab Illustriss. Principe Henrico Duce Megapolitano in hanc scholam vocaretur. Sors cuique loco sua est: placuit ergò conditio D. CHYTRÆO, & acceptâ mox vocatione, reversus est,animo hîc Rostochii domicilium sedemq́ue fortunarum constituendi, interim convictus D. Iacobi Bordingi viri optimi usus usque dum clarè matrimomonio suo constitueret, cumq́ue post parentis honore in celebrandis suis nuptiis dignatus est, deinde & ejus viduam & matrem & liberos officiosè coluit & amavit.

Hæc & alia multa memorabilia reverendus & clarissimus vir D. Lucas Backmeisterus collega & amicus noster colendus,quæ ipse vidit & cognovit, & posteritati cognitu nō inutilia censuit,pro singulari sua quàm cum CHYTRÆO à primis annis ab ipso etiam insignibus Doctoratus in Theologia ornatus; coluit,amicitia; & summa qua est erga omnes, humanitate mecum communicavit, & in sua eleganti funebri oratione Germanica latiùs pertractavit.

Sed enim pro honore vocationis solenni initium Lectionum anno 51. die 21. Aprilis felici auspicio fecit, & hoc egit solicitè, ut diligenti exercitatione exemploq́ue suo quàm plurimos ad veram eruditionem sibi comparandam perduceret,publico qui natus fuit bono. Et quidem ille tum studio vigilanti, tum lectione auctorum omnium Græcorum pariter & Latinorum,viam sibi eam præmunivit, qua progressu ætatis, & eruditionis summæ laudem apud omnes consecutus est,& sui ingenii monumenta præclara omni posteritati consecravit.

Tanta autem mox initio susceptæ professionis tum ingenii tum eruditionis fama de DAVIDE CHYTRAEO etiamnum juvene duo de viginti annorum increbuerat,ut Christianus III. Rex Daniæ celeberrimus ille Princeps, decimo pòst anno 1554. Fridericus II. Elector Palatinus triennio pòst: Otto Henricus Elector item Palatinus,ipsum in suas Academias, ad suscipiendum publicum docendi munus, vocare non dubitaverint.

Cùm jam docendo,disputando aliisq́ue utilissimis exercitiis bonam huic Academiæ operam CHYTRAEUS præstitisset,& Theologiæ studio se totum dedisset,dignus habitus est ab Illustrissimis Ducibus Megapolitanis D. IOANNE ALBERTO & Dn. VLDARICO fratribus, cui principali beneficio ac sumptibus insignia Doctoratus conferrentur. Vocatus ergò Gryphisvvaldiâ reverendus & clarissimus D. IACOBUS RUNGIUS anno 61. præstantissimis ingenio & virtute viris D. DAVIDI CHYTRAEO,& D. SIMONI PAULI, magno isti, quem novistis, Theologo, & IOANNI KITTELIO contulit solenni ritu insignia summi gradus.

Eodem tempore & uno velut actu promotionis præstanti illi & celeberrimo Poëtæ Laureato IOANNI BOCCERO ac optimo viro D. BARTHOLOMAEO CLINGIO ingenii & eloquentiæ laude bene jam de hac schola & prosapia Ducum Megapolitanorum merito, adfini & compatri meo clarissimo

solen-

solenniter gradus Licentiatorum tributus est, & qui dignitatis sibi eodem tempore collatæ honore & sincero amore conjungi cœperunt collegæ, magnâ deinde D.CHYTRAEUM observantiâ coluerunt & adamarunt, ejus omni ferè negocio auctoritatem & sententiam secuti. M.DC.

Quandoquidem porrò sermo & actio honesta animi imago dici & esse solet, non est planè opus, ut verbis multis ejus celebremus laudes. En opera quot egregia ille conscripsit in Theologia, in Philosophia? in historiis quàm elaboratum opus? Quòd eruditionis admirandæ monumenta satis illa & quidem eximiæ ejus laudes, nobis etiã tacentibus, loquuntur, quibus legendis quilibet procul dubio & doctior & melior effici potest. Quis verò in λογομαχίαις devitandis inter Theologos illo modestiæ studiosior fuit? quis in recta docendi & discendi ratione demonstranda accuratior? quis denique in disponendis temporum rationibus diligentior? ille primus scribendæ ac intelligendæ historias rationem ceu oculum demonstravit conscripta Chronologia, ille descriptiones familiarium seu genealogias accuratè tam veterum quàm recentiorum Principum delineavit & descripsit, Nam parum est rem nosse, nisi quo tempore & loco singula gesta sunt, simul cognoveris, & animo pariter & oculis collustraveris & in promptu habueris, quo notio mentis ceu fundamento fulciatur, & cui animus plenâ circumstantiarũ disquisitione acquiescat. Tempus enim ævi imago mobilis: magister cujusque & incepti artifex est. Loci verò consideratio solidam rei præbet cognitionem. Opera ergò ingenii suâ bonitate & utilitate satis celebrem fecêre memoriam DAVIDIS CHYTRAEI, ut quod rei satis superque insigni cum laude virtutis & eruditionis demonstratæ additur superfluum esse videatur, fateor & id quidem lubenter, sed tamen quod honori piè defuncti Præceptoris tribuimus, magnam profectò nostram utilitatem continet.

C. Octavianus Cæsar. Augustus proximum à Diis immortalibus honorem, ut auctor est Suetonius, memoriæ Ducum præstitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque ex operâ cujusque manentibus titulis restituit, & statuas omnium triumphali effigie in utraque sui fori portica dedicavit, professus edicto commentum id se, ut illorum velut exemplar & ipse dum viveret, & insequentium ætatum principes exigerentur à civibus. Non dicam quàm seniores nostri tuendæ auctoritatis suæ, quæ anima est gubernationis; & publicæ concordiæ rationem tenere, exemplo D. CHYTRAEI debeant; nam ipsi prudentissimi sunt viri ætate & usu rerum edocti, qui per se, quid facto opus sit, noverunt, typi fidelium existentes, ut nempe morum suavitate potiùs persuadeant, quàm minis & decretis homines cogant: sed nobis, qui in secundis tertiisque gradibus consistimus, & adhuc, ut metam solidæ eruditionis consequamur, anhelamus: hoc ingenii, studii, diligentiæ ac meditationis perpetuæ monimentum magno usui erit, ut Spartam, quam nacti sumus, ornemus. Nec existimo, crebras illas & benevolas D. CHYTRAEI admonitiones apud plerosque planè fore inanes, cùm se exemplar virtutis, pietatis & eruditionis à civibus & studiosis exigi sciant. Nec enim sibi laboravit & scripsit præstantissimus noster Præceptor, qui æternâ jam requie perfruens nihil horum opus habet. Sed cùm in omnium hominum, ad quorum manus sua scripta perveniunt, tum vel maximè in nostrum commodum scripsit, & abstrusa divulgavit, & perplexa explicavit; ut vivens quasi cuique nostrum suggerere videatur, hæc tibi meditanda; hæc illi perlegenda; hæc altera ruminanda sunt, qui solidum eruditionis fructum referre, & suum officium rectè facere volet. Quid? jamnè est tempus somni & quietis? ut arma eloquentiæ cum solida pietate & eruditione conjuncta magna

M. DC. animi ſecuritate abjiciamus, cum tot tantorumque hominum extent ſcripta, quibus videntur adverſariis ſatis reſpondiſſe, & os ipſis obſtruxiſſe. Minimè verò gentium nos ita ſentire oportet: Imò quantò majus & propinquius est periculum, tantò nos cautiùs & diligentiùs tantam rem agere oportet, quæ & noſtram & multorum ſalutem concernit. Quem audiſſe juvat par eſt & eius ſcripta ſæpè iterumque perlegere. Certè ſi otioſus miles non antè arma expedita habere, & ad omnes ictus excipiendos inſtructus eſſe velit, quàm ubi hoſtem appropinquare videt: quid ille viſo hoſte truci, penſi reliquum habebit, quàm ut nec vultum eius ferre poſſit, & mox ſe in turpem fugam conjiciat? O quantus noſtrarum mentium ſtupor? O quanta dementia? ſi tot undiquaq; nos malis prementibus in utramque aurem ſecuri dormire velimus. Ex omnibus planè partibus nos variis cingimur periculis, non iis quidem corporis & fortunarum duntaxat, quæ graviſſima & difficilima agnoſcimus, ſed quæ animarum interitum adferre videntur. Vereor profectò, vereor, ne malum corruptæ religionis & negatæ divinæ majeſtatis in Chriſto veneficum, ingens, abominabile erumpat opinione etiam celerius. Nonne ergò armis pietatis, ardentis invocationis, eloquentiæ, & divinarum rerum ſolidæ cognitionis opus eſt? tantò, me Chriſte, magis quantò adverſarii ingenio ſubtiliores & doctrina varia majores eſſe videntur. Halcyonia nobis DEUS dedit, quamdiu vixit D. Chytræus. Halcyones mediâ etiam hyemæ mare tranquillum præſtant, non ſibi ſolum, ſed aliis quoque: ſic ille ſuâ auctoritate ſenili non modo nobis noſtroque Gymnaſio tranquillitatem tutatus eſt, ſed alios etiam concitatos in diverſis Academiis compoſuit & ſedavit. Iam porro deinceps, quis eius ſupplebit vices? nemo celeriùs opprimitur, quàm qui nihil timet. Deinde quanta apud nos anarchia ſenſim irrepat, palam eſt. Bion dicere ſolebat, impietatem malum eſſe contubernalem fiduciæ; & adjiciebat verſiculum Euripidis, ſervum facit quemvis ferocul um virum. Quò evaſura ſit anarchia, utinam non experiri cogamur.

Toto illo tempore, quo per annos 25. DAVIDE CHYTRAEO familiariter uſus ſum, ſic eum cognovi, ſic ab aliis eum celebrari audivi, quod minimè φιλόνεικος fuerit, ſed modeſtiæ laude ſemper celebris, quantumvis ſibi cum diverſæ religionis hominibus certamina ſæpè numero fuerint ſubeunda graviſſima. Nam ſuavitate ac integritate morum, calumnias, obtrectationes adverſariorum æquo animo vincere novit, ſæpè in ore habens, qui neſcit ferre calumnias, obtrectationes, convicia, injurias, ille vivere neſcit; & eo ipſo oſtendit ſpiritum pacis & concordiæ ſuavem, non aſperum: lenem non rigidum eſſe ſolere. Philippus Macædonum rex ajebat ſe his, qui in Republica Athenienſi primores eſſent, plurimam habere gratiam, quod ſuis conviciis efficerent, ut ipſe tum oratione, tum moribus evaderet melior; dum conor inquit, illos dictis pariter ac factis mendacii arguere. Et noſter Præceptor cùm miris ſæpè modis traduceretur, hac arte uſus eſt, & innocentiâ morum ſic adverſarios retudit, ut eos poſtea mendàcii puduerit, & hæc quidem publicè fecit David Chytræus laudabiliter, crebrò hæc vota ingeminans: utinam ambitio & avaritia ex animis hominum radicitus tollerentur: utinam publicæ tranquillitatis cauſſa magni viri remitterent invicem ſimultates. Vtinam reges ac potentes rerum domini majorem Eccleſiæ & ſcholarum curam ſuſciperent, certè pulchrum & ſtabilem Apoſtolicæ & orthodoxæ religionis conſenſum & florentem Reipub. Chriſtianæ ſtatum haberemus.

Nunc porrò videamus, quomodo DAVID CHYTRAEUS privatim inter homines ſeſe geſſerit. Conſtans & ſyncerus, in profeſſione & erga amicos;

M.DC.

eos: patiens in perfidis rebus adversis fuit. Quam ille semel veritatem religionis ex fontibus Israel adolescens didicit & cognovit, eam constanter retinuit & defendit, eiusque vim utilissimis vitæ officiis ad ultimum usque spiritum vitæ retulit. Scripta id eius loquuntur, hominum hîc adsunt testimonia, omni exceptione majorum; ut cum rerum adsint documenta, verborum adminiculis opus esse videatur. Scio sæpeque ita exaudivi, quòd malevoli quidam huic optimo viro labem occultæ cuiusdam societatis cum nostris adversariis adspergere ex eo voluerint, quòd singulis annis polemica non edidit scripta. Memini item eius honestam orationem; satis scriptum est de controversiis illis, modò, qui nova desiderant, libros editos perlegere vellent: ignavi sunt homines nostri &, rerum novarum nimis cupidi, veterum scripta negligunt, recentium expetunt: cùm tamen illi unâ brevi sententiâ plus tradiderint & expresserint, quàm hi multis id faciunt pagellis. Quo fit, ut eàdem facilitate, quà illi libri scripti sunt, rejiciantur. Deinde verum est illud Publii Mimi, & calamitas fundi Græciæ testatum facit, nimium altercando veritas amittitur. Itaque consentiens vox orthodoxorum retinenda: nam pulchrum est illud Platonis, ὔτι χρυσὸς, ὔτι ἀδάμας ὔτως ἀστράπτει ὥσπερ ἀγαθῶν ἀνδρῶν νόος συμφράδμων, hoc est, non ita aurum nec adamas ita fulgarat ab oculis, sicut bonorum virorum consensus: & consentanea sibi veritas non tam disputationibus arguenda, quàm sanctitate vitæ & proximi dilectione contestanda est. Deinde præclarum hoc fuit D. CHYTRAEI institutum, quod non facilè, nec temerè de rebus magnis judicium tulit, ne effuso sermone in præsens sui incideret periculum. Sed prudenter omnia perpenso egit consilio. Nam turpis est vox tam in togate quàm in militari vita, non putaram. Ideoque in publicis consiliis & deliberationibus Theologicis hoc solenne fuit D. CHYTRAEO, ut rem propositam è fide historiarum priùs, suisque circumstantiis, fundamentis & rationibus diligenter perpenderet, & aliorum, collegarum maximè, sententiam audiret & exquireret. Quo ipso factum est, quòd plerosque in suam sententiam sic præclarè demonstratam facilè adduxerit, & sibi auctoritatem tum apud omnes secum deliberantes, tum apud eos, qui consilia requirebant, conciliarit maximam. Quid enim in Ecclesiasticis, politicis, & philosophicis scriptoribus, antiquis pariter & recentibus uspiam scriptum, quod D. CHYTRAEUM fugit? qui instructissimam omnium auctorum habuit & reliquit Bibliothecam, pharmacum animæ, illamque non ut ornamentum musæi, sed velut instrumentum eruditionis comparandæ necessarium habuit, & singulos libros perlegit, & sic quidem, ut argumenta cuiusq; libri referre potuerit, & pleraq; sua dicta & consilia aliorũ sententiis confirmare visus fuerit. O hominem præclarum! O sapientiæ divinæ & humanæ studiosissimum!

Paucos ille quidem in interiorem amicitiam admittere solebat, interim tamen erga omnes facilis & suavis existens: quos verò amore cœpit, vel propter ingenium, vel ob fidei candorem, vel ob aliam virtutis significationem, eos omni humanitatis officio persecutus est, quippe à prudentia alienum est tale quid agere, cuius te pæniteat. Quis est in hoc amplissimo cœtu, magnum qui jam dignitatis fastigium tenet, quem sua non convincit conscientia, ut studio & auctoritate CHYTRAEI se promotum, ornatum & edoctum fateatur. Quocirca communis præceptoris titulum meritò retulit. Multis præterea depositum puræ doctrinæ Evangelii propagandæ, collatis etiam in signibus Doctoratus in Theologia commendavit? Veluti D. Ioanni VVigando Episcopo Pomezanensi, D. Lucæ Bacmeistero & aliis. Et in summâ, fuit prorsus talis musarum angelus & minister, qualem Theognis describit.

M. DC. Χρὴ μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον, εἴ τι περισσὸν
Εἰδείη σοφίης, μὴ φθονερὸν τελέθειν.

hoc est, Convenit, ut qui minister & nuncius est musarum & quid amplius scientiæ habuerit, ne invidus propterea esse velit. Nam qui hauserunt è sapientiæ fontibus, invidiam ex animo suo exterminant & ultrò succurrunt proximis, scientiam sermonibus per aures trajicientes in animas auditorum. Quinimò summum quod ab eo ipso proficiscitur bonum, sui ipsius communicatione crescit, & quod semel auspice Deo cœpit, in immensum augescit.

Nec verò dissimulandum est, quod æquè de amicis atque de aliis, in quos magna contulerat beneficia, id animum induxerit suum, non admodum dolere, si qui ingrati adversus illum extitissent. Nullum quidem telum animo syncero accidere potest gravius & molestius, quàm si, quos promovisti, quos honore & beneficiis ornasti, ingratos comperias, multorum se quotidie experiri ingratitudinem testatus est quidem Chytræus. Sed callum se animo obduxisse aiebat patientiæ antidoto. Nec enim ullius hominis tanta malitia videri debet, quæ nostram virtutem expugnet, nosq; laude decoris exspoliet. Dixeris maledicta cuncta cùm ingratum hominem dixeris. Nec verò illam excusationem præbet, quòd consuetudine quadam homines rarò animum ad præterita retorqueant, & inde fiat, quòd præceptores eorumque beneficia intercidant, quia totam pueritiam relinquimus. Siquidem ingenuæ mentes plus virtuti quàm corruptæ hominum consuetudini tribuunt, neque æquum est tempore vel die memoriam beneficii definire.

Quoniam verò vidua est virtus, quam non patientia firmat, DAVID CHYTRAEUS non solùm in rebus secundis moderatus & gravis extitit: sed in rebus etiam adversis patiens? Immò semper inter secundas & adversas res animi firmitate versatus fuit, & hoc ipso quantas animi ingeniiq; dotes habuerit, quantisq; virtutibus præcelluerit, agnoscimus.

Non dicam de adversariis ipsius, qui scriptis famosis, conviciis, & dicteriis eius famam prosciderunt, quos ille modestiæ laude, & honestarum actionum conscientiâ vicit omnes, quanquam interim major ipsi injuria propter aurium infirmitatem, quàm propter inimicorum insidias facta est. Sed quàm generosè, quàm fortiter, quamvè sapienter domestica illa mala; quæ acerbiùs pungunt & cor magis pertranseunt, quàm ulla externa mala: æquo animo pertulerit, agè videamus. Sed interim illud Gregorii in promptu sit, si mens forti intentatione ad Deum dirigitur, quicquid in hac vita sibi amarum sit, dulce existimat: omne quod affligit, requiem putat.

Anno 1571. die 18. Aprilis suam Margaritam, Laurentii Smedes Senatoris Rostochiensis filiam, pretiosam, cùm annos octodecim eam thori consortem habuisset lithiasi & aliis morbis diu conflictatam & confectam amisit. Eheu quanta afflictio, dimidium animæ & partem corporis sui amittere? sed DAVID CHYTRAEUS sui similis semper permansit tamen; vulneri altissimo cordis amuletum adhibens patientiam. Magnus hic est profectò pietatis fructus, colorem animi summum vincere, & Dei voluntate acquiescere, & semet adeò certa consolatione erigere posse, ne de providentia divina quicquam dubitare videaris. Mox deinde anno 76. filiolum Davidem suavissimæ indolis puerum jam primùm intra 20. horas mediocriter valentem & extinctum vidit. Inopinato quidem turbine: sed pectus CHYTRAEI benè præparatum & sapientiæ munimentis vallatum, casus hic quantumvis gravis & acerbus nequicquam movit, & æquabilem se quoque in cæterorum libero-

rum,

rum, quos ſeptem amiſit, morte præbuit. Non eſt magnanimi ſe fortem rebus proſperis gerere, ubi ſecundo curſu vita procedit: nec gubernatoris artem tranquillum mare & ſequens ventus oſtendit: adverſi aliquid incurrat oportet, quod animum probet. Quare Deus virum bonum in delitiis non habet, experitur, indurat, ſibi illum præparat, ut verbis Senecæ utar. Hic tu jam, qui ſcientia illuſtris es; aut magno pietatis Zelo duceris, ne te ſubmittas, conſilium eſt: immo contrà fige ſtabilem gradum, & quicquid onerum ſuprà cecidit, ſuſtine, namque hæc eſt indulgentia æterni patris, ut omnis calamitas & adflictio, quæ Chriſtiano pio homini contingit, in bonum ipſi cedat, ut & victoriam cum laude virtutis reportet, & aliis exemplo ſit. M.DC.

Amiſsâ primâ conjuge, ad ſecunda vota ſe CHYTRAEUS contulit, & CONRADI PEGELII: (olim item profeſſoris huius Academiæ optimè de re literaria meriti, qui pater D. Magni Pegelii Mathematum apud nos profeſſoris fuit:) filiam Margaritam duxit uxorem, quæ jam vidua maritum, cum quo per viginti novem annos in ſuaviſſimo conjugio vixit, luget à morte. Huic ſecundæ conjugi matrimonium concors & tranquillum, ſchola tamen patientiæ fuit. Non dicam moleſtias, quas in liberis educandis illa ſuſtinuit ſummas, & caſus mortalitatis liberorum, quos præmiſit ſubitâ morte præreptos, ſed in eo præſtitit ſuo marito verè adjutorium, ταμίειον τῆς ἀρετῆς γενναία γυνή, quòd ſumma cum patientia CHYTRAEUM diutiùs lecto adfixum & cum graviſſimis morbis conflictantem ſedulò curavit, nullis curis nulliſque parcens vigiliis. Itaque ſæpè ad me, ſuæ conjugis piam virtutem commendans dicere ſolebat. Legi quidem ſæpius & interpretatus ſum dictum illud divinitus prolatum, FACIAMUS ei adjutorium, ſed vim vocabuli nunc demum, cùm nec manus nec pedes officium faciunt, perſpicuè intelligo. Ex hac ſecunda conjuge plures quidem ſuſcepit liberos, ſed duo ſaltem ſuperſtites manſerunt adoleſcentes ingenio & eruditione præſtantes, VLDARICUS & DAVID fratres CHYTRAEI, qui ſpem bonæ indolis jam diu de ſe præbuerunt maximam, fore, ut veſtigia patris optimi ſequantur: nam & exemplar paternæ virtutis ac eruditionis nos ab ipſis exigere votis juſtis videmur, quæ ſic ingeminamus, ut Deus opt. max. qui ex occulto ingenia profert, & utiles cives patriæ efficit, eos divini Spiritus virtute regat, & diu incolumes conſervet: nam hi duo ſunt columnæ familiæ Chytræanæ, & eorum recta inſtitutio, unica patris fuit voluptas qui graviſſimo etiam morbo decumbens nihil prius habuit, quàm ut præceptis ſaluberrimis eos erudiret, eruditoſque patriæ relinqueret, & hanc beatitudinis partem ipſi defuncto permanſuram nullus dubito. Quàm verò frugaliter, quàm ſobriè præceptor noſter communis vixerit, non opus eſt multis inculcare, de re conſtat. Animo enim vivere malebat quàm corpore: Philoſophiæ præcepta quotidiè factis repræſentabat, facta dictis accommodans, ut cum ſermone vita congrueret. Nam ſobrietas eſt, quæ mentem ſervat integram, quæ memoriam ſtabilit firmiter actioneſque dirigit prudenter: Sobrietas ſenectutem tuetur, ubi illa eſt in homine, chorum reliquarum virtutum adeſſe conſequens eſt. Quare Euripides non dubitavit exclamare, antiquius nihil ipsâ temperantiâ duco, bonis quod ſemper adeſt. Quid ergò mirum, quòd Chytræus ſeptuaginta annos & menſes vixit, & inter tot curas, vigilias, labores, obtrectationes, calumnias, & inter varios ac graviſſimos corporis morbos vixit? tamen patientiæ antidoto & temperantiæ bono hanc longævam vitam conſecutus eſt, & etiam in lectulo virtuti locus erat: nec enim unquam meditationes & ſcriptiones intermiſit bonus ille ſenex, adeò parcus temporis cuius major alia non eſt jactura, ut ſæpè diem totum ſcribendis vel

M. DC. epiſtolis vel orationibus, aut perlegendis, quæ offerebantur, ſcriptis inſumeret & exinde unus dies huius optimi ſenis plus patebat, quàm imperiti longiſſima ætas. Quàm multos interim vidit ille juvenes & viros media ætate ſepeliri, qui incontinentiâ ſuâ fata ſibi maturârant. Quocirca non ineleganter Democritus dixit, ſi corpus animam in jus vocaret, non futurum, ut ille muneris malè adminiſtrati crimen effugeret. Deinde nihil egregium comparatur, quod non continentiæ labor præceſſerit.

Cùm jam progreſſu ætatis per gloriam ingenii, eruditionis & virtutis in omnium ore eſſet CHYTRAEUS, & ſummam ſibi comparâſſet auctoritatem, multi reges, principes, aliique magnates in graviſſimis negotiis Eccleſiæ & Reipub. conſtituendis & dirimendis eius opera & conſilio uſi ſunt. Nec enim ſolùm Auguſtus Dux Saxoniæ: item Ioannes Georgius elector Brandeburgicus: Ludovicus elector Palatinus: Iulius Dux Brunſuicenſis: Sed & Maximilianus II. Imperator Rom: Chriſtianus III. Rex Daniæ: Ericus XIV. Rex Sueciæ: Fridericus item II. Rex Daniæ, cum ſolenniter ad conſtituendas in ſuis terris Eccleſias & ſcholas & ad ſuſpiciendum publicum docendi munus vocârunt, vocatum magnificè exceperunt & honorârunt, eius conſilio & auctoritate pleraque ordinantes & exequentes.

Quid Academiæ Iuliæ, quæ eſt Helmſtadii, D. CHYTRAEUS, qui eam ſcholam felicibus auſpiciis introduxit & ordinavit legibus & ſtatutis, utiliſſimè conſcriptis, emolumenti contulerit, archivi id publici acta continent. Sicuti autem Sol antè irradiat ea, quæ eius ſunt citima mox altiùs etiam evagatur: ita CHYTRAEUS magnus ingenio, magnus eruditione, magnus innocentia morum; cùm haſce oras Balthici maris, & inprimis hoc noſtrum Gymnaſium legibus aliisque ſaluberrimis inſtitutis velut conſtabiliviſſet: dignus viſus eſt, qui idem in bonum ordinis pulcherrimi, religionis repurgatæ & Chriſtianæ inſtitutionis in aliis item terris & longè diſſitis regionibus, divina ſic gubernante gratia, propagaret & communicaret. Quàm utilem & verè ſalutarem operam nobilitati Auſtriacæ, Styriacæ, Carinthiacæ præſtiterit, dum vocatus purum Evangelii doctrinam, ordine Eccleſiaſtico ritè conſtituto, promulgaret, omnibus eſt manifeſtum; & illi homines, quamvis jugo dominationis adverſæ preſſi, beneficium tamen Dei, quod per CHYTRAEUM ipſis contingit, grati agnoſcunt.

Quanti etiam Illuſtriſſimus Princeps Dominus VLDARICUS Dux Megapolitanus Dominus noſter clementiſſimus, Neſtor ille Germaniæ, ſenem noſtrum CHYTRAEUM fecerit, & de multis ſæpè rebus cum ipſo communicârit, eiusque conſilio uſus fuerit, tam eſt apertum, ut verbo rem attigiſſe ſufficiat. Quis eſt enim qui patrocinio plus quàm Dux Vldaricus hanc Academiam juvit & promovit? quis firmius Religionis orthodoxæ fulcrum, quàm religioſiſſimus ille princeps? qui & ſua auctoritate puram Evangelii doctrinam propagavit & fovit, ſuaque velut voce, conſcripto elegantiſſimo libro, nos de veritate docet & confirmat.

Sic ergò virtutis & eruditionis eius fama per omnes Europæ partes pervagata eſt. Chytræi nomen notum eſt, quamvis ubi Roſtochium ſita ſit, multi ignorent. Pulchrè Theognis cecinit.

En cole virtutem, fac rectè & cunctà decenter,
Mittendus nemo eſt, nuncia fama volat.

Eruditi viri, ubicunque locorum eſſent, laudi id ſibi duxerunt, ſi in interiorem eius amicitiam ſeſe inſinuâſſent, & una ſæpè epiſtola elegantiùs ſcripta: ut eſt bonarum mentium tacita quædam conſenſio: amicum ipſis Davidem Chytræum peperit. Nec reſpondendi vel ſcribendi officio unquam ipſe defuit:

reputans

reputans secum, quòd multas sæpè amicitias dissolvat silentii affectatio. Planè M.DC.
existimo è familiaribus eius non paucos fore, qui præconiũ laudum ipsius elegantiùs, quàm à nobis sit publicaturi sint. Nam honestum ubique est, laudare rectè facta: & thus Diis laudẽ verò bonis viris tribuendam esse dixit Socrates.

Et memorem famam, qui bene gessit, habet.

Nec verò ab ullo homine rectè celebrari potest, cui res & virtus deest. Quin verò falsa laus & precibus expressa perinde cohiberi debet, quàm malitia, & crudelitas.

Verùm enimverò non, ut Deum, præceptorem nostrum collaudemus, dixerit aliquis, quasi omni planè crimine caruerit, sua ille habuit, non minùs quam alii homines, errata. Iracundior fuit naturâ, nimis ad ambitionem usq; laboriosus, multa dissimulare novit, cunctator in dicendis sententiis fuit. Sed hæc, quæ in confinio virtutum sunt vitia, sic ratione rectâ moderatus est, ut virtutis vim ubiq; redolerent. Ira dolorem animi arguit: itaq; si corrigendi animo quis aliis irascatur, in magistratu, in præceptore, in patrefamilias ira vitium est. Quia nõ ex affectu agunt; sed ut ratio & caussa honestatis præscribit. Et qui non irascitur, neq; videtur sentire, neq; dolore adfici, neq; esse idoneus ad ulciscendum. Ergò irasci sæpè Chytræum necesse fuit. Deinde cùm illud Plinii verum esse agnoscamus, quicquid non est peractum pro non inchoato est, si posteritatis rationem habeas; utiq; rectè nulli labori pepercit vir prudens, qui absoluta, quæ posteritas legeret voluit esse omnia. Laboriosus ergò vitio ambitionis, quâ ille prorsus caruit, non fuit.

Dissimulatione, ubi ita opus fuit, ad multitudinem usus est, sed coram intelligentibus omnia apertè dixit & enunciavit. Veritati plus quàm opinioni cuiusvis tribuens.

Cunctator fuit, magni quia judicii homo fuit, quippè nil nisi rectam rationem spectabat, fontem originemq; virtutum. Et sanè leviter judicare res magnas, imperiti est: & præcipitanter, injusti est. Sed qui infamiam levitatis & imperitiæ timet, modestus seu ἐπιεικὴς est. Deinde Magnanimi motus tardus est, vox gravis, & loquutio stabilis.

Magnum porro agnoscimus Dei beneficium, quod cui εὐφημία, hoc est, bona & honesta fama contingit: quæ liberis jam eius alterum erit patrimonium; eidem Deus etiam concesserit εὐθανασίαν, votoq; CHYTRAEI satisfecerit, quod decurso vitæ spacio in summis laboribus, vigiliis, curis & molestiis tàm placidè obdormierit, ut nullum planè mortis sensum habuisse videretur.

Si ex operibus sapientia æstimanda est, uti planè est, & meditatio mortis plena demùm sit Philosophia: magnam profectò in DAVIDE CHYTRAEO agnoscimus hoc ipso vim sapientiæ. Magnis quippè ingeniis nunquam cara est in corpore mora, exire atq; erumpere gestiunt, ægrè has angustias ferunt, vagi per omne sublime, & ex alio adsueti humana despicere, inde est quod Plato exclamat; sapientis animum totum in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem. Noster ergò præceptor non solùm multos jam ante annos in cogitationem mortis eiusque diligentem meditationem, libro de vita & morte, elegantissimo pariter & utilissimo conscripto, morbis cum aliisque casibus acutiùs affligentibus descendit: sed hanc quoque vocem indies manè & vesperi repetivit.

Vixi, & quem cursum dederas, pie Christe, peregi.

Scitum est illud Senecæ epist. 107. nemo non fortiùs ad id, cui se diu composuerat, accessit, & duris quoq;, si præmeditata erant, obstitit: at contrà imparatus etiam levissima expavit. Nos verò, qui doctrinæ cœlestis virtute instructi & imbuti sumus præceptis, certamque nostræ salutis rationem novimus; id possumus, magnum sumere animum & viro bono dignum, quo

M. DC. fortiter fortuita patiamur & naturæ consentiamus. Quemadmodum verò miles, mercenarius mortis, in acie constitutus, mortem, ad quam velut præsentem se jam jam præparavit, non timet: sic strenuus hic Christi miles DAVID CHYTRAEUS semper sic omnem cogitationem subductam habuit, ac si illâ ipsa horâ sibi emigrandum esset. Interim bonam militavit militiam retinens fidem & bonam conscientiam, & id cavit, ne quid sibi inopinatum esset. Etenim ut mortis meditatio pœnitentiaque vera nunquam fuerit sera, in supremam dilata diem talis, qualis esse debeat, admodum est rara: sic admodum sit necessarium, ut saltandâ fossâ paulò retrò cessisse; ita extremo obeundo die mori priùs didicisse. Memorabilis ergò est in CHYTRAEO assidua mortis meditatio, quâ pavores intus & pugnas foris magnâ in Christum fiduciâ vicit; utrobique fidem & bonam conscientiam retinens. Quæ summa bona etiam in extremo agone mortis plurimùm ipsum consolata sunt: Fide Christum apprehensum retinuit, in eiusque meritis vitam & salutem æternam adeptus est, bonâ conscientiâ Deo acquiescens id effecit, ut non mori, sed obdomire; non morte cogi, sed sponte abire: non deficere, sed lassitudinem senectutis deponere visus fuerit.

Die 22. Iunii vocatus à CHYTRAEO per aliquot horas post meridiem ipsi adfui, variisque de rebus collocuti sumus: inter cætera talia quædam commemoravit, ex quibus mortem ipsemet sibi vaticinari visus est. Absolvi, inquit, historiam centum annorum, & colophonem huic labori imposui, nec ampliùs scribam. Cùm ego dicerem me Deum precari, ut diutiùs superstes sit; in cœlesti, excepit ille, patria ero. Deinde gravi se laborare catarrho conquestus est, qui suppressis faucibus ferè eum suffocaret; rogavitque ut sibi bonum medicum indicarem. Deus novit medelam, respondi ego: rectè dixit ille, & is medicinam mox adferet, citam nempè mihi mortem. Has ego voces non temerè prolatas conjiciebam facilè, sed tamen ex meditatione diuturnâ eum magis eas protulisse putabam, quam ut mortem adeò sibi propinquam existimarem. Siquidem omnibus sensibus integris & adeò tenaci memoriâ fuit, ut ubi libellum impactum inter multas chartas seposuisset, suo filio Davidi indicare potuerit. Verum enim sic comparatum est, magni viri quò propinquiores morti sunt, eò diviniùs vaticinari solent.

Postridiè graviùs catharro laborare cœpit festo die Ioannis, cœnam, adhuc mensa adsidens cum suis velut ipsis valedicturus, sumpsit. Nam suavis erat pater & suorum amantissimus.

Die 25. Iunii qui ipsi decretorius fuit, cùm catarrhus graviùs præcordia occupasset, DAVID CHYTRAEUS ante meridiem, postquam doctissimum & clarissimum M. Ioachimum VVestphalum pœnitentiarium suum ad se accersiri curasset, eique præsenti affirmasset, se nunc postremam Orthodoxæ religionis & fidei suæ confessionem denuò repetere & edere velle; & licet multiplicia & varia peccata sua non ignoraret, sed lubens cum regio Propheta Davide ex Psalmo 51. quem aliàs integrum devotissimè recitare, & confessioni suæ inserere solebat, coram Deo agnosceret & deprecaretur; tamen se peccata omnia ex conspectu suo nunc prorsus amovere: & solummodo Iesum Christum crucifixum, velut agnum DEI tollentem peccata mundi, & in cruce orantem, pater remitte eis; & dicentem, CONSUMMATUM est, intueri velle, hac firmissima fidei πληροφορίᾳ, Credere sua peccata & transgressiones omnes sibi à Deo patre φιλοστόργως, propter illud sufficiens λύτρον etiam pro peccatis suis persolutum, certissimè remitti & condonari.

Hac

V

Hac maximè piâ confessione editâ, cùm jam dulcissimam absolutionis vocem audivisset, sacrosanctum corpus & sanguinem Christi devotè accepit, veluti certissima communicatæ absolutionis, & vitæ æternæ ac salutis consequenda sigilla & pignora, & serio motu cordis ac indubitata fide se hæredem vitæ æternæ futurum, gratias Deo egit, atque sic divinæ se potentiæ totum commisit, memorabilem vocem, simul ac animæ cibo refectus erat, ad suos & Dn. Pastores dicens, Nun sind wir Gott lob wol verwahret / Iam benè præmuniti & salvi sumus. Quid enim magis jucundum, quàm creatorem rerum Dominum sese creaturæ communicare? Quid optabilius, quàm æternitatis bono frui? Quod denique præsidium animæ corporisque firmius & majus, quàm est S. Trinitatis & venerandæ divinitatis subsidium? quæ tanto mysterio communicato, in pectore hominis Christiani habitare non dedignatur. O Christiani quantum habetis bonum, quibus ipsa divinitas cohabitat & summum impertit bonum. Tandem sacrâ cœnâ jam peractâ, & gratiarum actione & benedictione quæ post S. cœnæ administrationem usitato Ecclesiæ more, Christo Salvatori nostro pro summo communicati corporis & sanguinis beneficio fieri solet, recitatâ, læto animo & ore ipse jussit filium suum Davidem clarâ voce pronunciare Psalmos, videlicet 145. Exaltabo te Deus meus, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi, &c. Et 121. Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Quo finito tandem dixit. Et hic fidelis custos Israel pro me vigilabit & custodiet introitum & exitum meum, & sic tutus ambulabo. En vis Spiritus sancti quàm præsens quàm efficax? En fides verbo & Spiritu Dei illuminata, confirmata, constabilita, quos & quàm mirabiles habet effectus in pii & sapientis viri pectore? jam dissolutio corporis & animæ fieri debebat, jam D. CHYTRAEUS Deô Salvatori suo vel maximè animo simul & corpore conjungi cæpit; quippe spes resurrectionis vitæque æternæ, qua corpus & anima potiretur, affulsit, mentemque erexit firmissimè. Iam cùm terrores mortis, peccati, Diaboli alios vel in primis perturbare solent, D. CHYTRAEUS confidenti planè est animo. Nam immotæ petræ Iesu Christo firmiter insistebat. Sine me nihil potestis facere; dixit ille, qui mentiri nescit. Quid verò majus hominis opus? quid quæso difficilius? quàm ut creatura se creatoris gaudio perfrui sibi persuadeat, & peccator se divinæ gratiæ munimine tutum sentiat & fateatur. Hoc ergò totum magnus ille Iehova, justicia nostra, in D. CHYTRAEO operatus est. Sequamini, sequamini Auditores pium hoc dogma, & memorabile exemplum, quod D. CHYTRAEUS in meritis Iesu Christi, magna fidei constantia & veritate promissionis sibi applicata, mori voluit & mortuus est. Post hæc familiariter adhuc cum pœnitentiario suo aliquandiu, in præsentia reverendi & clarissimi viri D. IOANNIS FREDERI, generi sui carissimi, pro tempore magnifici Rectoris, & postea cum aliis, locutus erat, dulcissimas de septem Christi in cruce dictis meditationes suas, quas ante in hunc potissimû usum in peculiari patente pagina cum imagine crucifixi Christi sibi edi curaverat, ut & actione sacræ cœnæ hasce præmittebat; ita jam denuo à filio sibi prælegi & aliquoties repeti curavit, ut se is non tantùm consolari, sed & impetum mortis quam jam priùs accedere sentiebat, eò animosiùs, constantiùs, fortiùs & feliciùs, sustinere & superare posset, quò veterator ille Sathanas cor sancti hominis tentare & perturbare in agone mortis solet audaciùs. Post meridiem autem Theologi & pii viri, reverendi & clarissimi D. Lucas Backmeisterus, & D. Valentinus Schachtius ipsi adfuerunt, quos divinæ consolationis verba sibi recitantes, lubenter & attentè

M.DC.

M. DC. attentè audivit, & se plurimum dictis eorum, maximè D. Superintendentis delectari & confirmari ostendit, atque cùm vox catarro interclusa, ope medicorum non nihil levaretur, clarius etiam, quæ intentio animi ad Deum directa quæ constantia, quæ πληροφορία & efficatia divini verbi in se esset, verbis nutuq; demonstravit; & multa veræ invocationis, pietatis & fidei signa edidit, tum gemendo, tum oculos in cœlum attollendo, tum ad pronunciata divinæ consolationis Amen respondendo. Et postremo cum circa horam nonam vespertinam prænominatus M. Ioachimus VVestphalus ipsi ex septem Christi dictis, ultimæ valedictionis loco repeteret illud efficacissimum Christi, Consummatum est, quod pro omnium hominum salute in ara crucis pronunciavit: & ultimum omnis præmeditationis complementum, Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, sæpius inculcaret, eumq; hortaretur, ut nunc cum S. Iobo, firmissimâ in Christum fide, diceret; Scio quod Repemptor meus vivit: & cum D. Paulo, Mihi vita Christus est, & mors mihi lucrum; cupio itaq; dissolvi & esse cum Christo. πολλῷ γὰρ μᾶλλον κρεῖσσον; & sic Deo patri in manus suas corpus & animam commodaret: Hæ voces latenti sua energiâ, operante Spiritu sancto, sic in cor D. CHYTRAEI penetrarunt, ut quasi reviviscere videretur, assiduis nempè cuius pectus hisce meditationibus occupatum fuit: Itaq; ore composito, manu prolatâ, nutuq; evidenti hæc in corde suo cuncta reposita coram omnibus astantibus manifestissimè demonstravit, declaravit, & confirmavit, se hæc firmiter credere, cupidè expetere, & adjuvante divinâ gratiâ omnem hanc pugnam placidè trasigere. O quantum bonum rectè mori! O beatitudo vera Deo, eiusq; veritati acquiescere posse! Atq; hæc vos pastores vigilantissimi, qui præsentes adfuistis indubitato testimonio confirmastis.

Circa horam Deinde duodecimam noctis, in fine diei, qui S. Elogio sacer est, & perpetuum CHYTRAEO pietatis, virtutis ac æternæ gloriæ elogium confirmavit, finem vivendi fecit; & sub initio sequentis Diei natalem æternæ vitæ habuit: & quidem præsentibus domesticis aliisq; amicis, cum se velut ad somnum capiendum composuisset, manuum complicatione, qui ad Deum gemitus, quæ preces sui animi, quæ vota essent admirantibus iis, qui adfuerunt, ostendit, & placidè animam absq; ullo sensu doloris æterno Patri in vulneribus Iesu Christi, virtute Spiritus sancti in ipso id operante, commendavit.

Sic DAVID CHYTRAEUS, magnus ille Theologus, egregius Historicus, Philosophus insignis, Poëta non insuavis, Orator eximius, fato & naturæ concessit, & ex hac valle miseriarum decessit; imò nos, qui mox secuturi sumus, præcessit, & in cœlestem Academiam emigravit, ubi vivit, viget, liber est, supra hominem est. O mi DEUS, quanta est illa vitæ jucunditas, qua nunc fruitur? hem quanta lætitia Paradisi videt Sanctæ individuæ Trinitatis essentiam, quam hic explicare nullus potuit. Videt Christum à dextris patris sedentem, cuius majestatem intelligere plenè nullus potuit. Videt sanctos Angelos, sanctos Patriarchas, suos præceptores, cum iis jam conversatur. O gaudium verum! O gaudium perpetuum omnem humani sensus captum exsuperans! hoc fruitur & potitur ille, qui multos ad salutem erudivit. Talia enim Deus, præparavit iis, qui ipsum diligunt, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt unquam. Quæ gaudia ut Deus & nobis universis & singulis benignè in Iesu Christo, virtute Spiritus sancti tribuat: vota, quâ possum animi summa intentione, nuncupo.

In Gal-

M.DC.

IN Galliis Rex divortio cum Margarita Valesia à Pontifice approbato, Mariam Medicē ex Italia sibi sponsam asciverat. Quia verò cum Sabaudiæ Duce nondum ob res repetitas & non redditas, conveniebat: bellum id prius conficere decrevit, ac brevi etiam confecit; cuius historia singulari volumine conscripta exstat: nos præcipua capita excerpta damus. In eâ pace, quam inter Hispaniæ & Galliæ reges factam suprà exposuimus, Sabaudiæ Dux, cuius Legatus, Marchio Lullini tractationi interfuerat, comprehendi petiit: quod & obtinuit, ea tamen conditione, ut res quæ ea pace non decisæ, sed adhuc inter Regem Franciæ & Ducem controversæ erant, judicio Romani pontificis, intra anni vertentis spacium deciderentur. Pontifex qui neutrum offendere vellet, hacque in re lupum auribus, quod dicitur, teneret, primum amplius ad deliberandum spacium postulat, quo & ipso elapso, sententiam ferre, ne alterutrius causæ præjudicare videretur, recusavit, utque inter se controversias amicè componerent, utrumque per literas & internuncios est hortatus. Cui rex respondit, se tam respectu Romani Pontificis, quem reverenter coleret, quàm pacis causa, cuius adprimè esset studiosus, libenter & æquo animo accepturum, quod Dux in medium esset allaturus, ut controversia inter ipsos de Marchionatu Salussano sopiri posset. Dux quoque ut ostenderet sibi in animo esse Regi satisfacere: ad Regem misit Brettonum Equitem, qui quanto studio pacem Dux cuperet declararet. Hic ad ducem reversus, retulit, ipsum sine ullo periculo ad Regem adire posse, spemque ei fecit, à regis facilitate, quod vellet, consequuturum, si ei priùs de Marchionatu satisfecisset. Hac spe inductus Lugdunum Dux profectus est, comitatus plus mille ducentis nobilibus, quos ex suis regionibus convocârat: inde navibus, quas ibi instrui jusserat, Ligeri fluvio Aureliam est delatus: indeque celeribus equis Fontem Bellaquæum contendit, cum Nemursio Duce, quo ei Rex obviam miserat. Ibi Dux habitu lugubri amictus, paucis comitantibus (nam major pars eorū qui ipsum deduxerant, Lugduni subsistere jussa erat) à Rege honorificè comiterque pro more gentis, exceptus est & tractatus: nec Rex vel verbo mentionē fecit eius rei, propter quam Dux venerat, à quo interpellatus de negocio, id ad suos consiliarios rejecit: & regis quidem nomine Maximilianus Bethunius, Dominus de Rosni, contulit cum eo, cui Dux id mandaverat. Quum autem Dux ex hoc colloquio non eam facilitatem, quam fortassis sibi promiserat, invenisset, atque angeretur, quòd honorificè ad suos redire vix posse sibi videretur; timeret etiam, ne aliquid promittere vel signare cogeretur, cuius postea ipsum pœniteret: Rex hac de re admonitus, Duci significari jussit, securo esset animo, nullam ei vim illatum iri, sed tam liberè domum redire posse, quàm in Franciam venerit, fidem ei datam se inviolatam servaturum: quinetiam si timeret sibi Dux, ad fines suæ ditionis usque deducturum. Dux tamen, ut Regi etiam gratificari aliquid velle videretur & tantò honestius è Francia discedere posset: die Februarii vigesima sexta promisit Regi, intra primum proximè sequentis mensis Iunij diem, se Marchionatum Salussanum redditurum, sic ut eum occupaverat; aut eius loco se traditurum Regi intra dictum tempus Bressam, Pignorolum & Valles: fuitque hæc transactio solenniter ab utroque consignata. Quum autem ad suos reversus Dux se coactum signâsse contractum cum Rege initum diceret, & promissa revocans, negocium in longum protraheret: Regis arma adversus se concitavit, ut quod è volente non posset, vel ab inuito per vim extorqueret.

Quum

M. DC. Quum septuaginta dies ultra terminum præfixum expectasset: Duxque interpellatus, significasset Legati sui verbis stare non velle: Rex Lugdunum profectus, animum ad bellum gerendum adjecit. Interea Sabaudus aliam moram impetrat: Sed quum nec intra illam quidquam fieret, Rex scriptum edit, quo non se, sed Ducem belli auctorem testatur, ut pote qui Marchionatum Salussanum Francorum regibus per vim ereptum reddere nolit.

Quum autem nec hæc belli denunciatio Ducem moveret: jussu mandatoque Regis occupata sunt duo præcipua Bressæ & Sabaudiæ loca, per Bironium Marescallum Franciæ, & Desdiguieræum, gubernatorem Delphinatus. Bressa protenditur in longitudinem ad miliaria triginta, toto triente longior, quam latior. Ad Orientem Dæna flunio, agro Nantuensi & Mauriciano clauditur: ad occidentem Sarna fluvio & territorio Matrisconensi disterminatur. Ad meridiem Lugdunensem provinciam habet: ad septentrionem, Burgundiæ Ducatum. Aeris clementia terræque fertilitate imprimis commendatur. Burgum Metropolis eius est: cui apposita est arx, inter munitissimas Galliæ meritò censenda. Ea ergo nocte quæ decimum Augusti diem (quo terminus Duci præstitutus finiebatur) sequuta est Burgum aggreditur Marescallus Bironius mille ducentis militibus comitatus. Eorum partem scalas muris applicare jubet, partem Helepolidem (Petardum vulgò) portæ admoliri. Dum præsidiarii ad hostem muros jam ascendentem dejiciendum frequentes accurrunt; ij qui ad portam relicti erant, igne subjecto eam effringunt, aditumque sibi patefaciunt. Marescallus, uno tantum milite amisso, oppidum ingressus, prædari suis prohibuit, jussitque suos duces sequerentur: quibus mandatum erat, eos repellerent, qui resistere, aut viam qua ad arcem iter est, præcludere vellent, quam invadere occupareque statuerat. Sed quò minus id tum statim efficeretur; semitarum ignorantia, noctisque obscuritas obstitit. Oppidanis vitam, honorem, fortunas salvas esse jussit, ducentis quoque Helvetiis, qui præsidio oppidum tenuerunt, nullo persoluto lytro discedendi, suaque efferendi veniam concessit: propugnaculis denique arcem cinxit, ut eruptiones obsessorum impediret, obsidionis cura domino sancti Angeli demandata. Eodem penè tempore, Rex ut hostis vires distraheret, Desdiguieræum in Sabaudiam ad tentandum Momelianum, locum totius eius regionis munitissimum, cum lectissimis copiis ablegavit. Sed ut ea quæ in Sabaudia gesta sunt, meliùs intelligantur, non ab re erit his breviter eam describere. Posita est Sabaudia inter gradum 44. & 45. Galliæ Celticæ. Tota ferè montibus attollitur, solo lapidoso, humido ac frigido, ac proinde frugum non ita fertili; quas tamen ad incolarum usum sufficientes gignit. Limes eius à latere septentrionali est Rhodanus fluvius, qui eandem ab occidente quoque alluit. Ab oriente Alpes habet. Delphinatus autem meridionale eius latus claudit. Isara præcipuus est Sabaudiæ fluvius: Momelianum unum est præcipuorum celebriumque Sabaudiæ oppidorum, quod medium inter vicinos montes, plano æqualique loco est situm, Isara fluvius oppidum alluit, eiusque civibus multas adfert commoditates. Oppidum ipsum nec spaciosum valdè est, nec civibus frequens, continuo bello attritis. Incolæ simplices sunt & agresti plerumque animo, à literarum cultu non minùs quàm olim majores ipsorum alieni: quod tamen vitium eis cum aliis Sabaudis plerisque omnibus commune est. Momelianum autem celebrius est ob arcem (quæ magnitudine oppidulum adæquat, totique viciniæ imperitat) quam ob commercium aut divitias, aut aliam ob causam. Desdiguieræus, receptis copiis, quas ad arcem oppugnandam convenire jusserat, Crequium generum suum decimo septimo Augusti cum magna parte peditatus, & levis armaturæ

equi-

M.DC.

equitibus præmittit, ipse cum residuis copiis subsequitur: oppidumque à præsidiariis, qui eo deserto, in arcem confugerant, primo adventu statim occupat. Interea Rex ipse in castra venit, constitutisque, quæ in oppido necessariæ erant, rebus, exercitum Chamberiacum, metropolim & Parlamenti Sabaudiæ sedem duxit. Hujus enim belli initio præfecerat MARESCALLUM BIRONIUM expeditioni Bressanæ; Desdiguieræum autem Sabaudiæ: sibi expugnationem metropolis aliorumque oppidorum reservans. Vrbe potitus, militibus in arce permittit, ut nisi intra octiduum Dux obsessis opem ferret, salvi inde discederent. Verebatur enim, ne si oppido statim excessissent: in alia loca, quæ oppugnare decreverat, se conferret; tantoque difficiliorem redderent expugnationem.

Cives ut se dederent, metus coëgit, qui præsidiariorum quoq; (mille & ducenti erant) animos invaserat. Videntes enim Regem cohortibus ad id selectis oppugnationem tentare velle, vitam fortunasque prætulerunt incerto eventui oppugnationis, nec, ut fortes milites decebat, hostium vim experiri voluerunt. Horum exemplum qui in præsidio Myolantii erant, imitati & ipsi deditionem arcis inter horrenda præcipitia, in rupe altissima sita fecerunt. Carbonaria, rupes potiùs quàm arx, quum fortiter aliquamdiu oppugnationem sustinuisset, tandem & ipsa in Regis potestatem concessit. Inter deditionis leges fuit, ut præsidiarii relictis vexillis, discederent. Ea conditio quùm quibusdam displiceret: Gallis arcem tradere, nisi vexilla (honorifica magis quàm fructuosa infelicis militiæ signa) secum efferre sibi liceret, recusarunt: quorum honesto desiderio Rex satisfecit. Sola restabat arx Momelianensis, quæ Gallorum impetum remorari posse videbatur, nec enim cuniculis suffodi, nec scalis admotis invadi poterat: & ab omni tormentorum vi tutam plerique militiæ gnari judicabant. Sed tamen præter hanc Sancatharini quoque (quod firmissimum erat haud procul à Geneva propugnaculum) munitioni Sabaudus plurimùm quoque fidebat. Vtrumque Rex simul & eodem tempore oppugnare decrevit. Sancium ad Sancatharinum mittit, qui Genevenses præstò esse, resque ad oppugnationem, quæ ipsorum commodo fieret, necessarias comportare juberet: ipse Momeliano copias circumfundit. Magnas quidem arcem obsidentibus, oppidum, quod ut diximus, jam antè fecerat deditionem, afferebat commoditates: vix tamen ullus locus collocandis ad arcem converberandam machinis idoneus reperiebatur. Sed omnia potest industria. Tandem enim, diligentiâ maximè & ingenio Ronii viri militaris effectum est, ut triginta tribus, diversis in locis dispositis tormentis & muri urbis arctarentur, & præsidiarii defensione prohiberentur. In descensu unius montium, quos arcem undique claudere diximus, præceps erat collis, vineis consitus, in hujus vertice septem tormenta, lacertorum vi eò pertractâ, prædictus Ronius collocavit, ut iis arcis muri quaterentur, ad pedes verò cujusdam collis duas alias tormentis designavit stationes, tàm contra propugnaculum, Maurosinum vulgò dictum, quàm loca alia, ad quæ ictus pertingere posse videbantur: è quibus etiam quati poterat turris quædam vetusta, formâ quadratâ, ruinamque minitans, quòd olim ab exercitu Francisci Primi, Regis Francorum, fuisset concussa. Circa fluvium quoque duobus locis positæ machinæ displodebantur in inferius propugnaculum, inferebantque damnum iis, qui exire, & oppugnantibus resistere vellent. Hæc majorem quàm ulla alia res timorem incussit obsessis: qui interea (quippe tormentis eorumque apparatu probè instructi) globos & tela in hostem spargere nunquam cessârunt. Rex ergò quum protrahi obsidionem videret, obsessos iterum monet, ut se dederent, nec tot tormentorum impetum exspectarent, aut militum rapacitati se exponerent, quibus nihil magis in votis esset, quàm

M.DC. locum tam celebrem deprædari. Heîc Brandisius, arcis præfectus, non præstitit eam constantiam, quam Sabaudus speraverat. Impetratis enim quinque dierum induciis, tandem cum Rege ita convenit, ut nisi intra menstruum spacium Dux obsessis auxilio veniret, arx dederetur, præsidiarii cum omnibus quæ gestare possent, excederent: & è centurionibus aliquem, qui hæc pacta Duci significaret, mittere liceret. Ita ergò Rex, quum intra vertentem mensem ex adverso nemo comparuisset, arce munitissimâ præter multorum spem exspectationemque, decimâ sextâ Novembris die est potitus, Brandisius, qui hac deditione variis, iisque parùm secundis de se rumoribus ansam præbuit, scriptum edit; quo facti sui rationes explicat, ac nominis sui existimationem & honorem Duello defendere paratum se dicit. Quum tamen Sabaudiæ Ducem non leviter à se offensum animadverteret, venire ad eum recusavit: quæ res suspicionem de ipso conceptam valdè auxit; præsertim cum magnis quoque muneribus à Rege affectus diceretur. Sunt qui existimant, bellum hoc omninò præter opinionem Sabaudo accidisse: qui adultâ jam ætate, animum securum sibi & quietum, nisi quà ab excursionibus, pollicebatur eaque de causa, quæ ad bellum necessaria præparare neglexit. Nihilominùs quum audisset, quo in statu Momelianum esset: exercitum, quantum potest, contrahit, & per vallem Augustæ profectus, ad Emæum castra figit.

Galli hyemis injuriâ vexati, nihil magis quàm prælio decertare cupiebant. Ergò obviam proficiscuntur: & tentare fortunam, utrinque multi interficiuntur, tandem verò Sabaudicæ copiæ equestres maximè pabuli inopiâ confectæ, retrocedere compelluntur.

Rex Desdiguieræum cum parte exercitus Mustiersii relinquit, qui regionem Tarentasiensem ad imperata facienda cogeret; ipse ad oppugnationem Sancatharini propugnaculi proficiscitur. Paulò ante Regis adventum Centurio quidam ex obsessorum numero, Regis permissu inde egressus erat, ut Nemursium Ducem inviseret, qui Regis cum venia, quòd Sabaudiæ Duci adfinitate conjunctus esset, ab eo bello abstinebat. Rex Duci Nemursio mandat, ut dictum Centurionem ad se duceret Lelusellum, ubi tum diversabatur, duobus aut tribus stadiis SanCatharino distantem vicum. Hunc Rex alloquutus, ostendit, quantæ vires suæ sint; quàm exigua obsessis in Duce spes esset: facileque persuasit, ut ad suos reversus deditionem pro viribus promoveret, in quam non multò pòst præsidiarii consenserunt, his legibus, ut nisi intra decimum diem Dux eis tulisset auxilium, armatis, sub signis exire, & bellicorum tormentorum, quæ ibi essent, trientem educere secum liceret. Interea dum deditio exspectatur, nunciatur, Ducem Tarentasia venire: cui obviam proficiscens Suessionensis Comes, priùs de discessu, quàm adventu ejus cognovit.

Sancatharinum propugnaculum, importunis Genevensium precibus solicitatus, everti Rex permisit: ipse Lugdunum magnis itineribus contendit, ut Reginam sponsam suam, quæ nuper ex Italia eò venerat, videret. Hoc felici & inusitato belli progressu, moti Principes & Respublicæ Italiæ, verentesque, ne belli scintillæ ultra Alpes spargerentur, & Italiæ pax turbaretur: Pontificem Romanum hortati sunt, ut bellum inter Regem & Ducem componere studeret. Is nepotem suum Petrum Aldobrandinum, Cardinalem, ad Regem Ducemque ablegavit, ut utrumque ad pacis studium inflecteret, atque ita omnium Christianorum quieti consuleretur. Cardinalis primò

Ducem

Ducem convenit, cujusquam singulare pacis studium intellexisset, hortatus est, ut è suis aliquos ad Regem secum unà proficisci pateretur, qui tractationi interessent, Adjunxit ergò Dux Cardinali Comites, Franciscum Arconatum, & Renatum Lusingium, magnæ experientiæ viros. Hi cum Cardinali Chamberiacum ad Regem profecti sunt, qui 26. Novembris die Nicolaum Brulartum, & Petrum Ioannem Navium deputavit, ut Ducis postulata audirent, eique responderent. Ipse enim, ut diximus, Lugdunum iverat: & de Cardinalis adventu certior factus, ut eò sequeretur se, rogârat. Lugduni ergò de pacificatione, Cardinali sequestro, primùm agi cœptum: quò quum nuncius de everso à Genevensibus Sancatharino esset allatus, Cardinalis tractationem abrupit. Rex de eo certior factus, idque pro novi belli initio habens, exercitui suo omnia hostilia libera esse jussit, ducibus quoque copiarum mandavit, ut arma tàm ad se defendendos, quàm hostibus nocendum parata haberent; permisit quoque Genevensibus, ut demolitionem propugnaculi incœptam perficerent: quòd illi tanto studio fecerunt, ut postridiè ne forma quidem aut primæ ejus delineationes apparerent. Hoc pacto abjectâ omni spe pacis, nullus nisi de armis, equis, pecuniis erat sermo. Quum autem Ronnius Cardinalem inviseret, ut in Italiam profecturo valediceret, is mentionem fecit interruptæ tractationis; rogans, Regi significaret, sibi nihil accidere posse jucundius, quàm ut intermissâ actione continuata firma tandem pax & amicitia coiret: quæ post multam disceptationem in has tandem leges facta est, ut Dux Marchionatum Salussanum retineret, proque eo Regi Bressam, Bangianam & Veronæum valles traderet, cum omnibus locis, quæ sunt inter Rhodanum & Soanam, fluvios. Hanc pacem postea quoque Hispaniarum Rex, etsi nonnullas ejus conditiones rebus suis maximè incommodas diceret, ratam nihilominùs habuit: & sic universæ Galliæ quies est restituta. M.DC.

Circa hoc tempus in Flandria commissum fuit memorabile illud prælium, inter Archiducem Albertum & Mauritium Nassovium, ad Neoportum: quod ita accidit. Albertus & Archidux militem ex omnibus castellis & oppidis Gandavum accersiverat. Inde cum 11000. peditibus selectis, 17. verò signis equitum movet, & primum castellum aliquod à Mauritio unâ legione militum munitum occupat dedentibus se præsidiariis cum pacto de incolumitate corporum & bonorum, quæ asportare possent. Quod tamen pactum ab Hispanis quadam ex parte violatum esse dicitur. Hujus adventu non parùm conterritus est Mauritius, propterea quòd copiæ ipsius distractæ non facilè convenire, nec via aliqua elabendi inveniri posset. Idcircò consilium ex tempore capit, & duas legiones cum aliquot equitibus 11. Iulii præmittit, qui velitando Hispanos retardent. At hi ab Hispanis fusi ad portam, quæ ad urbem Ostendæ est, fugere coguntur. Cæduntur simul etiam aliqui Capitanæi & stipendiarii fermè quingenti. Hac victoriâ incensus Albertus, persequendum esse censet hostem, cujus copiæ jam essent dissipatæ. Factum est ingenti commodo Mauritii, ut aquis desidentibus ac minutis militem traducere posset. Quem ut obsequentiorem haberet, ipse ter quatervè penè ad cingulum usque aquas transigit. Traductis ad hunc modum militibus, aciem bono ordine instruit, & ut animum addat suis, promittit neminem eorum neglectum iri, qui in prælio fortè vulneretur. Cavet præterea, ne quis aufugere possit, omniaque curâ & industriâ summâ disponit. Cùm jam omnia ad pugnam comparata essent, præmisit Mauritius equites 1500. qui obviam irent Hispanis, qui etiam cum illis congressi sunt, cui prælio, in quo Italus quidam ductor militum captus & ad Mauririum ductus, significavit Albertum ad 1700. equites, 11000. pedites habere. Crescentibus autem denuò aquis

M.DC. locus ad prælium aptus à Mauritio quæritur, nempe inter pagos duos, Mitelkercum & Lombardium. Eò igitur adductum exercitum instruit, disponit, & ad conflictum cum hoste præparat. Fit congressus velitaris, sub quo Mauritius duo tormenta majora in montibus duobus, quatuor verò in media acie collocat. Expectatur deinde Hispanorum impressio, quæ atque facta est, eorum 170. qui in fronte aciei erant, depelluntur. Quo viso Mauritius bene sperare incipit, & militibus etiam benignâ adhortatione animum addit. Eo loci jam rem esse inquiens, ubi fugæ nullus sit relictus locus. Ex una enim parte hostem, ex altera mare esse, quæ fugæ spem omnem intercludant. Hispani quidem egregiâ animi alacritate hostem aggrediuntur; sed is non minus fortiter eos vicissim invadit. Confligitur acerrimè dubio eventu ad horas duas, ut quò inclinatura sit victoria ignoretur. Quo autem Hispani vehementiâ majori pugnant, eò confidentiùs Mauritiani repugnant. Et quidem Mauritius ipse indutus galeâ, arreptoque sclopeto in medium agmen sese objicit, & suos hortatur, ut cogitent jam de summa rei certamen esse; ideóque animis quoque opus esse & firmo pectore: non se defuturum esse illis ullo in periculo pollicens, sed omnis discriminis ac periculi socium esse futurum. Quod tamen ne faciat, milites flagitant, se strenuos fore in quacunque fortuna promittentes. Mox Franciscus Veer, Ernestus Comes Nassovius, aliique Ductores Ordinum impressionem tantam in hostes faciunt, ut secedere nonnihil cogantur. Nihilominùs pugnatur utrinque acerrimè. Hispani quamvis territi exoneratis à Mauritianis in se tormentis tamen de suo in hostem ardore nihil remittunt, donec à latere eorum acies dissipetur. Quod facto circumfusi undique consistere ampliùs nequeunt. Idcircò Mauritiani eos insequuntur, & fit strages magna, nonnulli etiam capiuntur, ut de septendecim signis equitum Hispanicorum vix ducenti evadant. Multi quoque ex fuga retrahuntur. Compertum est in hac pugna ad 9000. ab utraque parte cecidisse homines, præda verò & victoria penes Mauritianos fuit. Detracta sunt Hispanis signa centum ampliùs, inter captivos primarius fuit Admirantus de Arragonia, cujus nobilitata est ferocitas in direptionibus horrendis, quas in finibus Germaniæ exercebant Hispani.

Concidêre verò ex acie Archiducis complures viri Illustres: Bastocius Hybernorum tribunus, cum suis penè omnibus centurionibus: Ioannes, Paulus Gabbius, Gabriel Battaglia, Cornelius Mariani, Ioannes Baptista Carisea, Cæsar Calcaneus, Balthasar Suicus, Comes Ferranus, Palavicini Marchionis Comensis filius, Bentivoli Marchionis frater unus & nepos; Bongiovanni eques Melitensis, Comes Latinus, Prata, Septimius de Fabiis: & quidem ex Italicæ legionis signiferis novendecim, sedecim interfecti, duo graviter, tertius leniter est vulneratus. Ex Hispanis nobilissimus quisque & manu promptissimus, fuit desideratus: Rodericus, Garzia & Petrus è Toletana familia, Diego Gomesius & alii, ad ducentos & quinquaginta, magnâ omnes militari experientiâ viri, & fortissimorum ducum animis olim præditi: inter captivos præcipui fuerunt, Franciscus Mendoza Admirans Arragoniæ, Ludovicus Vigliar, Caspar Sapena, Comes Salmensis, Diego Didiaqueus, Alfonsus de Castro, Diego de Torres, aliique magno numero. E Valneribus fuerunt Archidux ipse ALBERTUS, Dux AUMALIUS, ALFONSUS DAVALUS, RODERICUS LASSUS, & alii non pauci. Gregorianum militum ad sex millia cæsa eo die dicuntur. Sed nec incruenta Nassovianis fuit victoria, quorum suprà duo millia variis conflictibus absumpta perierunt; sed salvis interea præfectis, chiliarchis,

&tri-

& tribunis omnibus: præter Franciscum Verium, tribunum Anglicum, & gentium, equitum præfectum, graviter vulneratos: qui brevi tamen convaluerunt. Potiti sunt Nassoviani tormentis sex hostilibus; præter duo, quæ paulò antè amissa, recuperârunt: cum centum & tribus peditum, quinis equitum vexillis. Eam noctem Mauritius in loco, ubi prælium commissum erat transegit: manè exercitum Ostendam versus duxit; ibiq; pro tam insperata victoria, publicè DEO gratias egit Archidux, Brugas se recepit: & inde scriptis ad Ordines Bruxellam literis, rei gestæ ordinem exposuit. M. DC.

Die Septembris 20. anni 1600. ex hac mortali vita in immortalem vocatus est Generosus & Illustris Heros Melchior à Rhedern, Baro Silesius & Eques auratus, Fridlandiæ, Reichenbergæ & Sidenbergæ Dominus, sacræ Cæsareæ Majestatis Rudolphi II. Consiliarius, consilii bellici Præses generalis per Vngariam, Campi Marefchallus, Iaurini præfectus, ac serenissimorum Austriæ Archiducum Matthiæ & Maximiliani Consiliarius, qui ab ineunte ætate in studiis liberalibus, peregrinationibus & militiæ laboribus versatus est.

Mense Octobri nuptiæ inter Henricum IV. Franciæ & Navarræ Regem Christianissimum, & Mariam Medicæam, magni Hetruriæ Ducis filiam, celebratæ sunt: quarum pompam, quantum quidem ad nostram pervenit notitiam, paucis describemus. Dum Rex in Sabaudia bellum prosperè gerit: Lograndium, fidum sibi hominem, Florentiam mittit, qui sponsam accerseret, & in Galliam deduceret. Is quum vicesima Septembr. die Liuorninm appulisset, triduo pòst, Ioanne & Antonio Medicis, cum magno nobilitatis numero, comitantibus, Florentiam est ingressus, ubi ad aream Pythiam pervenit: magnum Florentiæ Ducem obvium habuit; & utrinque factâ salutatione, eundem Regis nomine paucis verbis compellavit: Palatium inde ingressus, eo ipso vespere regiam sponsam accessit, eique Regis literas tradidit. Biduo pòst, qui vicesimus quintus erat Septembris, Duci Legationis suæ diploma exhibuit, quæque alia in mandatis habebat, exposuit. Romæ Sillerius erat, Regis Pontificum Orator, is audito Legati adventu, continuò & ipse Florentiam properavit. Eodem Dux Mantuæ secundo Octobris, & postridiè Venetorum Legatus venit. Quarto Octobris Cardinalis Aldobrandini adventu nunciato; Florentini magno numero ad aream Pythiam confluxerunt: & Duce ipso præeunte, ad portam urbis obviam processerunt: inde Legatum cum Romano & Genevensi reverenter exceptum, magnâ pompâ in urbem perduxerunt. Agmen ducebat Monachorum, aliorumque Clericorum, quos vocant, Ordo: sequebantur apparitores & ministri urbani; inde Cardinalis & Ducis familiares. Post hos quinquaginta Equites hastati, loricis & galeis armati, rubris sagis superinductis, seni equitabant; inde sex tubicines; mox rhabdophori urbani: proximè hos Florentini nobiles Romanis & Genuatibus permisti, à duobus veluti Imperatoribus ducebantur, ocreati quidam, quidam sine ocreis & calcaribus, prout quisque in equum insilierat; sed splendidissimè amicti omnes. Inde muli viginti unus Clitellarii, Cardinalis utensilibus onusti; post hos ejusdem equus rubro holoserico instratus, cum aliis tribus, agebantur. Sequebatur alia nobilium caterva, binis item ductoribus præeuntibus. Post hos proceres Ecclesiastici: inde flos Romanæ nobilitatis, Marchio Corniæ, Columna & alii. Cardinali duo Corynephori bina sceptra aurata; unus verò crucem præferebat: ipse pontificialiter amictus, sub umbella, quam octo Florentini nobiles juvenes gestabant, equitabat. Sinistrum ei latus Florentiæ Dux claudebat; ponè sequentibus sedecim Prælatis, quos Cardinalis Româ secum adduxerat. Agmen quinquaginta alii hastati è prætoria Ducis cohorte clauserunt. Cardinalis Portam jam appropinquans, ex equo descendit, & in genua procumbens, Pacem est osculatus. Inde templum primarium ingressus, dictis precibus ad palatium

M. DC. contendit: post cœnam, præsentibus Florentino, & Mantuano Ducibus; Virginio Vrsino, Ioanne & Antonio Medices, regiis item Legatis, Pontificis nomine regiæ sponsæ est congratulatus. Bidno post, quinta scilicet Octobris, sponsalia magnificentissimè celebrata sunt: eodemque die Duci non ita pridem natus filius sacro lavacro tinctus est, Venetorum Legato suscipiente. Apparente jam nocte, universa aula choreis perstrepebat; inde ad cœnam itum, exquisitissimo & planè incredibili apparatu instructam, non veris tantùm epulis, sed iis etiam, quæ præter oculorum delectationem nihil habent, visebantur Elephanti, oleæ & inprimis Cosmæ Medicæi, qui primus in hanc familiam principatum intulit, effigies, aliaque. Vbi sponsa cum Cardinali, Duce Mantuano, & Florentino (qui ei ad dextram hoc ordine) itemque Mantuani & Florentini, & Virginii uxoribus (quæ ei ad lævam) consedissent: prima fercula illata sunt: quibus remotis, mensa mirabili artificio in duas partes dissiliit, quarum una ad dexteram, altera ad lævam sensim abscessit. Subtus autem alia velut è solo emergebat mensa, bellariis, nectare & ambrosia exquisitissimè instructa: quæ quum & ipsa oculis se subduxisset, tertia, pretiosis lapillis, speculis, aliisque aspectu jucundis rebus præfulgens, & longè lateque splendorem jaculans, successit: quarta inde, licèt multa jam hyeme, Alcinoi hortos, in quibus varii generis flosculi, & arbores fructibus onustæ, cernebantur, mediam æstatem repræsentabat. Vix hæc mensa prodierat: ecce supernè ad utrumque latus binæ nubes emergebant, quarum uni Florentina virgo, Dianæ personam gerens; alteri Eunuchus quidam insidebat; & alternis vocibus dulcissimo cantu, omnium aures mirâ voluptate permulcebant. Omnium oculos tenebat abacus, lilii formam gerens, margaritis & unionibus preciosissimis undique exornatus; & vasis aureis & argenteis, magno numero, onustus. Sequens triduum venationibus, & aliis ludicris certaminibus fuit datum. At nona Octobr. incredibili sumptu Comœdia fuit peracta; quæ & aures & oculos spectatorum admiratione, ac tantùm non stupore opplevit. In primo actu biceps ille Parnassus repræsentabatur, binis fontibus scatens; quorum unus penè in vertice montis, alter ad ejus pedem, supra quem Pegasus volitabat. Inferiori adsidebat Poësis, quæ initium cantu faciebat: cujus vocem mox novem Musæ, monti inclusæ exceperunt, tanta vocis & musicorum instrumentorum dulcedine, ut vix unquam quidquam suavius fuerit auditum. Vbi Musæ canere desierunt: Poësis è monte descendit, prologum quàm suavissimâ voce decantans: eoque decantato, pedetentim montem rursus conscendit, & in vertice ejus consedit. Excipiunt rursus Musæ; quibus canentibus, mons sensim subsidit, & è conspectu abit. In secundo actu primùm sylva quædam novellis & viridantibus arboribus consita cernebatur, sub quibus Cephalus, venatione fessus, cum ministris suis somnum capiebat. Mox cœlo descendit Aurora in nube; ad terram usque pertingente, & quàm suavissimè canere incipit. Sono exciti ministri Cephalum excitant: quem Aurora alloquuta, blandis verbis amorem ejus captat: ipse verò venationis studiis totus deditus ad primam amoris mentionem tergiversatur, & subducit se post virgulta latens: eum verò Aurora insequitur, multis verbis dolorem suum testata: Interea Tithonus Auroræ maritus nube advehitur, & amissam conjugem deplorat. Quum binæ hæ nubes evanuissent, mare liliis candentibus plenum enascitur, ex eo mox Oceanus, Delphino insidens emergit, cui Sol quadrigis vectus occurrit: qui congressi admirantur, quid sit, quòd tam serò dilucescat. Supervenit Cupido, nubi insidens, cujus utrinque latus duæ aliæ nubes claudebant, in quarum una Amor, in altera quatuor alii insidebant, qui, post longum satis Oceani, Phœbi & Amoris colloquium aërem ætheremque cantu mulcebant. Interea Delphinus cum Oceano submergitur, Sol occidit, Cupido cœlum repetit,

repetit, Amore in terris relicto. Tertius actus secundum habuit Cephali & Auroræ congressum: in quo Cephalus, sicut antea, Amori reluctans, ab Aurora iterum se subducebat, inde Nox infernè emergens, Auroræ tarditatem & moram incusabat. In quarto actu terra itidem Auroram absentem requirebat: & habito cum Amore colloquio rogabat, ut Auroram cumque ea diem quàm primùm reducere vellet. Interea Iupiter, tot querelis fatigatus, Mercurium è cœlo mittit, & querelis mederi jubet. Is Amorem in terris repertum secum in cœlum regredi jubet. Subvectis illis, cœlum dehiscit; è quo duodequinquaginta personæ prodeuntes, mirabilem edunt concentum: mox Iupiter apparet, Aquilæ insidens, & Amorem ad Auroram, cui valdè succensere simulabat, è vestigio reducendum ablegat. Dum Amor cum Aurora sermonem miscet, Cephalus accedit; qui Amoris instinctu, tandem Auroræ mirifico amore correptus, cum iis unà in cœlum subvehitur. Tandem in extremo actu Fama producebatur, excelso monti insidens juxta eam præco, suavissimâ voce magni Ducis laudes decantans. Ad utrumque latus octonæ sedebant personæ, præcipuarum Vrbium, quæ Duci parent, arma & effigiem gerentes. Paulatim inde montis tumor evanescit; sedecim illæ personæ descendentes Reginæ congratulabantur, & jubila edunt; Fama cœlum repetit: tandem è monte jam depresso lilium enascitur, aurea corona super impendente. Mythologiam lectoris judicio relinquo. Paucos inde post dies Regina cum classe octodecim triremium Livornia solvit, & ventis secundis usa brevi Massiliam tenuit. E navi egressam Cancellarius, magnâ nobilium virorum frequentiâ comitatus eleganti excepit oratione. Avenionem inde deductam, cives magnifico apparatu, & triumphali curru in urbem introduxerunt. Ad fores Cancellarii sequens Elogium descriptum pendebat: M. DC.

Henricus Quartus, cognomine Magnus,
Henricus Gallus, Pius, Victor,
Inclytus, Fortunatus, Clemens,
Gallicus, Navarricus, Allobrogicus:
Pater patriæ, heros stupendæ fortitudinis;
Exteris formidolosus, juxtà amabilis;
Publicæ quietis auctor: privatæ assertor:
Miles inter strenuissimos, electissimus;
Imperator inter summos egregius:
Rex inter felicissimos, fortunatissimus:
Futuræ ætatis specimen, præteritæ terror,
Miraculum nostræ: conjunx Mariæ Medicææ,
Novæ Clodildæ, atq; ex ea novi Herculis pater,
Quod publica vota flagitant, mox futurus: hodiè
Cum Regina, conjuge felicissima, scito populi,
Decreto Senatus, edicto Principis, Avenionem,
Novam Romam, propitius ac serenus omnium
Ordinum studiis magnis, qui curru, specie ac
Vultu triumphantis sublimis ingreditur.

Lugdunum inde profectam, lætissimisque civium acclamationibus exceptam, Rex paucis comitatus, è bello Sabaudico redux, convenit; ubi etiam 17. Decembris nuptiæ regali planè pompâ sunt celebratæ.

M. DCI.

ANNO M. DCI.



D compescendos in Hybernia motus Regina Angliæ Robertum Devoreusium Essexiæ Comitem anno 1599. miserat, cujus operâ induciæ tandem cum Tironio Comite rebellantium Duce factæ sunt. In his conditiones aliquot erant insertæ, ad quas ipsius Reginæ consensus requirebatur. Quare Essexius magnis itineribus in Angliam ipse contendit: & quamvis jussus subsistere, ad aulam nihilominùs properavit. Ac primò quidem à Regina blandè fuit exceptus; deinde verò consultatione habitâ à senatu, factum hoc ejus cum aliis nonnullis ita malè acceptum est, ut voluntariâ custodiâ, omni dignitate & officiis privatus, tradere se jussus sit. Interea in Hyberniam mittitur Montioius regulus, qui inducias cum Tironio rescinderet, bellumque continuaret. Tam acerbè hanc suam calamitatem tulit Essexius, ut in morbum lethalem inciderit. Domum ergò remissus est, hac tamen lege, ne unquam ad aulam nisi vocatus rediret. Sed & vulgus, cui vehementer gratus erat, ob Essexii captivitatem valdè indignabatur, adeò ut Reginæ Consiliarii caussas, ob quas ille in captivitatem datus esset, publicè proponere cogerentur. Hac ratione quum populus magis iratus esset, quàm placatus, quòd Essexius purgationem sui negatam sibi quereretur. Accusationis capita erant, quòd contra Reginæ mandatum exercitum ad australes Hyberniæ plagas, non ad septentrionales duxisset; quòd cum Tironio secreta colloquia habuisset; quòd è suo comitatu multos equestri dignitate ornâsset, non ignarus, quantoperè ea res Reginæ displiceret; quòd è provincia in Angliam trajecisset, quamvis regiis literis ibi manere jussus esset; quòd denique ultra tricies centena aureorum millia sine ullo ferè operæ precio consumsisset. Ad hæc Essexius ita respondit: cum exercitu se in australes regni plagas descendisse, quòd majores ibi belli gerendi essent commoditates, atque ita facere sibi licuisse vi diplomatis, quo universi belli cura sibi fuerit demandata. Quòd Equites nonnullos creârit, in eo magis Reginæ quàm suum spectâsse emolumentum, quòd scilicet hac ratione eos, qui sine stipendio militabant, alacriores in Reginæ servitio futuros crederet. In Angliam non vocatum se trajecisse multis suis incommodis, nullo verò cum Reginæ, aut regni detrimento, quòd non omnia literis aut nunciis committere auderet. E sumtibus illis bellicis nihilo se ditiorem factum, rationes verò relinquere quæstoribus. Hoc munus non ultrò se affectâsse, sed demandatum, uti bonum decebat subditum, suscepisse; ac facilè laturum, ut quivis alius eum in locum substituatur, qui res iis in locis meliùs administret. Essexii purgatio Reginæ quidem iram aliquo modo leniit, ut liberæ custodiæ ipsi domi suæ gratiam faceret; antiquum verò gratiæ locum, immò ne accessum quidem ad Reginam impetrare nequivit. Cùm Suthamptonio igitur Comite cæterisque amicis, quos multos habebat, deliberare cœpit, quónam modo de inimicis ultione sumtâ, aulam ac Reginam in suam redigeret potestatem. Habebat ille à secretis hominem cæteroqui multæ doctrinæ, sed violenti ingenii, qui illud Lucani frequenter Comiti occinebat; Arma tenenti omnia dat, qui justa negat: itemque illud: Multa fieri prohibentur, quæ facta tenent. Consilium hoc (ut facilè homines ambitiosi speciosa, quamvis deteriora sequuntur) amplexus Essexius, ac popularis favoris spe subnixus, jam magnum aliquid ausurus videbatur: cujus rei quum indicia quædam ad aulam promanâssent, 7. Februarii per libellum in aulam vocatus est Essexius; sed ille periculum prætendens, terminum prorogari sibi petiit. Postridiè convocatis amicis & clientibus, quid factu optimum sit deliberant: quod ubi in aula est nunciatum, è vestigio quatuor magnæ auctoritis Senatores ad eum mittuntur, qui ad pacifica eum consilia flecterent, & blandis

blandis verbis ac pollicitationibus in aulam pertraherent. Hos ille præcipiti consilio, præter omnem exspectationem (nullæ enim cum his ipsi simultates, immò cum duobus satis arcta intercedebat cognatio) collocatis ad ostium sclopetariis, in conclavi, quò eos admiserat, tanquam in custodia asservare non dubitavit: ipse collecta suorum manu, ad urbem rectà contendit, quacunque ibat, vitæ suæ insidias strui vociferans. Rumor hic ubi in aula percrebuit, continuò ministri publici & præcones mittuntur, qui & seditiosos comprehenderent, & publicè hostes ac perduelles proclamarent. Apparuit hìc quàm parùm vulgi studiis fidendum sit. Etsi enim antè multis ille sæpè acclamationibus in urbe exceptus fuerat, ejusque virtus ad cœlum usque vulgi sermonibus efferebatur: nemo tamen ex universo civium numero ad eum se aggregavit, immò plerique omnes præconis voce excitati, arma contra ipsum expediverunt. Sic igitur destitutus, domum suam, quæ in suburbio est inter urbem ipsam & regium palatium, repetere decrevit, sed ab armatis ad portarum custodiam collocatis repulsus, vulneratis suorum aliquot, Tamesis fluvii beneficio per posticum in ædes suas evasit, quas ubi undique positis etiam tormentis, oppugnatas vidit, cum omnibus (ad centum erant) sese dedidit. Elapsis diebus aliquot, Comites Essexius & Southamptonius pro tribunali ad caussam læsæ Majestatis dicendam sistuntur: quumque objecta crimina non satis diluerent, 25. procerum, sive, uti loquuntur, Parium sententiis sontes judicati, capitis damnantur. Vterque quidem multis verbis protestabatur, nunquam sibi animum fuisse quidquam contra regiam Majestatem attentandi: & Southamptonius quidem judices orabat, ut apud Reginam pro ipso intercederent; Essexius verò, ut erat vasto animo, non quidem eam se aspernaturum, non tamen ullis precibus implorandum morteque potiùs alacriter subiturum, animosè magis quàm utiliter respondit. Lata sententia, tàm amici, quàm inimici, Essexii inulta, hi ad exitium, illi ad salutem ipsius moliti sunt: inter cæteros Lelus quidam audacissimi, nec minùs periculosi consilii delatus & convictus (cujus hìc scopus erat, ut observatâ satellitum aliorumque infrequentiâ, ad Reginam irrumperet, vi ac metu ad liberandum Essexium adducturus) ut proditor laqueo est strangulatus. Regina diu fluctuanti animo, modò ad gratiam, modò ad severitatem propendebat: donec tandem ipso Cinerum die supplicium de eo sumi jussit, misso ad id EDVARDO DARRIO. Sic ergò productus in aream quandam turris Londinensis, culpamque fassus, sine ullo metus indicio cervicem securi subjecit, amputatoque tribus ictibus à carnifice capite, vitam finivit. Idem supplicium de Christophoro Blontino, Essexii vitrico, & Carolo Daverio nobilissimo genere viris, sumptum est: Merricus verò Essexii aulæ Magister, & Henricus Cufius à secretis, quòd ad tam temeraria ac violenta consilia Comitem impulissent, laqueo priùs gula fracta, in quatuor partes dissecti sunt. Southamptonio vitæ gratia facta est; cæteri, ut Comes Rutlandiæ, & Bedfortii, Cromuelius, Sandoisius, Monaiglius, alii, vel domi se continere jussi, vel pecuniâ mulctati. M.DCI.

Mense Iulio anni 1601. Ferdinandus Archidux Austriæ, & Carinthiæ Dux Stiriæ & Sarniolæ, occupatum superiori anno Canisium omni ope ac opere recuperare instituit. Ad quam quidem rem auxilia Cæsaris, Pontificis Romani & Hispaniæ Regis sibi adjunxit. A Pontifice quidem circiter 13000. virorum impetravit; à Cæsare verò consilio & omnibus rebus necessariis adjutus est.

Prima

M.DCI. Prima verò in hac expeditione querela de Pontificiorum militum petulantia & rapacitate erat, quam in transitu exercuerant. Ductores habebant hi Mantuæ Ducem & Ioannem de Medices, qui mense Augusto unà cum Ferdinando Austriæ Archiduce & fratribus ejus castra ad Muram & Dravum confluentes posuerunt. Inde Hispanicis copiis aucti ad 25000. equites & pedites, ad obsidendum Canisium progressi indies singulos cum hoste velitati sunt. Mantuæ verò Dux, & Ioannes Medices cum sclopetariis 2000. & duobus signis equitum circa Canisium volantes locum ad munitionem aptum sibi delegerunt, unde detrimenti plurimum hostibus darent. 16. Septembris munitione quadam Turcorum extra Canisium potiti sunt, in quam tempore nocturno aliquot machinas fulminales introduxerunt. Tum ponte 100. passuum supra aquam palustrem exstructo, exercitum totum, Pontificiis tantùm exceptis, traduxerunt, & proximè urbem castra collocârunt. Inde Canisium ipsum trifariam tormentis verberârunt, & turrim in medio castro situm demoliti sunt. Turci contrà Christianis acerrimè restiterunt, & quæ illi destruxerant, ea ipsi celeritate maximâ reparârunt. Post dies aliquot suburbium à Christianis occupatum est, & impetus major in Turcos factus. Ad 28. Octobris, tribus ante lucem horis tentata est à Christianis acerrima expugnatio, undiq; accurrentibus per lacunas militibus, datoque signo à tubicinibus & tympanistis displosa tormenta sunt, & primarii quidam Turci necati. Conflictus id temporis fuit acris, quò ex utrâque parte multi interierunt. Transeundum erat Christianis per lacunas, in quibus nonnulli ad collum usque demersi minùs progredi potuerunt. Itaque cùm diu admodum certatum esset, nec pons ad transitionem fabricatus collocari rectè propter impressionem Turcorum posset, signum receptui datum est, & omissa uberior oppugnatio. Posteà arcis deditio petita quidem est à Ferdinando, additâ comminatione, ut solet, si vi expugnaretur ea, fore ut nemini parceretur. Sed Turci nihil responderunt, fulcatum ensem duntaxat ostenderunt. Ad Idus 4. Octob. Rusvvurmius militum tribunus, confecto feliciter bello ad Albam regiam, festinatione omni cum suis copiis subsidio Canisium oppugnantibus profectus est. Spes erat magna in consilio, fortitudine & felicitate hujus Ducis posita, sed obstitit optimis illius conatibus primùm tempestas horribilis ventorum, imbrium & frigoris. Tùm conflictibus acerrimis ad Albam regiam milites ejus non parùm defatigati & debilitati erant: Accedebat etiam hoc incommodum, quòd tentoria post se relinquere coacti erant. Quibus incommodis tàm duriter afflicti sunt, ut eorum circiter 3000. perierint. Nihilominùs fortis ille Dux tam consilio, quàm operâ juvandos Christianos in obsidione difficili & arduâ esse, penitùs sibi persuasit. Idcircò advocari concilium petit, ut quâ ratione obsidio instituta sit, & quâ spe continuetur, cognoscat. Auditi sunt ordine ductores atque præfecti, satisque intelligere optimus Dux potuit, Ferdinandum quidem nullis impensis nullique operæ pepercisse, sed consilium & industriam ductoribus defuisse. Cùm igitur ipsius etiam sententiam requireret Ferdinandus, ingenuè dixit, sibi videri omnem operam & impensam in ea obsidione frustra esse susceptam; cùm hostibus luce exire & commeatum importare licuerit, nihilque illis detractum in eum usque diem fuerit, sed potestas potiùs sese muniendi concessa sit. Quòd si navare aliquid & efficere vellent, de integro obsidionem & quidem longè alio modo instituendam esse. Etsi autem protestatus est, ea, quæ acta jam essent, ad se minimè pertinere, multoque minùs discedendi consilium sese probare: tamen summum studium, fidem & operam cum constantia summa pollicitus est, nec laborem aut periculum ullum sese subterfugiturum esse spopondit. Hæc cùm dixisset, abscessio decreta est, quæ ut minus turpitudinis haberet, Rusvvurmius suis equis tormenta bellica ex cœno extrahere cœpit. At cùm à cæteris destitu-

tuere-

M. DCI.

rueretur, desistere & ipse coactus est: dedit tamen operam, quoad ejus facere potuit, ut ea contunderentur, diffinderentur & comminuerentur. Currus duntaxat aliquos pulvere tormentario onustos secum abstulit. Miratus est autem obsidionem nullo consilio, nullâ ratione susceptam, tam diu continuatam esse, deprehenditque Ferdinandum in loco periculi plenissimo constitutum, summâ patentiâ inertiam suorum Ducum tulisse. In receptu sive discessu Itali primas partes sibi concedi voluerunt, quas etiam obtinuerunt. Rusvvurmius verò & Herberstenius retroguardiam de sententia ac voluntate Ferdinandi tenuerunt, qui etiam tentoria & alia in castris relicta combusserunt. Aegrotos verò & vulneratos magno numero, præsertim Italos, post se relinquere coacti sunt. Post omnium abitum etiam Rusvvurmius cum suis discessit, quemadmodum ipse ad Archiducem Matthiam scripsit, die 21. Novembris anno Christi 1601. Ajunt, Bassam & Turcos ter voluisse arcem Christianis dedere, sed prohibitos esse à VVallonibus, qui demissos eorum animos erexerint, & spe victoriæ certæ confirmârint.

Die Septembris nono hujus anni Cæsarianus exercitus Albam regiam obsidere cœpit, duce Mercurio, tribuno militum, Rusvvurmio, Collonitio, Althæmio, Starenbergio, Geisbergo, & aliis copiarum provincialium ductoribus. Est autem urbs illa naturâ sic munita, ut undiq; septa sit ad milliare dimidium. Suburbia habet duo, per quæ aditus ad eam patet, cæteris partibus invia putatur. Cùm autem Rusvvurmius castra ad urbem propiùs movere non posset, accuratè perquisivit ex transfugis Vngaris, & agricolis, in qua parte urbis putarent hostes esse securos maximè, ut invadi possent commodissimè. Hi responderunt unâ mente, & unâ voce, nunquam auditum esse, quenquam paludosa, muscosa & uliginosa illa loca transiisse, nec fieri etiam posse, ut quisquam penetret. Cùm autem cognosceret Rusvvurmius, transitum à nemine tentatum esse, tentare voluit ipse primus; itaque exploratorem unum atque alterum emisit, qui revertentes renunciârunt, fieri posse, ut unus & alter transiret, & ad suburbium penetraret. Hoc cognito, Rusvvurmius sic ratiocinatus est: Si unus & alter transire potest, penetrabunt utique etiam plures. Mox viros mille levioris armaturæ delegit, quibuscum asperam illam, & squalore undique obsitam viam aggressus est circa vesperam, invenitque eam multò profundiorem, quàm putârat. Alibi enim ad diaphragma usque, alibi supra collum nonnulli eorum immersi vix extrahi potuerunt. Gestârunt autem secum arundinis manipulos, quicus profundiora loca replerent, quæ transiri alioqui nullo modo potuissent. Ac in transeundis paludibus horas totas novem consumi per milliare scilicet dimidium oportuit. Nec tamen ullis militum debilitatâ virtute, aut fracto animo visus est esse. Fuit in hoc numero militum VVabacurtus ille, cujus nobilitata est fortitudo in recuperatione Jaurini, ubi primus viam aperuit, & in perrumpendo cæteris sese conjunxit. Inprimis verò animum attulit generosis illis militibus aspectus, præsentiaque Rusvvurmii, qui periculi omnis socius fuit, nec laboris quicquam ulli militum imposuit, quod ipse non unà sustinuit. Ventum est unâ horâ ante lucem ad suburbium Sigetum, ubi tamen centum non ampliùs viri consistere propter limum & cœnum mollius potuerunt. Hi quamvis pauci numero, ante lucem tentandam rem esse arbitrantur. Citiùs enim lux eos oppressura videbatur, quàm socii ex cœno profundo sensim emergentes advenirent. Cùm igitur in mora etiam parva multum periculi inesset, progressi sunt in nomine Dei, & impetu in statio-

M. DCI. stationarios facto, clamoreque sublato, suburbium aggressi sunt. Turci tam repentino impetu statim turbati, & conterriti fuerunt, ut in fugam sese darent. Hos insecuti Christiani ad arcis portam usque fuderunt, nec plures quàm quinque, aut sex de suis amiserunt. In paludum verò transitu septem aut octo interierunt. VVabacurtus ipse in pede aliquid detrimenti cepit. Convenerat autem inter duces de Mercurio, & Rusvvurmio, ut, simul ac ille cognosceret, suburbium unum esse occupatum, ipse alterum invaderet, quod tamen ei facere necesse non fuit. Turci enim clamore militum Christianorum fracti, cùm opinarentur, eos ipsa urbe potitos esse, aufugerunt, Christianisque aditum ad alterum etiam suburbium patefecerunt. Hoc modo utrumque suburbium occupatum est, inventæque sunt in iis fulminales machinæ duodecim, aut quatuordecim. Sic unâ nocte, & brevi tempore plus effectum est industriâ paucorum militum generosorum per itinera devia, per paludes perrumpentium, nec vel noctem infidam, vel hostem ferocientem horrentium, quàm alioquin hebdomatibus aut mensibus fortè compluribus navari potuisset. Ventum jam erat ad arcem, in qua Christiani ampliùs 400. fuerunt, & commeatus sufficiens. Multa quoque in eam Budâ erant advecta, tanquam in locum tutiorem, quem minimè obsessum iri, plerique credebant. Die ejusdem mensis 17. tormentis bellicis arx verberata est, die sequente duces de tentandâ expugnatione consilium inierunt, &, cùm Turcos in eâ timore perculsos esse intellexissent, ab una parte impressionem fecit Starenbergius, & ab altera Altheimius & Greisbergius, mox cum exercitu toto insecutus est Mercurius. Fermè horam unam cum hoste ignem & lapides jaculante, dimicatum est, in quo tamen conflictu ampliùs decem, & quinque non occubuerunt Christiani, plures verò vulnerati sunt. In arcem ubi ventum est, Begus cum Turcis fermè 70. in locum quendam profugit, indeque vim hostilem propulsavit. Quod ipsum etiam ab aliis factum est; Postquam verò actum de se viderunt, pulverem tormentorum passim in templo, arce & aliis ædificiis dispersum incederunt. Deprehensum est hoc flammæ ardore Turcos fermè septuaginta, Christianos verò ad ducentos conflagrasse. Arx, templum, ædesque amplitudine, specie & dignitate tantâ præstantes, ut vix quicquam posset esse suprà, miserandum in modum impetu ignes disjectæ sunt. Stat tamen cathedrale templum, uno duntaxat conclavi diruto, arcis verò ædes omnes exustæ sunt: reliqua ferè intacta, inviolataque manserunt. Turcorum ad pugnam expeditorum fermè quingenti fuerunt inventi, sed ampliùs ter mille fœminæ & liberi, quorum circiter sexcenti, Turci verò 200. unà cum Bego Iaurinum captivi traducti sunt, reliquos vis Martis absumsit. Thesauri partim in terra defossi, partim flammâ perditi sunt. Equi verò generosi, boves, aliæque pecudes, pannus & id genus alia cum tormentis campestribus quinque reperta fuerunt, VVallones in hoc tumultu prædæ parte maximâ potiti sunt. Certatim enim accurrerunt, & domos tabernasque diripuerunt, repulsis ferè cæteris. Quin sepulcra etiam Vngaricorum Regum in templis aperuerunt & revellerunt. Germani verò quicquid ex præda & manubiis ceperant, id magna ex parte VVallones eis eripuerunt. Occultaverant sese in arundineto tanquam in latebris Turci 200. quos Collonitius oppressit, & ad unum omnes occidit. Certior de hac clade Turcorum factus Bassa captivus Viennæ totum diem unà cum ministris suis in mœrore jacuit, & precatus est.

Recuperatâ Albâ regiâ ante abitum suum certiores facti sunt Christiani, Turcos magno numero adventare, vel ad recuperandam Albam, vel ad delendum exercitum Cæsarianum. Decreverunt igitur Albam quamvis disjectam & comminutam defendere. Ideircò castra in loco naturâ munito posuêre, & hostem exspectârunt, quod factum est die 8. & 9. Octobris Hostis adveniens

castra

castra sua locavit dimidio milliari à Cæsarianis. Quæ quidem castra hostium magnitudine suâ triplo Cæsariana superârunt. Decimo die, hostis cum equitatu copioso Cæsarianorum castris appropinquavit, ut quomodo illa oppugnari possent, cognosceret. Quod cùm Rusvvurmius militum tribunus haud penitùs illi permitteret, ortum est velitare prælium acre, quod sensim ita auctum est, ut cum 3000. equitibus hostem invadere oportuerit. Quæ res speciem velitationis acerrimæ habuit. In quâ tamen hostis recedere in castra sua coactus est. Duravit hæc velitatio à prima hora pomeridiana usque ad quintam. Et tametsi hostis ampliùs 10000. viros duxit: dissipare tamen Rusvvurmii equitatum aut fugare nullo modo potuit: Donec à Duce cum aliquibus equitibus & peditibus ad securitatem discessus sublevatus est. Cecidêre ab utraque parte multi: sed hostis tamen plurimum detrimenti hoc die cepit. M.DCI.

Decimo tertio die Serdar cum Kihaia vi maximâ equitum, peditum & tormentorum in Cæsarianos invasit. Qui tametsi loco satis firmo sese esse putârunt, & ad arcendum hostem ab aditu satis muniti: tamen is contra omnem opinionem & rationem humanam furore & impetu plùs quàm humano irruit, & Cæsarianos cedere statione omni coëgit, magnamque partem eorum cum Capitaneis & Præfectis trucidavit. Hæc clades Cæsarianorum, victoria verò Turcorum non parvum terrorem fortissimis quibusque Christianis injecit, cùm viderent totum exercitum suum ab hoste undique cinctum, & tormentis duodecim in distinctos montes subvectis, castra sua ab omni parte transfigi: cùm Janizaros tam propè in monte & sylva collocatos cernerent, ut sclopetis tangi & lædi ab iis possent. Omni asseveratione affirmari potest, in tanto discrimine tunc versatum esse Christianum exercitum, ut nisi divino miraculo defensus esset; actum de eo fuisset penitùs. Nam ab hoste ferocissimo non paucioribus quàm 50000. armatis hominibus circumfusus fuit. Hoc periculum extremum non nisi extremo remedio depelli posse facilè intellexit Rusvvurmius. Itaque consilii sui summam Legato Cæsareo paucis exposuit, & ipso consentiente cum Preunero, Altheimio, Hoffkirchio, Colonitio & Hodyskio hostem, quem ad illud usque tempus represserat, invadere instituit; in ordinem priùs ducto milite cum periculo ingenti, quòd ab hoste non supra 500. passus distante imminebat. Exercitus totus, quem Rusvvurmius tum in hostem ducebat, non 7000. viros superabat. Reliquis enim militibus cura tuendi castra committebatur. Hostium verò erant 50000. Congressus igitur erat impar, 7000. scilicet cum 50000. Nihilominùs tamen spe & fiduciâ divini auxilii animosè & fortiter à Cæsarianis pugnatum est, adeò quidem, ut nemo eorum non equitis aurati nomen decusque meruerit. Fractus est hoc modo impetus hostis, ut cedere in castra coactus sit, cum clade suorum ingenti, in qua etiam Serdar ipse vulneratus est, & tormenta undecim amisit. In hoc conflictu Dux de Mercurio subsidio venit Rusvvurmio à latere adortus hostem. Hujus ope & adominiculo is longiùs multò propulsus est. Sed quia nox intervenit, contenti hac victoriâ Christiani fuerunt & læti DEO gratias egerunt.

Decimo quarto Octobris collectis vasis propiùs urbem & hostem castra movere constituerunt Cæsariani, ut loco commodiore aliquantò considerent; quod tamen propter velitationes cum hoste & alia incommoda minùs fieri potuit. Totam enim noctem in acie eos stare oportuit.

Decimo quinto die cum prima luce ordine bono progressi sunt Cæsariani: sed circa horam nonam matutinam hostis iterum cum majori parte copiarum suarum invasit eos: in quâ tamen parte Serdar Bassa conspectus non est. Ex quo conjectura capi potuit, eum superiori conflictu ad 13. hujus mensis com-

M.DCI. misso, sauciatum esse. Perstitit utraque pars usque ad meridiem in acie, & altera alteri jaculando negocii plurimum exhibuit. Ac tametsi hostis Cæsarianos undique circumfudit: non tamen adoriri eos ausus est, neque ipsi illum aggredi voluerunt, ne ordinem suum conturbarent.

Tandem verò Kihaja vi summâ in Cæsarianos impetum fecit, & Vngaros omnes in fugam conjecit. Quod simul atque vidit Rusvvurmius, missis mille equitibus, quos Hodyskius ducebat, fortissimè eos repulit, & de improviso à latere Turcos adortus, Mercurius verò à fronte occurrens, conjunctis armis eos fugam capessere coëgerunt. In hoc conflictu Kihaja, Bassa Budensis & alii Præfecti Turcici complures mortem occubuerunt. Persuasum erat plerisque hominibus, Turcos maluisse munitionem aliquam primariam in Vngaria amittere, quàm Kihajam & proceres alios, qui in isto prælio occiderunt. Erat autem Kihaja interfectus à plebejo equite, qui etiam caput illi præcidit & secum abstulit. Turci amisso Duce tanto cœperunt animo esse fracto & demisso. Nihilominùs tamen circa vesperam duas impressiones in Christianos tentàrunt. Verùm cùm eos non modò infracto animo, sed etiam confirmato esse viderent, ante noctem cum jacturâ & tristitiâ magnâ receptui cecinerunt. Cæsariani verò illo quoque die victoriâ per DEI gratiam potiti, castra sua non procul ab iis locis, in quibus conflictiones erant factæ, locârunt, pari scilicet intervallo ab urbe & hoste. Nec ab eo tempore quicquam ampliùs tentare ausi sunt Turci, mirantes supra modum à manu tam parva Cæsarianorum tantas copias Turcorum esse devictas. Auditæ sunt quoque eorum voces, se ante illud tempus tales Germanos non vidisse. Conturbati igitur adeò fuerunt, ut nescirent, quò se verterent. Non obscurè etiam interitum Turcicæ potentiæ augurati sunt, sic multitudo magna à copiis exiguis, quas spe & opinione penitùs devorârat, fusa & profligata est.

Vicesimo sexto Octobris convasatis omnibus Budam reversi sunt. Ajunt Sedarem Mehemeth Bassam Vezirium in inferiori Pannonia post acceptam tantam cladem insimulatum esse negligentiæ, quasi tardè nimis Albæ regiæ subvenire instituisset. Pollicitus erat Kihaja Bassæ obsessis in arce Canisio Turcis certum auxilium. Quamobrem caput ejus in castra Ferdinandi Archiducis missum est, ut ostendi Turcis posset, ne deinceps opem ullam ab eo expectarent. Quò autem illustrior & admirabilior hæc victoria est, eò majoris gratiæ DEO pro ea debentur. Sit ergò laus, honor & gloria DEO Patri, Filio, & Spiritui sancto, seculis infinitis.

Dux de Mercurio die decimo Februarii anni 1602. cum bona gratia ab Imperatore Rudolpho II. discedens ex Gallia militem in Vngariam adducturus Norimbergæ divertit. Inde vix digressus in itinere arreptus morbo Vngarico, eodem redire coactus est, ac ingravescente morbo die 18. ejusdem mensis è vita cessit, & in diœcesi Bambergensi humatus est. Pater hujus Mercurii fuit Nicolaus Comes Vaudemontii, cujus filiam Loysiam in matrimonio habuit Rex Henricus III. qui ut socerum suum ornaret magis, titulum Ducis ei tribuit ab oppido Mercorum vel Mercolio. Ex quo Mercorius vel Mercurius hic Dux apellatus.

Hoc anno Ostendæ cœpit obsidium. Est id oppidum Flandriæ maritimum, tribus miliaribus Nuporto, & quatuor horarum itinere Brugis distans. Pagus primùm fuit piscatoribus inhabitatus; sed initio hujus belli civilis ab Ordinibus, loci secutus oportunitatem, levib. primùm, deinde firmis operib. muniri

cœptus

cœptus est. Fluvio enim alluitur, Ipperlæa nomine, qui ubi in mare exit, sinum facit, & portum recipiendis navibus idoneum. Oppidum ipsum amplum satis est, quippe cujus mœnia vix horæ spacio circuiri possunt. Incolis tam frequens quondam fuit, ut ad tria civium millia numerarentur: qui tum ad ducentos circiter & quinquaginta erant redacti. Sæpè à multis frustra tentatum est, & à Duce Parmensi, & à Lamottho, Grevelingæ præfecto; quorum hic quum veterem jam civitatem occupâsset (quæ pars est oppidi, littori proxima) inde rursus non sine suorum strage est ejectus. Sed nuper, quum ALBERTUS Caletum primùm Gallis, deinde Hulstam Hollandis extorsisset, mirum in modum munitiones ejus creverunt. Nam duplici fossâ, & duplici valle undique cinctum est: quorum ea est altitudo, ut non facilè superari possint, si vel à medioeri propugnatorum numero defendantur. Quæ mare spectat, nudantibus se æstu recedente arenis infirmius aliquantò est; sed paucarum horarum id periculum est; & eodem æstu rursus affluente, oppugnantibus maximè formidabile. Portus ad Occidentem æstivum se porrigit, non altus ille quidem, aut capax admodum: sed non ita pridem unda maris vi in terram irrumpens, canalem oblongum fecit, ultra viginti passus latum, & profunditate vel magnorum navigiorum patientem: per quem, ceu perennem fluvium, naves quovis tempore exeunt & ingrediuntur. Brevis inde in Selandiam, Galliam, & Angliam est trajectus. Angliæ Reginæ Ordines confœderati hypothecæ nomine oppidum jam olim tradiderunt; eaque hactenus semper è suis Præfectum aliquem eò misit, cum magno Anglorum & Hollandorum præsidio: quòd vicina omnia longè latèque infestis excursionibus quotidiè vexavit, & immania tributa non pagis tantùm & villis, sed oppidis quoque nonnullis extorsit. Quocirca Flandri sæpè multis precibus apud Archiducem institerunt, ut hanc spinam è pede Flandrici leonis evelleret; promissa ad obsidionem maximâ vi pecuniarum.

ALBERTUS ergò primùm oppido castella circumponit, eisque perpetuum præsidium ad cohibendas oppidanorum excursiones imponit: quorum defensio, ut quidam scribunt, nonagenis aureis menstruis constabat. Sed quum ne sic quidem satis tutam esse Flandriam Archidux è superioris anni expeditione didicisset: tandem summis viribus Ostendam oppugnare decrevit. Et oppugnatio quidem, primùm admoto exercitu (quod fuit die 5. Iulii) non omninò difficilis credebatur. Nam primo ferè impetu obsessis portus veteris usum eripuit; & adactis propiùs munitionibus, jam vallo imminebat: sed illi continuis laboribus & novum portum sibi aperuerunt, & oppugnantes partim aggerum perforatione ita summoverunt, ut jam oppido majus abundarum impulsu, quàm hostium insultu, periculum immineret. Tantâ utrinque principio obsidionis machinarum vi fuit certatum, ut non penè toto menstruo spacio quinquagies mille in urbem, vicies mille magni ponderis pilæ ferreæ ex urbe in castra contortæ ferantur. Præsidium Anglia & Ordines confœderati ad eum auxêre numerum, ut justi exercitus speciem haberet: atque ita magis castra castris opposita, quàm urbs obsessa videretur.

Tàm celebris verò tantæque exspectationis principium etiam hujus obsidionis fuit, ut undique tàm castra quàm urbem ipsam videndi studio multi atque etiam Principes viri confluerent. Inter hos fuerunt in urbem obsessam invecti Vlricus Holsatus, Daniæ Regis frater germanus, Comes Hohenloius, Ioannes Nassovius, Comes Northumbriæ Anglus, Comes Sampauli Picardiæ Gubernator, qui tamen vento adverso in Selandiam ab instituto cursu rejectus fuit. Ipse, Galliarum Rex ut obsidionis hujus rationes meliùs intelligeret, Caletum venit, atque inde ad Archiducem Legatos misit;

M. DCI. qui vicissim ad stabiliendam mutuis officiis amicitiam, Sorœsi Comitem ad Regem ablegavit. Eventa quidem quotidiana interfectorumque numerum describere, instituti nostri ratio non permittit (quæ in Palæstra Ostendana legi possunt) casus tamen quosdam mirabiliores facere non possum, quin attingam. In urbe erat Gallorum militum tribunus Castillionæus, cui per crates prospicienti globi ictu cranium ita ablatum est, ut proximè astantes non cruore tantùm fœdati, sed etiam penè exanimati sint. Miles quidam panem emerat: quem dum in altum manu elevatum ostentat, ecce volans globus medium panem aufert, reliquum milite retinente: qui magno cum jubilo statim & hunc boni & honesti militis globum fuisse (utpote qui ex æquo secum partitus sit) & panem hunc verè militarem esse & dignum, qui vel ab optimo milite comedatur, exclamavit. Nobili cuidam Anglo in eruptione quadam dextrum brachium, globi ictu fuerat ablatum: quòd ille è vestigio sinistrâ manu sublatum, ad Chirurgum, deinde in tentorium suum reportavit, addens sine ulla doloris significatione, brachium hoc esse, quod sinistro ante meridiem inservierit. Alius quidam, qui itidem brachium amiserat, medius inter duos ducebatur. Tum mox alio globo crus ei aufertur, ductoribus illis planè illæsis: atque ita miserè truncatus moritur. Civis quidam aromatopola ante tabernam globi ictu interemtus erat: quem mox in feretrum compositum alius globus sandapila ejecit. Equus, cui adolescens insidebat, à posteriori parte ita trajectus fuerat, ut per frontem globus exiret, sessori tamen nihil damni datum, quàm quòd caligæ inter crura laceratæ sunt. Cum mesonautarum quodam præfecto alius sermonem miscens, cubito ut solent ejusmodi homines, humeris ejus innitebatur, quem itidem globi ictus, afflato parùm, illæso tamen præfecto, in auras secum abstulit atque avulsit. Non semel etiam contigit, ut globi ab obsessoribus missi in hostilium machinarum jam ad displosionem paratarum ora vel foramina inciderent, atque ita incenso pulvere, unà cum inserto globo in castra sint rejecti. Infinitum sit alia ejusmodi recensere: nos è rebus in oppugnatione gestis præcipuas quasdam describemus.

Sub finem anni è captivis Hispani quum alia cognoverant, tum illud, magnum esse præsidiariorum paucitatem, adeòque vix tria millia, qui per valetudinem arma ferre possent, restare: quòd præter eos, quos hostilis vis perculisset, plurimi quotidiè peste absumerentur. Quare Archidux vetus oppidum, quòd æstu recedente nudatis arenis facilè aditu videbatur, oppugnari jubet. Hoc eorum conatu explorato, Verius, Anglorum tribunus, suorum viribus diffisus, Legatos in castra ad Archiducem mittit, qui inducias impetrarent, ut intereà de deditionis conditionibus agi posset. Obsidibus ultrò citroque datis, obsessi primùm quatuor horarum tantùm spacium, mox diem integrum ad deliberandum petunt.

Annuit Archidux & liberaliter omnia pollicetur. Ita ergò dum per dies aliquot de conditionibus disceptatur, de industria tempus protrahente Verio, arma cessant, milites congrediuntur: totum littus undique spectatorum multitudine, qui è variis Flandriæ locis confluebant, completur. Interea quinque naves Selandicæ, militem & commeatum portantes in portum invehuntur: quorum adventu Verius recreatur, civilibus verbis apud Archiducem se excusat: Gravibus de causis ad tractationem hanc se descendisse; cæterùm dum de conditionibus & articulis deliberatio haberetur, naves aliquot advectas cùm copia earum rerum, quarũ anteà penuriâ laborâsset. Quocircà, nisi honorem & existi-

existimationem suam lædere vellet, non posse se in actione cœpta, nullâ jam urgente necessitate, progredi: sperare nihilominùs & hoc ipsorum factum Serenissimum Archiducem in bonam partem interpretaturum, & in posterum, si fortè ad benignitatem ipsius confugere iterum coacti fuerint, nihilo asperiores conditiones eis propositurum.

CAROLUS Sudermanniæ in Suecia Dux contra spem & opinionem patruelis sui Regis Polonorum & Suecorum Sigismundi II. ipso absente totum regnum in potestatem suam redegit. Causa ferè alia non fuit, quàm quòd diceret, illum Iesuitas invehere in regnum Sueciæ contra datam fidem conatum esse.

Occupato autem ad hunc modum Sueciæ regno, animum ad invadendam Livoniam appulit, metuens ne pars ea Livoniæ, quæ Suecis subdita erat, à Polonis sibi eriperetur. Erat enim Livonia provincia sic distracta, ut pars ejus Polonorum Regi, pars Moscorum Duci magno, pars Sueco paréret. Etsi enim Moscus totam Livoniam, exceptâ Rigâ & Revaliâ, vi & impressione occupârat: tamen à Stephano Polonorum Rege ex manibus illius erepta est ea provincia, & in potestatem Polonorum redacta. Sueciæ verò Rex Ioannes Russos in Livonia aggressus loca quædam mari Finlandico finitima, & inde alia etiam Nervam portus celebritate notam oppidum ceperat. Quæ quidem loca tametsi jure belli vendicabant sibi Succi: tamen ex pactione in electione Sigismundi Regis facta, cedere iis debuerunt Polonis; quod tamen hactenus factum non fuerat. Horum igitur tuendorum caussa Carolus exercitum 30000. peditum & equitum in Livoniam adduxit, & cùm Gubernator Livoniæ, Regis Polonorum Vicarius, Georgius Farensbeccius eodem tempore copias militum, non supra 3000. tamen, comparâsset, misit ad eum Carolus Legatum, qui percunctaretur, quo animo in se, amicóne an hostili esset? Farensbeccius ut qui loco Regis Polonici esset, Legatum ad Regem ipsum ablegavit, qui responsum facilè daturus esset. Quod cùm differretur diutiùs, Carolus metuens, ne quid detrimenti afferret mora vel exercitum magnum compararent Poloni, hyeme jam appetente, oppida & arces capit partim vi, partim deditione voluntariâ. Erat enim persuasum jam multis, Moscòviæ Ducem finitis induciis quoque in Poloniam impressionem esse facturum. Idcircò faciliùs erat Carolo totâ potiri Livoniâ, exceptâ Rigâ & arcibus duabus Cockenhusio & Dunemundo. Cùm autem nivibus liquescentibus inundationes exsisterent, in hyberna exercitum mittere oportuit.

Poloni id temporis nihil ferè moliti sunt, nisi quòd Farensbecius semel cum aliquot millibus Suecorum congressus eos fudit, impedimentisque potitus est: non paucos tamen suorum amisit. Cumque Carolus Derpatum obsideret, & 7000. hominum VVendum oppidum non admodum munitum misisset, factum est, ut illi à 300. Polonis ex improviso circumfusi in flumen adacti sint, & confractâ glacie partim suffocati, partim cæsi. Ineunte vere Lituaniæ Dux Radzivilus cum fermè 6000. viris oppidum Cockenhusium obsedit, cujus arx adhuc à Polonis tenebatur, eoque per voluntariam deditionem potitus, promiscuè, quotquot illic invenit, trucidandos curavit. Etsi autem Sueci misso auxilio ferre opem & auxilium illis conati sunt: tamen fusi ad 700. viros amiserunt. Complura concurrebant, quæ conatus Suecorum vehementer impedirent, frigoris acerbitas, & jactura militum. Idcircò in propugnacula sese recipere pedites cogebantur: equites verò Polonis cedebant. Quâ quidem oportunitate adjutus Radzivilus VVendum à Suecis relictum recuperavit, Ronneburgumque circumsedit. Tum emissâ prædatorum ac direptorum manu loca quædam minùs munita cepit: nonnulla etiam impositis præsidiis munivit; alia incendit atque excussit.

 Duode-

M. DCI. Duodecimo Iulii anno 1601. novæ copiæ ex Suecia venerunt, Carolus verò Revalia Parnavium moverat, ut illud oppidum muniret, & paulò pòst exercitum ad continuandum bellum educeret. Interim cognito Ioannis Nassovii Comitis adventu ad societatem expeditionis eum hortatus est; qui cùm venisset, pedestres copiæ Parnavii lustratæ sunt. Quâ quidem in lustratione cùm hastæ longæ, utpotè Suecis minùs usitatæ desiderarentur, mox earum copia comparata est, ad 250. quarum tamen usus longè alius esse debuit, quàm plerique opinati sunt.

Octavo Idus Augusti Nassovius peditatum cum duobus signis equitum eduxit in campum ad vicum Sales, ubi tribunus militum designatus equitatui præfuit. Quo circà statim delectum habuit, & circiter 2400, equites invenit, quorum 1000. Livoni, cæteri Sueci erant.

Ad 18. Cal. Septembr. Carolus cum sexcentis equitibus, unâ legione peditum & tredecim tormentis campestribus sese cum exercitu conjunxit, eumque aciei in morem disposuit, videlicet equites circiter 3000. pedites verò 9000. Cùm autem nuncium de progressione hostis ad VVendum, ut in Suecos invaderet, accepisset, eodem ipse contendit cum exercitu suo, vicesimoque Augusti ad fluvium Aven pervenit, qui milliari uno ab hostium castris distabat. Poloni accessu Caroli inopinato nonnihil commoti, magna ex parte Rigam profugerunt. Nam & pars exercitus eorum dilapsa erat, & supra 4500. milites integrâ valetudine vix reperiebantur. Etsi autem Nassovius suadebat, mox insequendos esse fugientes: tamen Carolus pontem priùs exstruendum curabat, ut transmitti exercitus posset. Ita factum, ut post triduum demum insecuti hostem Sueci machinas fulminales omnes ei detraxerint & dimidiatam partem impedimentorum.

Fusis ad hunc modum profligatisque hostibus, Carolus Rigam propiùs accessit, & spacio trium milliarium ab urbe castra locavit, machinas bellicas navibus adventuras ibi exspectans. Vbi verò cognovit Farensbeccium Loricam castrorum ad Rigam posuisse, præsidiumque 1000. virorum de Germanis & Scotis collectorum ei imposuisse, ipse 29. Augusti circa vesperam cum equestribus copiis & quinque legionibus peditum profectus, manè circa horam secundam venit Rigam, domus nonnullas incendit, castrorum hostilium partem demolitus est, machinisque quibusdam potitus, usque ad meridiem hostium irruptionem præstolatus est. Cùm autem nullum hostilem impetum cerneret, & penuriâ pulveris nitrati laboraret, signum dedit receptui & in castra reversus est.

Quarto Septembris, milliari uno ab urbe castra posuit ad alveum cujusdam fluminis in Dunam sese exonerantis, ut & propior esset urbi, & castra satis firma haberet. Per id temporis magna fama surrepit, Polonorum 7000. adventare, & pontem exstruere. Hæc tamen in Suecico exercitu instar fabulæ habita est, & cum Carolo propositum esset, Rigam circumsedere, vicibus iteratis eam invasit Coronâ, & ad fossas usque ac portas excurrit. Rigenses contrà fulminibus multis hostem abigere conabantur, & ne latebras, quibus obtegeretur, inveniret, suburbium amœnissimum exusserunt. Carolus in insula urbi oppositâ machinas bellicas collocavit, eumque locum novendecim signis militum firmavit.

Decimo Septemb. machinæ navibus advectæ sunt, habuitque in animo Carolus propiùs urbem castra movere, & decimo quarto urbem obsidione cingere. At certior factus non tantùm de adventu 7000. Polonorum, sed de Archicancellarii etiam cum 15000. armatis, & Regis ipsius accessu, motis castris spacio duorum milliarium ab urbe recessit. Idque factum est propter fœtorem & invaletudinem militum, quorum circiter 1200. ægro corpore

erant.

erant. Etsi autem Pyroboli aliquot in urbem projecti fuerunt: nihil tamen ei nocuerunt.

Cùm vix obsidionem urbis solvisset Carolus, ecce tympanistes ab Archicancellario missus literas affert, quibus suo & aliorum præfectorum Centurionumq; militarium nomine exprobrat Carolo perfidiam, quasi qui contra morem consuetudinemque majorum nullâ lacessitus injuriâ, Livoniam invaserit, diripuerit, & in ditionem suam redegerit, non denunciato neque indicto priùs bello. Objicit eidem etiam impietatem & parricidium, quod ipse patruus fratris filium? subditus Dominum suum nefariè circumveniat. Quamobrem sese ope divinâ fretum injuriam tantam legitimo bello vindicaturum esse ostendit, prælioque Carolum lacessit. Quanquam autem Carolus à campestri pugna animo alieno non fuit: tamen, cùm jam frigus ingravesceret, & commeatus deficeret, satiùs esse judicavit, exercitum in hyberna admittere, arcesque & oppida necessariis præsidiis munire. Ita ergò collectis vasis cum parte copiarum Parnavium & Revaliam, Nassovius verò cum suis VVolmarum & Derpatum concessit. Poloni autem licèt vix quatuor aut quinque milliaribus à Nassovio abessent: insequi tamen neutra pars alteram voluit, sed Poloni cojunctis copiis adventum Regis exspectârunt, qui ad 24000. hominum & 60. tormenta habuisse dicitur. Cùm verò ille sub finem Septembris venisset, tempestas adversa coorta est, quæ tormenta provehi non sivit. Idcircò ad medium usque Octobrem circa Rigam & Cockenhusium commorati Poloni, vicina oppida & pagos diripuerunt. Posteà glacie constrictis aquis VVolmarum profecti sunt, quòd Caroli filius nothus cum 1000. Suecis præsidiariis tenebat. Hoc expugnato, filium Caroli ceperunt.

In Saxonia hoc ipso anno 1601. mense Septembri, finitâ tutelâ & administratione, Saxoniæ Principis Friderici VVilhelmi, Christianus II. Christiani filius natu maximus, ætatis suæ anno 18. Electoratus Saxonici & Septemviratus imperialis gubernationem atque dignitatem suscepit. Ad hunc venerunt gratulatum Cæsaris nomine Legati Ernestus Baro à Molar, Majestatis Cæsareæ in Austria præses Vicarius, cum aliis præclarissimis viris, tum Maximilianus Archidux ipse, & aliorum Principum Imperii Consiliarii, prospera & salutaria cuncta à DEO summo illi precantes. Initio gubernationis subditos jurejurando devinctos in fidem suam recepit, & mense Decembri conventum provincialem Torgæ habuit, in quo inprimis religionem eam, quæ in Bibliis sanctis & Augustanæ confessionis formulâ primigeniâ & incorruptâ continetur, subditis commendavit. Tum visitationem Academiarum, Judiciorum Ecclesiasticorum, & Scholarum illustrium decrevit, quæ etiam sequentis anni mense Aprili perfecta est. Plena erant in hoc conventu omnia clementiæ, mansuetudinis, & liberalitatis. Imperatorem Rom. Rudolphum II. cultu & honore tanto prosecutus est, vt grandioribus aliquot fulminaribus machinis ad oppugnandum Turcam donârit.

In Hispania hoc Anno 22. Septembris, qui Mauritio Martyri sacer est, Regina filiam peperit, cui Annæ Mariæ Mauritiæ nomen inditum fuit. Ad congratulandum regi in Hispaniam ab Archiduce missi sunt Vraniæ Princeps, Henricus Comes Vambergius, & Christophorus Ostfrisiæ comitis Frater.

Eodem Anno & mense 27. Septembris Maria Medicæa Galliæ regina masculum partum ad Fontem Bellaquæum enixa est.

Heidelbergæ quoque eodem mense scilicet nocte inter 27. & 28. Septembris Comes Palatinus Elector FRIDERICUS IV. Filium ex Aloisia Nassovia, Gulielmi Vraniæ Principis Filia, Filium suscepit, eo ipso tempore, quo terræmotus passim inprimis inter Francofurtum & Argentinam sentiebatur. Ad Baptismum ordines Hollandiæ vt susceptores vocati, Henricum Fridericum

M.DCI. Mauritii Comitis fratrem ablegârunt. Ibi dum hastiludia celebrantur, Ludovicus Philippus Veldentiæ Comes Palatinus, festucæ è confracta linea ictu exanimatus, aulam à gaudio in luctum convertit.

Seditionem in Hybernia, duce Tironio concitatam, & ab Hispanis diu jam fotam, hoc anno magna ex parte Angliæ Regina compescuit: Ejus exercitus Quinsalum oppidum, seditiosorum receptaculum, jam antè obsederat: sed Tironius, acceptis ex Hispania auxiliis, obsidionem solvere, & Anglos profligare magno studio tentabat. Quare cùm equitatus parte per Anglorum castra in oppidum penetrare satagebat, ut duobus locis simul, à fronte & à tergo faceret irruptionem. Id ejus consilium quum intellexisset Anglus: cum mille & ducentis peditibus, & equitibus trecentis de noctu in itinere se Tironio objicit, qui hoste præter opinionem conspecto, suas copias extemplo reduxit, frustra reclamante Hispanorum tribuno, qui cessionem hanc fugæ initium fore prævidebat. Tironius quum vadum fluminis proximi transiisset, peditatum in aciem instruxit: ipse cum quadringentis equitibus in fronte ejus constituit, malo, ut eventus docuit, consilio. Quum enim equites Anglorum irruentium vim non sustinerent: in peditum suorum ordines retrò in pactis eos una secum in fugam egerunt. Soli aliquantisper pedem cum Anglis contulerunt Hispani: sed obruti multitudine, tandem & ipsi, quà quisque potuit, fuga sunt dilapsi; pauci tamen elapsi, quód eos in fuga sparsos Angli undique interciperent, interficerentque. Hispanis & Hybernis omnia vexilla sunt erepta: Hispanorum tribunus Alfonsus dell Occampo, vivus in Anglorum venit potestatem: Tironius, cùm paucis, locorum notitia fretus, in sylvas & paludes se recepit. Præsidiarii Quinsalemes, hac suorum clade acceptâ, vehementer commoti suut. Quare quum oppidi defendendi nulla spes esset, Alfonsus Agvillarius, urbi præfectus, licèt invitus admodum, Dupetito, regio Vicario, oppidum tradidit; pactus ut cum suis militibus, tâm Hispanis quem Hybernis, incolumis in HISPANIAM deduceretur, præstitâ priùs de navibus restituendis cautione. Discedens, multis verbis Hybernorum perfidiam detestatus esse dicitur, atque adseverâsse, quocunque se mitti, immò vel ad remos à Rege damnari malle; quàm cum Hybernis ampliùs rem habere.

Initio mensis Decembris de Maximiliani Bavariæ Ducis, & Philippi Ludovici Comitis Palatini Neuburgensis, voluntate & sententia Ratisbonæ institutum fuit colloquium. Bavari Theologi fuerunt, D. Hungarus, Gretserus, & Tannerus. Neuburgenses, Iacobus & Philippus Heilbrunneri fratres, Abrahamus Manne, Tobias Bruno, Magnus Agricola, Christophorus Moroldus, David Seelman, Henricus Dettelbach: quibus Saxoniæ Elector Aegidium Hunnium, Davidem Rungium, & Ioannem Fladungum; Brandenburgius Abdiam Vienerum, Laurentium Lælium; VVirtenbergicus Princeps Andream Osiandrum, & Felicem Bidenbachium adjunxerunt. Hîc Evangelici Theologi juxta leges consensu Principum præscriptas primò proposuerunt, & defendendas susceperunt sequentes has duodecim Theses.

I. Verbum DEI, Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum scriptis comprehensum, doctrinæ cultus, ac fidei Christianæ unicam, certam atque infallibilem normam, regulam ac mensuram esse, cui propter ipsum DEUM auctorem fides per se tradenda sit, indubitanter agnoscamus.

II. Id ipsum controversiarum religionis omnium inter nos, præsertim qui CHRISTIANORUM nomen sibi vindicant, JUDICEM, aut sanè vocem JUDICIS supremi, quem omnes agnoscere, timere ac venerari debemus, constituimus.

III. Quod cum verbo DEI scripto concordat, recipiendum & approbandum: quod discordat, simpliciter & sine omni exceptione repudiandum esse censemus.

IV. In

IV. In verbo illo divino omnia, quæ nobis ad veram DEI & voluntatis divinæ agnitionem, adeóque ad salutis æternæ consequutionem, nec non ad cultum DEI placentem necessaria sunt, sufficienter contineri, minimè dubitamus. M. DCI.

V. Quæcunque ad salutem scitu necessaria sunt, satis perspicuè & dilucidè in utroque novo præsertim Testamento, nobis ob oculos posita esse, DEI beneficio agnoscimus.

VI. Unicam hanc tam certam, perfectam, perspicuamque normam fidei, & cultum, parati sumus per DEI gratiam ex Scriptura palàm tueri.

VII. Neque hanc sententiam esse novam, sed à sanctis quoque Patribus approbatam, ipsorummet testimoniis claris & perspicuis ostendere constitutum nobis est: non quòd vel in hac quæstione, vel speciatim in Articulis controversis doctrinam nostram Patrum scriptis superstruamus (unum enim solidum & immotum fundamentum, cùm hic tum alibi DEI verbum scriptum agnoscimus) sed ut appareat, huic nostræ assertioni præter meritum impingi novitatis notam, quasi ea sanctæ & orthodoxæ veritati planè fuerit incognita.

VIII. Quin hoc affirmatum nostrum de unica Norma & Iudice scripturæ sacræ usq; adeò novum non est, ut ejusdem luculenta vestigia, & aperta quædam testimonia in ipso etiam jure Pontificio (quod apud adversarios authenticum esse constat) manifestè reperiantur.

IX. Aliam religionis normam, aliosque Iudices, quocunq; vocentur nomine, nisi ex prædicto DEI verbo infallibili doctrinæ suæ rationes exponant, in re tam ardua, nostramque salutem concernente, de qua nobis omnibus coram tribunali Christi respondendum est, admittere non possumus.

X. Qui dogmata quædam religionis, quæ in sacris literis nec expresse continentur, neque inde bona consequentia deduci possunt, necessariò credenda, aut cultus quosdam citra scriptum DEI verbum & mandatum, ab hominibus excogitatos, ipsi DEO gratos vel etiam meritorios esse opinantur, deniq; dissentientes hanc ob causam hæreseos insimulant, haud leviter errare sentimus.

XI. Verbum DEI θεόπνευστον, in rebus præsertim ad humani generis salutem pertinentibus, imperfectionis, obscuritatis, aut ambiguitatis arguere, debita & religiosa erga auctorem observantiâ & devotione prohibemur.

XII. Recens adversæ partis pronunciatum, quòd prædictam unius normæ ac Iudicis constitutionem, omnium hæresium & confusionis Babylonicæ caussam atque scaturiginem esse dictitat, minimè Catholicum, & in vera Ecclesia Christi inauditum esse arbitramur.

Duodecim his thesibus Pontificii unicam tantùm opposuerunt, hanc scilicet. Sacra scriptura non est Iudex omnium controversiarum fidei & religionis Christianæ.

Quam quum Evangelici thesin esse negarent, quòd negativa esset, & quemnam Catholici judicem statuerent, omninò indicari sibi vellent: illi diu tergiversati tandem suam thesin sic declarârunt; Sacra scriptura non est judex omnium controversiarum fidei & religionis Christianæ: sed hoc munus pertinet ad Pontificem Romanum: eoque hodiè fungitur Clemens Octavus, Petri successor, Christi Vicarius: cujus definitio toti Ecclesiæ cum auctoritate proposita, in controversis religionis quæstionibus decidendis infallibilis est, sive cum concilio, sive absque consilio definiat. Est quidem scriptura religionis norma infallibilis, verùm nec sola, nec unica: sed præter hanc necessariò admitti debent traditiones, & Ecclesiæ definitiones, Doctorumq; orthodoxorum consensus. Re hinc inde multis verbis in curia Ratisbonensi disputatâ; quum utraque pars in sententia sua persisteret, nec de judice conveniret; Jesuitæ fuerunt authores suo Principi abrumpendi Colloquii, sub hoc prætextu, quòd Papa fuisset nominatus Antichristus. Sic Principes ad suam quisque aulam discesserunt.

ANNO

M. DCII.

ANNO M. DCII.



Vdificationem illam, quâ Veërium Ostendæ ac suis metuentem ... ium suprà diximus, ægrè ferens Archidux Albertus non jam ... ditionem expectare, sed vi oppugnationem tentare constituit, quod posteà septimo Ianuarii cum utriusq; partis damno factum. Postquam toto eo die ampliùs bis mille ictibus urbis munitiones erant concussæ; vesperi diversis locis Hispani oppidum fortissimè invadunt; sed non minus fortiter rejiciuntur; adeò, ut ad duo millia desiderata fuisse dicantur: quorum etiam aliqua pars, æstu jam accedente, in aquis suffocata periit. Inde ergo obsidio magis fuit quàm oppugnatio: & utraque pars in eo unicè elaborabant, oppidani quidem ut tutum sibi commeatum servarent; Hispani, ut eundem concessis intercluderent. Quia in re immanes sumptus ab utraq; parte fuerunt facti.

Hollandi intereà quum animadverterent Archiducem ab Ostendana obsidione nullâ re posse abduci: magnas copias è Germania & Anglia contrahunt, quibus Brabantiam vel Flandriam invadere constituerant, ut ita vel invitum Archiducem ab obsidione Ostendana averterent. Lustrato ad Cliviam exercitu, in quo trium curruum millia fuerunt, Mauritius universas copias in tria divisit agmina, quorum primum Ernestus, alterum Gulielmus Nassovius, tertium Franciscus Verius, eques Anglus (qui paulò antè Ostendâ fuerat evocatus) duxerunt. Vnumquodque agmen senis peditum millibus, & duo de triginta equitum turmis constabat. Trajecto Mosâ, post dierum aliquod iter in Tungros perveniunt: ubique accepto commeatu, Tienam contendunt, ubi cùm Admirans castra habebat. Eò Mauritius caduceatorem mittit, & Admirantem ad prælium provocat: qui respondit, jussum se regioni illi præsidio esse, non prælio decertare. Proinde si castra sua oppugnatum veniret; prælii copiam fore. Biduo pòst, octavo Iulii, Mauritius, flumine tribus pontibus juncto, cum universo exercitu, toto die instructâ acie stetit: sed Hispani castris se continuerunt. Quare Mauritius proposito suo frustratus, exercitum reduxit: & receptis à nonnullis Brabantiæ pagis tributis, tandem vicesimo Iulii ad Graviam castra posuit. Est verò Gravia territorii Cuciani oppidum Mosæ adsitum, olim Gelriæ Ducibus subjectum, postea verò Brabantiæ Ducatui insertum. Id Maximiliano Burensi Comiti oppignoratum, Gulielmus Auraicæ Princeps, qui filiam ejus unicam uxorem duxerat, magnâ vi pecuniæ numeratâ, patrimonio suo addidit, olimque tranquillè possedit: nisi quòd à pacificatione Gandavensi Germani milites præsidiarii nonnihil tumultuati sunt: quos tamen, paucis suorum per novam, quæ excitabatur munitionem, civium operâ immissis, mox expulit, quadraginta ferè ex iis cæsis. Sed ab Alexandro Farnesio, Parmæ Principe pòst oppugnatam, quum diu fortiter vim sustinuisset, Præfecti ignaviâ amissum est, & in Hispanorum ditionem concessit, inque ea hactenus mansit. Et loci natura, & operibus munitissimum est; vallo præalto, firmis propugnaculis, & fossis profundis & latis cinctum. Mosa alluitur, cujus navigatio civibus magnas adfert utilitates: ad quam tuendam præsidiarii cis Mosam propugnaculum exstruxerunt, quòd à re ipsa sumptus perditi nomen habebat. Id primùm Mauritius aggressus, multo negocio, à præsidiariis desertum capit: inde castrorum limites designat, quibus universis fossas circumducit, fossas lorica cingit, per loricam militum stationes disponit: & quando quidem non dubitabat ab hoste foris se propugnatum iri; quatuordecim vigilum receptaculis castra includit, in quorum singulis quinquageni mosquetarii excubias agerent. Castra universa in tres partes erant divisa, Ad orientem hybernum, ad ipsum Mosam Comes Mauritius tetendit; ubi duo pontes Mosæ impositi, peditibus unus, equitibus alter traducendis inserviebant. Cæterum etiam

etiam duæ ab una ripa ad adversam erant ductæ, & utrinque propugnaculis firmatæ, ut naves incendiariæ, si quas fortè Hispani prono alveo demitterent, arcerentur. In altera castrorum parte, quæ priori contigua erat, versus Occidentem hybernum, Guilielmus Nassovius cum Frisiis & Scotis, & parte equitatus, stationem habebat: tertium verò infra urbem Angli, cum Ringravio & Friderico Comite Solmensi tuebantur, ibique forum erat rerum omnium promercalium, quæ ex navibus egestæ, curribus inde in cæteras castrorum plagas subvehebantur. Cis Mosam, ad Septentrionem nullius Ducis erant tentoria: equites tamen ex aliis castrorum partibus ad excubias agendas eò mittebantur. Præsidium omne, quod in oppido erat, mille & quingentis constabat viris: cives verò in universum vix trecenti erant, qui olim supra mille & ducentos fuisse dicuntur: nec tamen arma eis ferre licebat, quòd Hispani non satis eis fiderent. Interea Archidux, quo se Mauritii impetus convertisset, accepto: Admiranti jubet, ut quantocyus obsessis auxilium ferat. Is collectis, quantas poterat, copiis, quum dies aliquot in Ducatu Clivensi substitisset, decimo Augusti castra ex adverso collocat: & Mosa ponte juncto, itinera Neomagensia, ad intercipiendos commeatus, infestat & obsidet. Magnam ejus adventus in oppido inter præsidiarios excitavit lætitiam: & ne sibi ipsi deessent, fortiter aliquoties eruptione facta, victores nonnunquam, victi interdum in urbem redierunt. Ea nocte, quæ inter duodecimum & decimum tertium Augusti diem intercessit, oppidani nunquam in castra hostium detonare & fulminare cessabant: quod signum erat Admiranti crastino die utrinque simul uno & eodem tempore castra oppugnandi. Adsunt ergò manè præsidiarii primùm sexcenti, qui in Frisios impetu facto, damno utrinque dato, & accepto, mox in oppidum rejecti sunt: inde auxiliatores conspiciuntur, virgultorum fasces, marcelos, scalas, dolabras, ligones, aliaque id genus instrumenta portantes; quibus sperabant castrorum aliquam partem se incensuros, & ubi omnia fervêrent tumultu, in oppidum penetraturos. Sed Mauritio tantò fuit faciliùs hunc hostis conatum avertere, quòd de eo jam priùs esset admonitus. Triduo pòst Hispani rursus aciem ante castra ostentant: obsessi interim Anglos invadunt, eâdem penè fortunâ, quâ priùs. Vulneratus est in hoc conflictu Anglorum tribunus Verius: exque eo vulnere mortuus passim dictus fuit: quod tamen secus se habet. Tentatis frustrà castris, Admirans noctu clàm præmissis impedimentis, exercitum reduxit, & ubi ad Venlonam aliquammultos dies substitisset, nec à civibus impetrare potuisset, ut præsidium admitterent, Trajectum versus contendit, omni spe obsidionis solvendæ destitutus. Nam & magna copiarum pars jam dilapsa erat, & tyronum præsertim Italorum; qui turmatim ad hostium castra quotidiè, indeque accepto commeatu & à Mauritio viatico adjuti, quà cuique proximum erat, domum proficiscebantur. Reliqui intempestivo admodum tempore stipendium flagitantes, ad seditionem spectabant: è quibus quum nonnulli Aumontiam occupâssent, Admirans, ut nascenti malo occurreret, oppidum invasit & incendit; sed seditiosi, præter paucos, ferro sibi exitu patefacto, Dalam atque inde Hostratam petierunt.

M.DCII.

Post Admirantis discessum, Mauritius Rinbercæ timens, Ernestum Nassovium cum aliqua equitatus & peditatus parte ad Rhenum misit, iisque locis præsidio esse jussit: & ne hostis commeatu juvaretur, neque navis supra Boream eveheretur, edixit. Intereà quamvis ab Hispanorum exercitu castris foris oppugnarentur castra; nihilominùs summis viribus cœpta urgebatur obsidio: jamque muri & aggeres ita propugnatoribus infesti erant, ut vix prospicere quisquam auderet. Tandem expulsi suis munitionibus

præsi-

M. DCII. præſidiarii, quum ad ſummam oppugnationem omnia parata viderent, 19. Septembris deditionem pacti, eodem ſtatim die arce, inde biduo pòſt oppido excеſſerunt, ſexcenti circiter viri. Leges deditionis cum civibus primùm hæ fuerunt, ut omnium eorum, quæ antè facta vel dicta eſſent, æterna eſſet oblivio, nec cuiquam eo nomine moleſtia exhiberetur: Mauritiusque omnes pariter Eccleſiaſticos & ſeculares in patrocinium & tutelam ſuſciperet, cui etiam, ut hypothecario, fidem omnes & obedientiam præſtent. Idem privilegia omnia, immunitates, libertatem, quibus ante bellicos hos motus cives uſi ſunt, iiſdem confirmaret. Omnibus utriuſque ſexus Eccleſiaſticis, civibus, inquilinis, qui Catholicam profitentur religionem, eandem porrò quoque profiteri, & tranquillè & pacatè vivere liceret, iidemque ab omni injuria & contumelia defenderentur, templum etiam unum, in quo ſuos matrimonii & baptiſmi ritus peragant; eorundem uſui permitteretur. Religioſi omnes monachi, moniales, in monaſteriis ſuis, ſi volent, permanerent, boniſque ſuis & reditibus liberè uterentur, fruerentur. Et quia civibus nonnullis à præſidiariis multùm debetur: liceret eis in regiones Archiduci ſubjectas proficiſci, ibiq; intra ſemeſtre tempus jus ſuum contra eos proſequi: quod temporis ſpacium ſi cui nimis breve ſit, ampliorem is commeatum ab urbis præfecto, quem Mauritius conſtituet, poſtularet. Quòd ſi quis oppido emigrare, & aliò transferre domicilium voluerit; liceret intra proximum triennium id facere, quæ verò ex oppido vel rus, vel aliò, peregrinationis ergò, conceſſerint, iiſdem quandocunque placuerit, in urbem redire, bona ſua vel per ſe vel per alios adminiſtrare fas eſſet. Quumque oppidum hoc in confinio Ducatus Cliventis & Raveſteinenſis dynaſtiæ poſitum ſit, ubi conſueta Hollandorum vectigalia & tributa locum non habent; civium etiam fortunæ immenſis præſidiorum ſumptibus exhauſtæ ſint: daret operam Comes Mauritius, ut ab ejuſmodi oneribus immanes cives habeantur, durante præſertim bello. Idem etiam præſidii in oppido collocandi rationes ita moderaretur, ut civibus oneri non ſint: & tam equitum quàm peditum habitaculis conſtruendis loca quædam vacua aſſignaret. Et quia incomparabilia planè damna cives jam diu perpeſſi ſunt: nulli unitarum provinciarum civi in quenquam civem aut ipſam Rempublicam Gravienſem ulla actio debiti nomine proximo biennio daretur. Hâc etiam transactione non præſentes tantùm cives, ſed etiam qui ſuperiori tempore Reipublicæ aliquo munere perfuncti, alibi jam degunt, comprobarentur: quibus etiam liber in urbem reditus quocunque tempore patuit. His quidem conditionibus cives à Mauritio in fidem recepti ſunt: nec minùs humaniter cum militibus actum eſt, quibus non arma tantùm & ſigna, ſed omnia etiam ſua efferre omnibus & ſingulis eſt permiſſum.

In Gallia menſe Iunio diu collecta conjuratio ex latebris in actum erupit. Delatum enim ad Regem fuit non quidem obſcuro aliquo rumore, ſed certo & conſtanti ſermone, Ducem Byronium regni Mareſchallum non malè alioqui de patria meritum cum Hiſpanis, Comite de Avernia & aliis ad occidendum Regem, Reginam & Delphinum conſpiràſſe. Ita enim inter hos convenerat, ut Rex 14. Iunii, poſt eum Regina interficeretur: Etſi id conſilium minùs procederet, Comes de Avernia Regem in venatione interimeret. Erat jam tum veneno exſtincta nutrix Delphini infantis regii, quæ ſimul ac vim pharmaci aſſumti ſenſit, infantem removit, ne ſimul interiret. Ex quo ſatis intelligere poterant omnes, qui Evangelicam religionem profitentur, ſibi non minùs quàm Regi paratum eſſe à Pontificiis exitium. Odium eſt hoc vetus in Regem & religionem reformatam profitentes, & quidem in eum finem directum: ut regnum aliquando totum ad Hiſpanos transferatur, à Pontifice verò hæreſis, quam ſic vocant, omnis in eo exſtirpetur. Deſponſa erat jam tum Byro-

Byronio Sabaudi filia & destinata Gubernatio ampla: In Burgundia verò ad defectionem & ad motus novos concitata penè omnia. Certior de his factus Rex Byronium accersivit, cum eoque multis verbis ultrò citroque habitis de conspiratione illa nefaria egit. Ex quo satis apparuit, quam invitus & lentus illa ad vindictam tanti facinoris accesserit; adeò quidem, ut nisi magnitudine periculi ad celeritatem pœnæ incitatus fuisset, minimè ad eam festinâsset. Ajunt enim veniam delicti, quamvis atrocissimi daturum fuisse ei, si statim fassus & deprecatus esset. Neque etiam passus est eum comprehendi in suo conclavi regio, sed in hospitio ipsius fieri illud maluit. Missus igitur est ad eum Monsor de Vitrii, qui jussu Regis ensem sibi tradi ab eo postulavit. Quod dum facere ille multis verbis recusat: Rex ipse, ut maturè edictum suum perficiatur, mandat. Hîc multa conquerens Byronius inter alia etiam in hæc verba erumpit: Videte Domini, quomodo Catholici tractentur viri. Ad eundem modum etiam Comiti de Avernia gladius ademtus est. Fuerunt eâ nocte in hospitio Byronii omnes equi adornati ad fugam capessendam, quorum tres tantâ celeritate ad currendum fuisse dicuntur, ut sine pabulo miliaria triginta aut quadraginta conficere potuerint. M. DCII.

Ac cùm quædam ad ludibrium tantæ factionis à Byronio dicta essent, in custodia exasperatus, Rex constituit eum justitiæ tradere, ut si innocens esset, liberaretur: Sin minùs pœnâ justâ afficeretur. Accitus quoque fuit Espernonius, qui cùm Parisios venisset, & de Byronio interrogatus esset, nihil sibi de eo constare aliud, respondit, nisi quòd conjurationis caput ille fuisset, & urbes decem vel duodecim occupare in animo habuisset, eam ob caussam, quòd hostis ipsius â Rege foveretur.

Die decimo octavo Iunii duo Parlamenti assessores ad Byronium examinandi causâ venerunt, ut ex facti qualitate de processu contra eum instituendo deliberari posset. Post examen hoc confessus est peccata Byronius, & sequente die cœnâ sacrâ usus. Munus verò Mareschalli Duci de Bullion Mœnii Ducis filio traditum est: compertum verò est, socios conspirationis fuisse multos, quos inquiri necessè fuit accuratiùs. Interim opera est data sedulò, ut quæ in Burgundia & aliis locis facta esset conspiratio, comprimeretur. Et ex Burgundia quidem nobilitas missâ ad Regem legatione sese purgavit, fidem constantiamque debitam ei pollicens. Nihilominùs diffusum atque vagatum est hoc malum latiùs quàm quisquam opinione augurari potuit. Et quò plures in suspicionem vocati sunt, eò plus difficultatis & laboris oblati negocii explicatio habuit. Erant passim consilia inita de toto regno transferendo. Proinde initium à capite, hoc est, à Rege fieri debuit. Deinde convelli & suffocari debuerunt omnes, in quibus pars aliqua salutis regni videretur niti.

Operosa res omninò est, Rempublicam commotam, & ad mutationem consiliis potentum destinatam pacare. Hydræ quidam haud dissimile habet hujusmodi conjuratio, cujus uno capite resecto, plura identidem renascuntur. Non mirum igitur hanc ipsam quoque Byronii tam latè patentem conspirationem, Regi ancipitem cogitationem & curam attulisse. Convictus quidem erat ille suopte testimonio, nec probationis pars ulla desiderabatur. Et lentè tamen ad supplicium procedebatur.

Volebat etiam Rex omnia judicii solennis Formalia in isto processu adhiberi. Itaque tardiùs aliquantò ad diem scilicet decimum septimum Julii demum manè in palatium ductus est Byronius, & delectis judicibus

M.DCII. traditus. His sermone longo sua in Rempublicam merita exposuit, multorumque lacrymas elicuit. Spectaculum enim fuit miserabile, Ducem tantum ex tanto fortunæ fastigio dejectum, pœnas insolentiæ & conjurationis dare. Indignumque adeò videbatur, cum in illo ipso loco, ubi Mareschali munus à Rege accepisset, tunc crimine læsæ Majestatis regiæ damnari. Antequam verò Judices sententiam pronunciârunt, renunciatum est, Regem propter agnatos & merita illius non velle eum in loco publico damnatorum necari. Judicibus quidem mitis nimium & clemens hæc Regis declaratio visa est, utpotè cujus exemplum simile in tam atroci delicto proferri non posset: sed obsequendum tamen Regis voluntati censuerunt. Itaque omissis aliis solennitatibus in medio aulæ de la Bastilla exstructum est tabulatum, ut à turba & concursu hominum, qui ingens immensusque erat, supplicio afficiendus abstraheretur. In hunc igitur locum congregati Cancellarius, Præsides, Consiliarii & Seniores civitatis unâ cum Prætore rerum Capitalium & lictore in hunc modum id, quod in mandatis habebant, & justitiæ norma postulabat, exsecuti sunt. Inprimis Cancellarius dari sibi à reo postulavit insigne Ordinis, quod de collo suspensum habebat, baculum item, Ducale pallium & coronam. His traditis, statim sententia pronunciata est, quam iniquo animo ille tulit, nihilnè habet momenti gratia, clamitans? Assistebant ei Concionatores nonnulli, qui demulcere ejus animum dictis sacris conabantur, sed quid dicerent, parùm ille attendebat. Quemcunque verò advenientem videbat, ab eo nuncium gratiæ regiæ expectabat.

Spectatores intromissi erant, circiter 200. qui exitum processus judiciarii præstolabantur. Interim Cancellarius in sacellum adductum Byronium de multis interrogabat, quæ unà cum responso ejus à scriba diligenter notata sunt, & ipsius etiam Byronii sigillo confirmata. Quarta erat hora pomeridiana, cùm tabulatum conscendere cœpit Byronius, sed neque ligari, neque attingi à carnifice voluit, sponte se mortem subiturum esse inquiens. Quin jugulum carnificis se compressurum esse minatus, si aliâ re ullâ, quàm gladio ipsum attingeret. Multa tunc locutus est, sed tanquam mente captus. In sacellum reductus confessionem edidit, & testamentum condidit. Inde ad tabulatum denuò adductus, quæ habuit secum pretiosa quibusdam notis hominibus donavit, tandemque hæc verba iterum atque iterum repetivit: si aliter fieri non potest, quàm ut moriar, agè eamus.

Mox sententia damnationis iterum recitata est, quâ auditâ exhorruit vehementer & expalluit. Conscendit tamen genibusque innixus oravit. Oculos sibi ipse obvelavit, & capillitium ab homine quodam ingenuo involvendum curavit. In hac ipsa tamen ad mortem præparatione, irâ & perturbatione ingenti incitatus surrexit. Quid est, inquiens, quòd non te carnificem & spectatorum partem aliquam interficio? Pauca dehinc prolocutus, se in fide Romanæ Ecclesiæ moriturum dixit: Tunc rogavit, ut fratres & agnati monerentur, ne ulli unquam consilio aut fœderi malo fiderent, quemadmodum ipse fecerat. Posteà iterum sese ligavit, & in genua prolapsus dixit: Miserere mei DEUS. Ad carnificem verò dixit: Festina properè. Vix ea fatus, celeritate summâ caput amputatum est, cadaver verò Regis jussu in æde S. Pauli humatum.

Amissâ superiori anno Albâ regiâ, Turcicus tyrannus opinione omnium majorem animo cepit dolorem, proinde nec quiescendum sibi esse arbitratus est, priusquam cladem acceptam ultus esset. Quam ob caussam SERDARI Bassæ mandavit, daret operam, ut Alba regia & Strigonium recuperarentur, nisi concidi in frusta vellet. Hinc præparatio ad

redin-

redintegrandum bellum diligens adhibita est. De qua certiores facti Christiani, inprimis vigilandum ac providendum esse censuerunt, ut ne commeatu & præsidio necessario Alba destitueretur. Erant jam tum præcinctu Turci circiter 12000. quibus obsidere omnes aditus propositum fuit. At nihilominus importatus est curribus 700. commeatus recens in urbem duce Rusvvurmio, qui tametsi supra 6000. hominum secum non habuit, perrupit tamen, & commeatum invexit. Christianorum non ampliùs 6000. erant, nec eos tamen ausæ sunt adoriri duplo majores copiæ Turcicæ, propter ordinem bonum, quem illi in profectione tenuerunt. Primùm enim Sifridus Collonitius cum 1600. equitibus incessit, duabus horis pòst currus commeatu onusti cum 3000. selectis militibus & vexillis tribus. Post eos tria agmina Gallicorum equitum. Postremò Dominus de Trautmansdorff cum equitibus 200. horâ nonâ matutinâ secutus est. Cura autem custodiendi ac defendendi urbem commissa erat Italico Comiti de Isolano, ad quem sese aggregârant sponte suâ multi Barones ac generosi adolescentes, qui cupiditate cognoscendi labores militiæ ardebant, confisi promisso Cæsarianorum Ducum de certo auxilio mittendo. Propterea firmioribus animis obsidionis periculum susceperant. Albâ regiâ Jaurinum reversus Rusvvurmius exercitum pedestrem & equestrē lustravit, & inventi sunt circiter 18000. homines. Ad diem Aug. 9. Turci circiter 75000. obsidere cœperunt urbem duobus locis, uno Budam, altero Jaurinum spectante: celeritate autem inprimis sibi opus esse censuerunt Turci, quæ Iulio Cæsari multas & gloriosas victorias peperit. Nisi enim anteverterent Cæsarianos, actum esse de opere oppugnationis facilè perspiciebant. Primùm igitur machinis murariis duodecim majoribus eam verberârunt. Haidones verò factâ excursione hostes fermè 100. fuderunt, & vexillum in urbem attulerunt. Hostis conatibus summis nixus est propugnaculum, quòd est ante urbem, occupare, ad eamque rem multos cum sacramentis ad implendam fossam destinavit. Sed est à Christianis cum detrimento magno repulsus. Decimo sexto die quievit ab omni opere oppugnationis, sequente die, ubi primùm sol illuxit, furore ingenti equites & pedites ad projiciendum virgultorum fasciculos incitavit, tantumque effecit, ut muscosa loca complerentur. Mox ter oppugnavit, & in quarta oppugnatione propugnaculum oppugnavit. Haidones, qui in præsidiis illis dispositi erant, fermè omnes perierunt. Etsi enim Comes de Isolano cum aliquot centum sclopetariis subvenire illis voluit: tamen ab hoste profligatus, vix ex ferro & manibus non absque discrimine vitæ elapsus est. In oppugnatione verò Isolani patrueli brachium avulsum est. Hostium quoque multi erant occisi, & duo Bassæ ita vulnerati, ut Budam adduci eos oportuerit. Duravit autem oppugnatio propugnaculi ab ortu solis ad meridiem usque, castra porrò hostium sic dilatata fuerunt, ut vix oculis comprehendi potuerint. Ex locis occupatis damni plurimum rebus Cæsarianorum datum est, ex fulminalibus præsertim machinis, quarum 70. ibi deprehensæ fuerunt. Propiùs quoque urbem castra mota sunt. Interim Cæsariani, inprimis verò Germani, acerrimè hostem repulerunt, & ad 23. hujus mensis factâ excursione Turcos fermè 800. ceciderunt, inter quos primarii quidam viri fuerunt. Bassa autem Bosnensis & Ianitzarum Aga vulnera lethalia acceperunt. Post expugnatum propugnaculum, & occupatam Insulam, Turci in arcem invadere multis oppugnationibus tentârunt, sed identidem à Cæsarianis propulsati sunt. Cùm autem crebris insultationibus multi eorum occiderent, instituerunt de pacis conditionibus agere cum Christianis. At negavit Isolanus integrum sibi esse urbem à Cæsare Romano sibi commissam hosti dedere, ne quid contra jurisjurandi religionem, quâ obstrictus esset, faceret. Bassa VEZIRIUS tridui spacium ad delibe-

M.DCII.

M.DCII. deliberandum ei dedit: Interim verò ab armis abstineri voluit. Isolanus verò dies ac noctes sese communivit, & turrim quandam ex aliqua parte demolitus est, ut subvectis in eam tormentis hostis plurimùm noceret. Finito triduo responsum exegit Bassa, quod datum est ei ab Isolano in hunc modum: Sciat Vezirius, non esse mulieres in urbe, quam Cæsar Romanus armis recuperavit. Si ergò recuperare eam ipse vellet, necesse est, ut armis id fieret. Simul impetu facto in hostes multos eorum prostravit, aliquot machinas bellicas labefecit, & quotquot vivos cepit, eos in urbem adductos de arce suspendi jussit. Hoc modo exasperatus Vezirius, oppugnationes continuavit usque ad viginti quinque, quarum postrema ab ortu Solis usque ad vesperam duravit, Cæsarianosque adeò afflixit ac debilitavit, ut sustinere vim & magnitudinem tantarum impressionum diutiùs non possent. Tractare igitur ad vicesimum nonum Augusti de transactione cum Turcis Isolanus & ductores reliqui cœperunt. Sperârunt enim, se induciarum nomine Turcarum impetum ad dies duos aut tres retardaturos esse. Interea verò auxilium à Ducibus Cæsarianis minimè dubium præstolabantur. Quod ubi cognoverunt milites ex una parte, accurrerunt etiam ipsi, ut quid ageretur, scire possent. Interim hostis cum perfidissimis VVallonibus & transfugis Vngaris & altera parte superatis muscosis locis urbem invaserunt. Hos statim reliquus exercitus secutus est. Hinc tantus impetus in Christianos factus est, ut arcere à se vim nullo modo possent. Duces & antesignani in hac impressione fuerunt VVallones, qui promiscuè viros ac mulieres multò crudeliùs tractârunt, quàm Turci ipsi, obviaque omnia prostraverunt, Isolanus quoque utroque pede vulneratus est. Turcorum in hisce oppugnationibus ad decem millia partim interciderunt, partim sauciati sunt. Christiani verò miserè omnes mortem occubuerunt. Miseranda clades, nondum annus præterierat, cùm ex immanium Turcorum servitute erepta Alba in Christianam libertatē vindicata respirare & parere iterum imperio Romano cœperat. Ita ludit fortuna in bellis, & modò dat, modò aufert, facitque adeò, ut quod te in potestate habere confidis, opinione citiùs de manibus elabatur. Commeatum quidem ante obsidionem importârant Cæsariani Duces. Sed celeritas obsidionis tanta adeò incredibilis eis visa est, ut capitis pœna nuncium primum de ea afferentes, dignos Cæsariani duces judicârint. Mox alii advenère, qui sanguine conspersi ex conflictu cum Turcis priori narrationi fidem fecerunt. Emisit quoque Campi Marschallus tres Hussaros cum Gallo quodam primario, cui perspecta & cognita fuerunt omnia consilia & rationes Cæsarianorum. Is ad Turcos descivit, & Christianis detrimenti multum attulit. Nimirum tarditas in rebus agendis non solùm odiosa, sed exitiosa quoque est.

Jacturam Albæ regiæ & tot fortium militum, qui in eâ fuerunt, graviter molesteque ferentes Cæsariani de vindicanda ea consilium cœperunt. Abjectâ igitur omni certatione Budam cum exercitu aggressi sunt, & oppugnare summâ vi cœperunt. Est autem hæc urbs Vngarici regni arx & propugnaculum. Idcircò communita fuit, & à Turcis præsidiariis firmissimè defensa. Excursiones factæ sunt crebræ, quibus ex utraq; parte viri strenui occubuerunt. Christiani contrà impressiones tentârunt validis viribus, quibus tamen expugnari urbs non potuit. Interim verò Pestum oppositam Budæ urbem invaserunt, profligatisque Turcis eâ potiti sunt: meliore scilicet fortunâ nisi, quàm anno 1542. expertus est Christianus exercitus, qui ab obsidione illius cum jactura magna depellebatur. Conatus est quidem Serdar Bassa obsessis Budensibus subvenire. Ideóque copias suas non magnas sic dilatavit, ut speciem numerosi exercitus præberent. Conati sunt etiam vicini Bassæ commeatu & milite recenti eosdem sublevare. Sed effici hoc anno parùm ab iis potuit. Sic Budam

Turci,

Turci, Pestum verò Christiani tenent. Venit etiam in Christiani exercitus potestatem Adon arx & granarium Turcorum duobus circiter miliaribus infra Budam ad Danubium situm: cui quoque præsidium imposuerunt Christiani. M. DC. I.

Septimo Iulii hujus anni horâ nocturnâ 11. ex hac vita in cœlitum consuetudinem commigravit commemorabili pietate, sapientiâ & moderatione præditus Fridericus VVilhelmus Saxoniæ Dux, Thuringiæ Landgravius, Misniæ Marchio, postquam annos 40. menses 11. & dies 11. in his terris complevit. Nondum annus exierat, cùm decennalem Electoratus Saxonici administrationem deposuit. Et quidem toto illo gubernationis tempore commodâ valetudine, integra & constanti mente fuit, ut nullam curam, nullam operam, nullam particulam laboris, quâm gubernationis arduæ munus secum afferret, subterfugerit. Proinde nec successus prosper & salutaris ab eo abfuit. Sensit Imperator Rom. Rudolphus II. singularem ejus opem in bello contra Turcos, & in aliis rebus ad Imperii statum tuendum atque ornandum spectantibus. Fructum eximium cepit tota Respublica Saxonica, quæ sub tutela & patrocinio illius in omnibus sui partibus, pacem, tranquillitatem, ocium cum commodis publicis & privatis experta est. Nec tamen satis habuit publica curare, sed privatas etiam meditationes & lectiones adhibuit, ut penè cum doctrinæ Professoribus diligentiaque certare visus sit. Biblia inprimis studio tanto cognoscebat, ut judicare etiam magnâ dexteritate de dogmatibus posset. Patrum verò & scriptorum Lutheri lectione mirificè delectabantur. Id quod declarant versiones luculentæ sacrarum concionum Lutheri in Latinum sermonem ipsius operâ & impensis editæ. Quin collegit ipse etiam piarum precum volumen, & capitum doctrinæ Christianæ præcipuorum Enchiridion, quod filiabus suis Illustrissimis inscripsit & consecravit. Non mirum igitur est, cum suo à nobis discessu non modò memoriam sui perpetuam, sed desiderium quoque ingens reliquisse.

Septembris dies duodecimus festus & solennis fuit nuptiali ritu Ducis & Electoris Saxoniæ Christiani II. celebratus, cùm quidem biduo antè sponsa Hedvvigis Regis Daniæ Friderici II. filia comitatu frequenti & valdè jucundo advenisset. Fuerunt in hoc Comitatu mater vidua Regina, frater Vlricus Dux Slesvvici & Holsatiæ, hæresque Norvvegiæ. Accesserunt eodem paulò antè Pomeraniæ Princeps vidua, Dux Lunæburgi, Elector Brandeburgi, Ioachimus Fridericus Marchio. In ingressu non solum omnia adornata fuerunt potissima arte, sed in Albi videre etiam erat natantes Syrenes cum Neptuno insidenti balenæ cum quatuor equis. Nec abfuit ab hac festivitate ulla species hilaritatis, nec spectaculum est desideratum aliquod ingeniosè, affabrè & splendidè effictum, excogitatum & perpolitum.

Sub finem anni Dux Sabaudiæ aliquot millia equitum & peditum in promptu habuit, aliud occultè moliens, aliud specie simulationis ostentans. Rumor enim erat, velle eum ad Lotharingiæ Ducem copias illas contra Argentinensem Episcopatum mittere. Sed præter opinionem Genevæ appropinquantes de nocte præmiserunt nonnullos, qui lignorum fasciculos portârunt, & in fossam urbis projecerunt, quo ad murum pervenire possent. Hos statim secuti alii scalas apportârunt, quæ in partes ita dissectæ erant, & uncinulis munitæ, & singulæ à binis militibus gestarentur, & connecti denuò possent. Quin rotis etiam & panno villoso obductæ erant in extremitatibus, ut & protrudi & sine sonitu fragoreque admoveri possent. His connexis & locis tribus applicatis ad novam portam primùm, ubi excubiæ non magnæ erant, Hispani murum conscenderunt. Sed conspecti sunt à quodam vigile, qui statim ad denunciandum quid ageretur, cucurrit, & ex bombardâ edito sono excitare cives

M.DCII. ſtuduit. Hiſpani verò horrendum in modum captam eſſe urbem clamârunt, ad portas magnâ feſtinatione properârunt, petardasque ad disjiciendum eas admoverunt, cùm autem excubiæ in urbe diſpoſitæ imbecilliores eſſent multò, quàm ut vim tantam Hiſpanorum propellere poſſent, claſſicum cecinerunt, quo ſuſcitati cives ſunt, inventusque eſt mox quidam bombardarius, qui emiſſo unico globo ſcalas muro admotas evertit, ut conſcendere ampliùs nemo poſſet. Congregati porrò cives animis firmis in hoſtem invaſerunt, eumq; partim cæciderunt, partim ceperunt, in easq; anguſtias adegerunt, ut latebras quæſierunt. Altero die de captivis comprehenſis tredecim ſuſpenderunt, inter quos unus Baro fuit & alius Ducis Sabaudiæ venator primarius. Multos deinde ex latebris extractos eodem ſupplicio affecerunt. Bona autem pars Hiſpanorum extra urbem præſtolata eſt, portas apertum iri exiſtimans. Dolent hâc clade acceptâ Hiſpani, & ut ulciſci tam inopinatum caſum poſſint, viciſſim Genevenſes cives quoſcunque apprehendunt, ignominiosè crudeliterque tractant. Sic ſpe falsâ decepti Hiſpani damnum & dedecus domum retulerunt.



ANNO M. DCIII.

HOc anno menſe Martio, Maria Auguſta in Hiſpania diem extremum clauſit. Fuit hæc Caroli V. filia, Maximiliani conjunx, Ferdinandi I. nurus, Rudolphi II. etiam nunc Imperatoris mater. rarum non nobilitatis tantùm, cujus omnia decora in una conſpiciebantur, verùm etiam omnium virtutum ſplendidiſſimum ſpeculum atque exempla. Sed nulla res eam ſic ornabat, ac humilitas & modeſtia; quæ quantò in ſummo dignitatis & fortunæ faſtigio rarior eſt & inuſitatior, tantò majorem parit gratiam & admirationem. In egenos quidem & calamitoſos tantâ utebatur humanitate & munificentiâ, ut & ægrotas fœminas ipſa viſitare & captivis de ſua menſa cibum mittere non dedignaretur; ſtipem porrò nemini negaret. Deceſſit tandem pleuritidis victa doloribus, provectâ jam ætate.

Eodem ferè tempore, Aprilis ſcilicet die tertio, Eliſabetha Angliæ Regina in arce Richmundi, quò paulò antè ob aërem conceſſerat, fato functa eſt, poſtquam vixiſſet annos undeſeptuaginta, ſex menſes, & ſeptendecim dies; regnâſſet verò quatuor & quadraginta. Iamdiu illa ſenectutis vitio, & aliis de cauſis facta moroſior, paulatim tabeſcere incipiebat, medicinam tamen omnem corporis, nullo tamen interim graviori afflicta morbo, amiſerit. Hinc animi viribus quoque debilitatis, inſomnia ferè ciborumque omnium faſtidio & nauſea laborabat, abjectâ etiam omni Reipublicæ curâ.

Paucis ante mortem diebus, quum nec illa de publicis rebus quidquam reſponderet, nec de ſucceſſore deſignando quiſquam commonefacere eam auderet; ſenatus cohortem prætoriam tàm equitum quàm peditum conſcripſit, evocatisque primariis publicorum munerum adminiſtratoribus, in commune conſuluit, ac futuris motibus, quantum fieri poterat, avertendis proſpexit. Fuerunt ſanè in hac Regina multæ ſupra ſexum virtutes; ac vel primariis fœminis poteſt annumerari.

Mortuâ Reginâ proceres Angliæ, Londini conventu habito, Jacobum VI. Scotorum Regem publico edicto legitimorum regni hæredem proclamari, & ab omnibus agnoſci jubent: miſſisque ſtatim per celeres equos literis, hujus ſuæ voluntatis Regem faciunt certiorem. Is accepto nuncio, interea dum res in Scotia ordinaret, iiſdem proceribus Rempublicam commendat, & ne quid detrimenti capiat, abſente ſe, providere jubet, additâ gratiarum actione, quòd rem per ſe juſtam & honeſtam ſuis promoverint ſuffragiis, multis verbis de ſuo erga ipſos

ipsos favore & studio testificatus. In regni verò administratione nihil voluit immutari quoad præsenti sibi res inspicere, quæque necessaria viderentur, constituere liceret. Hæc ad proceros: qui ut reliquam nobilitatem & plebem in officio retinerent, publicis literis singularem Regis erga universos regni subditos amorem & benevolentiam commendarunt; eos verò quibus quodcunque Reipublicæ munus esset commissum, usurpare id atq; eodem quo antè, vivente Reginâ, modo administrare jusserunt; sic tamen, ut si quid secus fieret, rationem sibi apud Regem reddendam scirent, cujus esset ea, quæ vel hominum vel temporum vitio in Republica errata suppullulâssent corrigere, inque melius mutare. Cæterùm multis undique etiam e procerum ordine, certatim ad Regem, regni limites nondum ingressum, partim summo visendi tam optati sibi Regis studio, partim honorum ac novæ gratiæ spe accurrentibus: eodem edicto Rex suos, eos maximè, quibus publicum aliquod munus demandatum, moneri voluit, ut â tam ferventi studio sibi temperarent, ac domi manerent, quod periculum esset, ne confluente unum in locum tantâ multitudine, pretia annonæ & cæterarum rerum augerentur, & iis quoque, qui novis rebus studerent, absentibus præfectis, audendi aliquid, remq; publicam perturbandi ansa daretur.

Jacobus VI. Rex Angliam ingressus 7. Maii Londini magno civium applausu & congratulatione est exceptus. Interea dum quæ ad coronationem necessaria comparantur, salutares quasdam leges promulgat. Ac primùm de piratis, qui toto mari volitabant, jubet, ut quòd quisq; eorum ad 24. usque diem Aprilis ab Hispanis, quibuscunq; anteà bellum fuerat, intercepisset, id sibi retineret: quæ verò post id tempus ablata essent, spoliatis repetendi jus esset. Monopolia etiam, aliaq; privilegia, ab hominibus lucri cupidis per subreptionem à Regina p.m. in populi detrimentum extorta abrogat: ludosq; & histrionicas actiones, quibus dies Dominicus profanabatur, interdicit. Sed præstat ipsius edicti tenorem adscribere. Principiò magnam ait se animo cepisse voluptatem ex tam benevolo subditorum in se affectu, cujus nuper in regni, & successionis jure in se, ad quem unum pertinebat, transferendo, apertam dederunt, significationem. Hac ipsorum benevolentiâ & amore exstimulatum, nihil quoq; prætermittere velle, quòd vel ad publicam omnium salutem, vel ad privatas uniuscujusq; rationes, quantum æquitas pateretur, promovendas pertineret. Quanquam enim quod ab ipsis factum sit, aliter fieri vel prætermitti sine flagitio & summâ injuriâ ab ipsis non potuerit; agnoscere, se tamen esse quendam inter magistratum & subditos respectum, quo alter alteri ad obsequia & mutua benevolentiæ officia præstanda, religione quâdam obstringatur. In hanc cogitationem unicè se incumbentem multa animadvertisse, quæ defuncta Regina, si vita DEI munere diutiùs ei suppetiisset, aliter constituere decreverit, quòd fuissent nonnulli, qui summa Reginæ, bene de se & regno meritis ornare vehementer cupientis, benignitate abusi, multa in republ. avarè & superbè administrassent. Iam verò licèt tale quid nondum ipse deprehenderit: quum tamen non officio tantùm, sed naturâ quoq; ab omni justitia, & ad subditorum perniciem excogitata fraude abhorreat, non posse non vehementer de eo solicitum esse, ut populus intelligat non minùs se de privata cujusq; utilitate promovenda cogitare, quàm singuli, acceptando personam suam & declarando pro legitimo hærede regni, ad quod jam per DEI gratiam conscenderit, bene de ipso mereri studuerint. Quocircà jubere atque imperare, ne quis posthac privilegiis à defuncta Regina acceptis utatur ad monopolia exercenda, vel ad alias immunitates, donec ea à consiliariis diligenter ventilata, rata esse jubeantur. nolle enim se ut ulla privilegia in præjudicium & detrimentum subditorū, jus suum contra debitores vel alio modo sibi obligatos persequentiū, data & excogitata, in foro & judiciis valeant, prætendantur aut acceptentur, sed nec ullam debiti actionē admissam velle,

 quæ

M.DCIII. quæ aliter concepta & instituta sit, quàm solennis consuetudo & ratio judiciorum longo usu confirmata requirat. Quia etiam graves querelæ de iis, quorum sit, vel nitri conficiendi rationes inspicere, vel simile aliquod munus administrare adferantur: serio mandare, se & omnes, qui ejusmodi officiis præsunt, in eorum administratione ita versentur, ut ne subditi de ipsorum vel negligentiâ vel improbitate causam ullam habeant conquerendi. Similiter omnibus Jurisconsultis, Procuratoribus, Notariis, Scribis, & aliis omnibus circa jus vel spirituale vel seculare administrandum versantibus serio injunctum velle, ut à munerum acceptationibus abstineant, & salario usitato contenti, ex æquo jus omnibus dicant. Cæterùm ut tantò accuratiùs mandatum hoc ab omnibus & singulis observetur, velle se in eos, qui contrà facere ausi fuerint, severissimè animadvertere: eumque in finem, subditis universis vel fraude circumventis, vel injuriâ magistratuum aut aliorum oppressis permittere, ut quo par est modo coram se vel consiliariis suis liberè proponant, accepturi responsum ejusmodi, ut facilè inde de suo erga tuendam justitiam, & commodum uniuscujusque augendum & promovendum studio, certissimam conjecturam facturi sint: monere tamen, ut qui querelas adferunt, videant, ut justas & legitimas conquerendi habeant caussas, nec quidquam ex odio & affectu aliquo privato in alicujus contumeliam & detrimentum suscipiant. Hoc enim si qui facere præsumserint, daturum se operam, ut intelligant, non minùs Principis esse in caussâ justa tueri personas publicis muneribus fungentes, quàm justitiam promiscuæ plebi in causis legitimis etiam contra quoscunque dignitate supereminentes administrare, salvo tamen in omnibus jure suo, cui nihil hoc mandato detractum velit. Quum denique animadverterit, insignem in regnum Anglicanum Sabbathi profanationem irrepsisse: omnibus modis enitendum sibi, ut sublatâ omni profanatione, sabbatho divino debitus honor restituatur. Quare quum vitare occasiones peccandi sit vitare ipsa peccata: velle se atque jubere serio, ut in posterum omnium certaminum, quæ ab ursis & tauris invicem commissis fiunt, palæstrarum item, comœdiarum & tragœdiarum, saltationum, & aliarum id genus scenicarum oblectationum spectacula & exercitia diebus festis & dominicis per universum regnum abrogentur & intermittantur. His ita salubriter constitutis, & defunctæ Reginæ exequiis magnificè admodum & sumtuosè celebratis, proceres quosdam muneribus & dignitatibus ornavit.

Hoc ipso anno die 26. Aprilis obiit Georgius Fridericus Marchio Brandenburgicus. Natus hic Princeps fuit Onolsbaci anno 1539. die 5. Aprilis, & in vera pietate omnibusque heroicis virtutibus educatus, cùm ad maturam pervenisset ætatem, uxorem duxit Elisabetham Brandeburgicam anno 1558. eaque VVarsoviæ in Polonia anno 1578. placidè defuncta & Regiomonti Borussiæ in templo cathedrali humata. Anno 1578. ad secunda vota transiens, Sophiam, Guilhelmi Principis Brunsuicensis & Lunæburgensis filiam, duxit, cumque Principatum 47. annis gerens, omnia piè, feliciter & pacificè cum summa laude administrâsset, & in cognoscendo legendoque verbo DEI, quo unicè delectabatur, omne suum studium posuisset, tandem hoc ipso anno, die 26. Aprilis, finito ætatis anno 64. Onolsbaci, in vera agnitione, ardentique invocatione Filii DEI Domini nostri Iesu Christi, piè & placidè cum ingenti subditorum suorum luctu obdormivit. Cui postmodò funus satis amplum & honorificum factum est 14. Iunii, congregatis in hunc finem Electore Brandenburgico & multis Principibus nobilibusque personis aliis, qui exequiis eum honorificis prosequentes, ad monasterium Halsprunense cum ingenti luctu & mœrore tali quidem pompâ, ordine & processu deduxerunt: Principiò agmen ducebant sex nobiles aulici, hos sequebatur Petrus Ramazonius Bassista Principis, Crucem gestans, post eum Ludimoderatores Scholæ Onolsbacensis,

duce-

ducebant pueros trecentos, studiis bonarum artium addictos. Sequebantur Pastores & Concionatores triginta, Musici item aulici, cum æneatoribus & tympanistis, quorum agmen claudebant duodecim tubicines, tubas gerentes pullâ quidem veste obvelatas, sed insignibus tamen Principis conspicuas. His ita præmissis, novum quasi agmen ducebant, Guilielmus Comes Mansfeldiæ, cum Consiliariis Electoris & Principum præsentium, nempe Electoris Brandenburgici; Christiani & Ioachimi Ernesti Marchionum; Principis Coburgensis; Palatini Neoburgici; Lunæburgici; & Marchionis Ioannis Georgii, Administratoris Capituli Argentinensis. Hos sequebantur prædictorum Electoris & Principum Aulici, Vasalli item & ad exequias hasce peculiariter invitati descriptique nobiles alii, quorum agmen claudebant triginta Sclopetarii equites sclopos inversos in humero gestantes. Tertium agmen Ioannes Ludovicus Monasterius, Præfectus Kitsingensis; Georgius Eckingerus Lendershemius, Præfectus Streitbergensis; & Eberhardus Eltershofius, Præfectus Hohenneccensis. Hos sequebantur duodecim equi panno nigro obvelati & insignibus Principis separatis atque distinctis conspicui cum totidem vexillis, quorum primum prætorium ex panno Damasceno rubro, reliqua verò omnia ex nigro constabant. Gestabat illud Ioannes Albertus Baro VVolffsteinius, Præfectus Creilsheimensis, equum verò ducebant Fridericus VVigandus, Rettvitius in Hoffek, & Ioannes Reinhardus Berlishingius. Vexillum alterum, in quo insigne Marchionatus Brandenburgici depictum erat, gestabat Ioannes Erckinger, Baro Saiushemius, equum ducebant Georgius Sigismundus Rosenburgius, & Fridericus Guilielmus Guttenbergius. Vexillum tertium cum insigni Borussiæ gestabat Sebastianus Bartheimius senior, equitum magister, equum ducebant Georgius Vlricus Vellevartus, & Abrahamus Brandius. Vexillum quartum cum insigni Stettinorum, gestabat Ioannes Philippus Fuchsius Binbacensis. Equum ducebant Martinus Conradus Eybius & Ioannes Philippus Hundt. Vexillum quintum cum insigni Pomeraniæ, gestabat Ioannes Fridericus Gotsmannus, equum ducebant Fridericus Creilshemius & VVolffgangus Christophorus Gebsattelius. Vexillum sextum cum insigni Cassubiorum, gestabat Ioannes Ioachimus Seckendorffius, equum ducebant Ioachimus Gichius & Sigismundus Valdenfelsius. Vexillum septimum cum insigni Henetorum, gestabat Fridericus Eybius, equum ducebant Ioannes Sigismundus Crailshemius, & Sigismundus Magnus Sedvitsinus. Vexillum octavum cum insigni Silesiæ, gestabat Ioannes Philippus Crailshemius, equum ducebant Ernestus monasterius & Eberhardus Eybius. Vexillum nonum cum insigni Iegerndorffii, gestabat Georgius Theodoricus Gichius, equum ducebant VVolffgangus Christophorus Truchses Pomersfeldius, & Ioannes Asmus Steinachius. Vexillum decimum cum insigni Burggraviatus Norimbergensis, gestabat Albertus Christophorus Rosenburgius, equum ducebant Ioannes Guilielmus Eybius, & Casparus à Stetten. Vexillum undecimum, cum insigni Rugiæ gestabat Laurentius Monasterius, equum ducebant VVolffgangus Crailshemius, & Michaël Marschallus ab Ebnet. Vexillum duodecimum cum insigni Zollortiano, gestabat Ioannes Conradus Volmershusius, equum ducebant Iobus Loebingerus & Ioannes Christophorus Adolshemius. Hos equos sequebatur VVolffgangus Comes Castellanus, vexillum gerens, in quo insigne totius Electoratus & Principatus Brandenburgici conjunctim depictum erat. Agmen verò tandem claudebat Christophorus à Bartheim, equo Principis cataphractus insidens. His ita præmissis, procedebat postmodò funus, ab octo equis protractum, qui nigro panno violati, totidem ducebantur nobilibus Marchionis defuncti aulicis, procedebant item nobiles quadraginta quatuor, Bajuli funebres, ab utraque parte octo, cum totidem faces ardentes gestantibus & sex lancearii,

M DCIII. eariis, lanceas inversas gerentibus. Funus ipsum aulæo ex holoserico nigro ad terram undique promisso alba cruce & insignibus Principis ornato tectum erat, impositumque sibi gladium cum pugione inaurato, habebat.

Cæterum & Aegidius Hunnius S. Theol D. Professor & Pastor Ecclesiæ VVitebergensis, vel ex disputatione, quæ inter Lutheranos & Jesuitas superiori anno Ratisbonæ instituta fuit, omnibus notus, sub Aprilis initium diem suum obiit: Natus is fuit VVindaviæ in Ducatu VVirtenbergico anno 1550. Educatus verò liberalitate Principum VVirtenbergicorum, primò in schola Adelbergensi, postmodum in Maulbrunnensi, & tandem in Tubingensi, ubi Magisterii gradu juvenis adhuc 17. tantùm annorum cum laude ornatus, & anno ætatis 26. in Theologiæ Doctorem cùm eruditionem suam jam integro biennio Ecclesiæ publicè probâsset, legitimè promotus est. Postmodò ab Illustrissimis Hassiæ Landgraviis Marpurgum vocatus, per continuos 16. annos legendo, concionando, & disputando juventuti in Academia ista præfuit profuitque, donec anno 1592 ad Illustrissimi Saxoniæ Principis, Friderici VVilhelmi, Electoratus Saxoniæ Administratoris, felicissimæ recordationis, voluntatem, VVitebergam concessit, ubi Præpositi primum, pòst Superintendentis officio hactenus functus est, donec metam & terminum vitæ assecutus, cùm calculi primum doloribus conflictari cœpit, ad quos catharri postmodum perniciosissimi concurrentes, vires ejus ita attenuârunt, ut 4. Aprilis, divo Ambrosio nempe sacra die, annorum existens 53. inter medias preces & suspiria, anima sua Servatori Christo commendata, placidè obdormierit, non sine ingenti Ecclesiæ & Scholæ istius luctu.

Interea Scotiæ Regina, Christiani IV. Danorum Regis soror, Friderici II. filia, quinto die Iunii Edimburgo profecta, in Angliam venit, & Londini ipsis Calendis Iulii, à Rege cum magno procerum numero, obviam progresso, excepta, magnificeque in urbem introducta est, filium natu majorem, Henricum nomine, secum adducens, quem proceres Scotorum ægrè à se dimiserunt.

Præparatis omnibus, quæ ad coronationem requirebantur; Rex ingenti procerum ac nobilitatis numero stipatus, vicesimo quinto Iulii Vithallæ regiam navim ingressus, secundo flumine Vestmonasterium descendit. Hoc verò nomine locus ille universis comprehenditur, qui occidentale urbis Londinensis latus, instar suburbii claudit: in quo & arx est regia, & templum cathedrale. Plateæ & viæ omnes floribus erant constratæ, & solum cærulei coloris panno tectum & vestitum: super quo Rex ad templum usque processit, hoc ferè ordine & pompà. Agmen universum præcedebant quatuor fetiales regii, sive præcones, dato buccinæ signo, silentium imperantes. His proximi erant è nobilitate circiter sexaginta numero, ad equestrem dignitatem aspirantes, togis coccinei coloris, sed albo serico suffultis, induti. Hastas gestabant, bipenni non multùm absimilies, sed paulò breviores, ac ferro angustiori; reliquus eorum ornatus omnis, thoraces, caligæ, calcei, pilei, iisque impositæ cristæ, miro candore nitebant. Sequebantur Musici & Cantores, qui ad organorum melodiam, dum ceremoniæ peraguntur, vocem suam explicarent & accommodarent. Inde Episcopi incedebant, triginta circiter, eo omnes vestitu atque ornatu ferè qui apud Catholicos usurpari consuevit. Hos quadraginta subsequebantur Domini, vestibus è serico albo, & togâ coccineâ, pellibus candidis nigris maculis distinctis suffultâ, induti. Proximè hos quatuordecim magnates totidem coronas gestabant, quatuordecim item apicibus fastigiatas, quorum singuli eximiæ magnitudinis margarita erant insignes. Vestitus verò eorum itidem albo serico, & togis coccineis constabat. Sequebantur duo magnates, eodem modo vestiti, singuli baculum aureum ulnæ longitudine manu tenentes, capiti ipsorum pileolus è rubro serico erat impositus, corona redimitus.

Hos

Hos proximè sexaginta circiter, ex equestri ordine præcipuæ dignationis; simili ferè amicti vestitu, excipiebant. Hinc magnates duodecim sceptrum aureum vel inauratum, cujus fastigium imperiali coronâ splendebat, singuli gestantes, sequebantur. Horum omnium similis erat vestitus: togæ scilicet holosericæ rubri coloris, manicis breviusculis, circa pectus fibula adstrictæ, pellibus polymitis subductæ, cum pileis ex eadem materia, coronatis. Post hos regalia, sive regia insignia gestabantur: gladius scilicet in vagina aureis bracteis inclusa reconditus: globus aureus, terræ orbem repræsentans: & duæ coronæ aureæ, multis gemmis collucentes, & pulvinaribus ex holoserico rubro impositæ. Hos sequebatur Rex ipse, sub caduceo vel tentorio serico undulato, rubri coloris, quod quatuor fulcris impositum, à totidem proceribus ferebatur. Rex eodem vestitu, quo præcedentes magnates, erat indutus. A dextro ejus humero infra sinistrum brachium traductum monile radiabat, ex Adamantibus & id genus gemmis contextum. Porrò sequebantur regii satellites, numero quadraginta (hi in universum centum eranr & quadraginta; sed ex his centum Reginæ tergum claudebant) tunicis è panno coccinei coloris amicti, quarum aperturæ funiculis ex auro bracteato erant junctæ, fimbriæ senis ex holoserico nigro limbis prætextæ: antica verò & posticâ parte rosa Anglicana ex auro purissimo, digiti latitudine supra pannum exstans radiabat. Post hos nova pompa sequebatur: cujus caput & præcipuum decus fuit, ipsa Regina, sub caduceo ejusdem coloris & materiæ cum priore incedens, quod quatuor magnates gestabant, simili ut superiores habitu ornati. Regina ipsa capillos solverat, dederatque comas diffundere ventis, serto ex adamantibus, sapphyris, pyropis, aliisque pretiosissimis gemmis duorum digitorum latitudine capiti imposito. Pallam induta erat, ex holoserico rubro factam, ac pellibus candidis, nigris maculis distinctis, subductam, cum oblongo syrmate, quod à quatuordecim Comitissis, quas vocant, gestabatur. Sequebatur gynæceum, sive nympharum Reginæ inservientium cœtus amabilis, candidò vestitu & ornatu spectantium oculos perstringens: ac tandem universum agmen regium satellitium claudebat.

Postquam hoc ordine & hac pompâ in templum Vestmonasterii est perventum, jamque Rex portæ succederet: ingens à concurrente subditorum multitudine, Regi omnia fausta comprecantium, sublatus est clamor, ubi Rex in choreo constitit, statim à duobus Episcopis in sella collocatus, & ab aliis duobus pulvinar holosericum pedibus ejus suppositum est. Inde Regina eodem modo deducta, non procul à Regis latere consedit. Post hæc Episcoporum aliquis orationem habuit, quâ finitâ, adstantes interrogavit, utrum præsentem pro Rege agnoscere & acceptare, eique parere, & in regno defendendo officia debita præstare vellent? Hic omnibus acclamantibus, & magnâ voce Regem poscentibus, lituorum & tubarum clangore, longè lateque diu omnia personabant. Idem inde ad Regem conversus, utrum imperium non jure tantùm, sed summo etiam subditorum consensu ad se delatum acceptare, regnoque inaugurari vellet. Quo similiter annuente, ingens rursus populi applausus est subsequutus. Idem de Regina interrogatum, consimilique responso approbatum, non minore lætitiâ & plausu exceptum. His peractis, quatuor Episcopi Regem ad locum templi editiorem, cujus pavimentum holoserico rubro erat constratum, deduxerunt, & in solio miræ vetustatis, antiquitus eum in usum conservato, & holoserico exornato, collocârunt. Sedenti quatuor Episcopi thoracem, fibulis & nodis ita adstrictum, ut facilè partes ejus omnes solvi possent, detraxerunt. Mox accessit Cantuariensis Archiepiscopus, oleoque è capsula aurea depromto, frontem Regis, & utramque axillam inunxit, cæteri rursus vestimentis induerunt. Inde quatuor Episcopi coronam regiam capiti impo-

M.DC.II.

M.DCIII. impoſuerunt: ſtatimque tantus ac tam dulcis organorum concentus, chorau-lorum & Muſicorum vocibus ac diverſis inſtrumentis intercinentibus auditus fuit, ut & audientium aures incredibili voluptate perfunderentur,& animi velut ſtupore quodam defigerentur. Hîc Rex coronam capiti impoſitam gerens,proceres adſtantes rogavit, utrum coronam hanc & regnum contra vim omnem, inſidias & proditionem tueri ſecum & defendere, quæque ad regni perniciem quocunque modo à quocunque excogitarentur, avertere & averruncare vellent: omnibus clarâ voce aſſentientibus, & Muſicorum iterum & bellicorum inſtrumentorum audiri cœpit concentus. Vt autem aſſenſus hic jurejurando quoque confirmaretur: proceres omnes,nemine excepto,decenti quodam ordine Regem adierunt, & in genua provoluti, ſinguli binos priores digitos coronæ applicuerunt, Regisque manum deoſculati, eodem quo venetant ordine, ſubſellia redierunt. Poſt hæc Rex ad locum ubi Regina interim manſerat,reductus, Regina verò ab iiſdem Epiſcopis in ſolio, in quo Rex inauguratus fuerat, collocata, & peractis convenientibus coronationi ceremoniis, ad Regem iterum eſt deducta, tanta cum magnificentia tantoque ſplendore, quantum in regno opulentiſſimo ab hominibus & natura in Luxum propenſis, & Regum ſuorum obſervantiſſimis credibile eſt fuiſſe adhibitum. Hi cùm aliquamdiu aſſediſſent,Rex poculum aureum vino plenum Londinenſis civitatis Prætori (Majorem vocant, eſtq; is annuus Magiſtratus) propinat, urbis ſuæ primariæ curam & ſalutem ei commendans: pro qua quum is ſangvinem quoque ſuum effundere ſe paratum dixiſſet,Rex eodem poculo, itemq; armis, loricâ ſcilicet & gladio,pòſt regia unica,optimis, eum donavit. Inde aliud conſimile allatum poculum Rex cuidam è ſua nobilitate propinavit, hac conditione, ut in omnibus ludis equeſtribus ſuas vices obire vellet: qui ubi pro hoc delato ſibi honore gratias quàmmaximas egiſſet,ad præſentes converſus quæſiit, num quiſquam eſſet,qui Regiæ Majeſtati, quod exprobraret, haberet: prodiret is, & ſecum columniam quamcunq; ferro diluere parato,depugnaret: ſimulq; cum dicto chirothecam manu detractam in medium projecit. Quum autem nemo prodiret, ſed omnes unâ voce, nihil in Rege eſſe,quod ſibi diſpliceret,affirmarent: Rex poculo illo, itemq; loricâ & gladio, poſt bina altera, præſtantiſſimis, donatum dimiſit. Finitis his ritibus,Rex & Regina conſurrexerunt, ac paulo pòſt eodem ordine atq; eadem pompâ (niſi quòd quatuordecim illas coronas, quas ſuprà à totidem proceribus geſtatas diximus,jam quatuordecim Comitiſſarum, quæ ſyrma à Reginæ pallâ dependens ferebant,capitibus impoſitæ cernebantur)per oblongam pergulam ad fluvium perrexerunt,ibiq; impoſito in naves omni comitatu, ad urbem atque inde ad regium palatium ſunt profecti. Tantus verò cymbarum numerus, tametſi innatantium paſſim conſpiciebatur,ut flumen veluti conſtratum appareret: tantusq; audiebatur paſſim è tota urbe tormentorum fragor,ut cœlum ruere videretur. Interim regii ſatellites, qui Regem non per eum locum,quà venerat,reverſurum ſcirent, pannum, quo viæ conſtratæ erant,colligere cœperunt: quod quum a multitudine animadverteretur,operam ſuam iiſdem,etſi non conductam, tam ſtrenuè præſtiterunt,ut momento temporis omnis illa panni materia evanuerit, aſportantibus ſingulis quantum fortuna offerebat.

Peſta, è regione Budæ ad Danubium ſita,eleganti ædificiorum ſtructura,altis turribus,& in ſublime excitatis muris pulcherrimâ urbe, cùm ſub finem præcedentis anni noſtros potitos eſſe,Vezier Baſſa, in itinere, quo expugnatâ Alba regali, copias Conſtantinopolim reducturus diſceſſerat,cognoviſſet,recollecto ſtatim viginti millium Barbarorum, & trecentorum VValonum perfidorum exercitu,magnis itineribus progreſſus revertitur, caſtra ſua ad Peſtam, noſtrorum caſtris opponens,verùm cum commeatu & alimentis, quæ quidem tantis ſuffi-

sufficerent copiis, instructus non esset, ab ingenti fame castrorum dissipatio brevi soluta est, multis equorum inedia extinctorum carnibus vitam frustrà sustentare conantibus, cùm enim & ipsæ deficere cernerentur, convasatis rebus omnibus, sub noctem omnibus propter tenebras densissimas passim silentibus, cum universo exercitu movens discessit, itinerum ad Belgradum directo. M. DCII.

Exorto postmodum sole, cùm castra Barbaris evacuata nostri cernerent, certoque constaret, hostem abiisse, assumptis quinque militum millibus, tormentisque non paucis, ad Adonium oppidum, quatuor miliaribus infra Budam ad Danubium, satis eleganter exstructum, quod velut alimentorum penu & promptuarium Budenses habuerant, terrà & aquâ contenderunt, Husaris initio qui deditionem expeterent, præmissis, quam cùm Turcæ recusarent, copiæ omnes cum tormentis adductæ sunt, quibus visis Barbari salutem pacti deditionem statim fecerant. Interea dum expugnando huic castro nostri operam darent, veriti qui in castris ad Budam substiterant milites, ne dispersi ab erumpentibus forsitan hostibus opprimerentur, ad oppidum aquaticum congregati, uni sese propugnaculo incluserunt. Verùm Budenses, cùm respirandi sibi ab oppugnatione nonnihil loci datum cernerent, civitate subitò erumpentes, castra à nostris deserta occupârunt, donec summâ virtute à nostris superati in urbem rursus propellerentur. Tum verò statim oppugnationem Budæ majori quàm anteà unquam contentione & conatu continuare nostri visi sunt, ita ut turri etiam ad stabulum regium tormentis disjecta, irruptionem facere cogitarent, sed continuis imbribus & tempestate subitò maximâ exortâ, impediti, à telorum tandem conjectione cessare coacti sunt. Cæterùm Barbarorum equitum duo ferè millia, inter media tela, civitate proruentes, impetum in Stiriacum fecêre equitatum, sed cataphractis equitibus auxilio Stiriacis mox venientibus, portam cum damno suo repetere coacti sunt. Præ cæteris autem in pugna tum ex parte Turcarum enituit quidam thorace, & armis aliis inauratis conspicuus, quem plumbeâ glande percussum, cum equo cadere cernerent, sublatum statim Barbari secum civitati intulerunt. At verò cùm ingentem Janitzarorum multitudinem in insidiis constitutam nostri ignorarent, non parum ex repentina & improvisa illorum irruptione damni perceperunt; quod ut aliquo modo ulciscerentur, conjunctis postero die in urbem aliquot globis candentibus, haud exiguam in ea dederunt cladem. Tandem tamen cùm à Tartaris ingenti multitudine Budam sublevatum appropinquantibus, periculum sibi non exiguum imminere cernerent, castra ad Budam solvere, & Pestam commeatu rebusque necessariis omnibus instructam repetere tutissimum rati sunt.

Post nostrorum igitur ex castris discessum, Barbari recuperato statim suburbio aquatico triumphare & ingenti lætitiâ exultare visi sunt, creberrimis tormentorum explosionibus gaudium suum declarantes, cumque à Pesta non abstinerent, sed tela in ea frequentia mitterent, nostri par pari referendum existimantes, tormenta in eos plurima direxerunt, donec tandem hoc à Barbaris acciperent responsi, parcerent viribus suis, pulverique tormentario, & à telorum conjectione abstinentes litis direptionem ab Imperatoribus utriusque partis propediem instituendam expectarent.

Cæterùm cùm annonæ caritate Budenses ingenti laborarent, & periculum esse videretur, ne fame coacti deditionem tandem facerent, congregata est Barbarorum multitudo, ut annonam, & quæ ad victum sustentationemq; necessaria essent, Budensibus transveherent, sed â Strigoniensibus nostris intercepti, medio inter Budam & Albam regalem itinere oppressi fusiq; sunt, commeatu, quo instructi erant, omni ablato, qui postmodum quadraginta currus alimentis variis onustos Pestam transmisêre. Verùm accepto ea de re nuncio Budenses in occursum eis tendere non cessârunt, cumq; juxta ripam Danubii eos of-

M.DCIII. fendissent, Strigonienses hostium mille & quingentorum viribus longè se inferiores fore putantes, currus omnes deseruerunt, quos ita sine pugna feliciter occupatos, Budam statim Barbari traducere conati sunt. At Pestenses hoc cognito, emissis statim duorum millium copiis alimenta ista recuperari jusserunt, quæ sylvam, quam transire Budenses oportebat, ingressæ, in duas sese turmas cautè diviserunt, adventum eorum tacitè præstolantes. Appropinquantibus igitur Turcis, pars derepentè in eos altera irruere & armis decernere, altera à tergo adventantes currus arripere & occupare, Barbaris haud parùm resistentibus, quibus maximâ parte, cùm nihil minus cogitarent, trucidatis, recuperata & vindicata alimēta nostri Pestam, unà cum captivis aliquot feliciter traduxerunt.

Post dies autem aliquot cùm tribunus quidam præsidiariorum in Pesta, certâ relatione cognovisset, primarios quosdam ex Buda Barbaros, cum duobus Bassis, & nobilium aliquot fœminarum insigni gynæceo, ad thermas Budæ vicinas, oblectationis gratiâ sese contulisse, ipse assumtis aliquot sclopetariis millitibus, glaciei inambulans, Danubium trajecit, felicitatem balneo ipsorū comprecaturus, quo superato derepentè lavantes & lætantes, nec tale quid vel per somnium cogitantes oppressit, sclopisque & gladiis prostratos atque confossos omnes, unico duntaxat puero, qui præfecti Turcici filius perhibebatur, excepto, morte mulctavit. Fœminarum autem, quæ adfuêre cœtus, vestitu omni exutus atque nudatus, durante conflictu isto, civitatem ingenti contentione & cursu petere, quibus eò quidem faciliùs à nostris parsum est, quòd pudorem & verecundiam, metu in eis & timore nimio superatam, atque expugnatam omnem cerneret. Relictis igitur in isto, quod cruore Barbarico tinctum rubebat, balneo Barbaris interfectorum cadaveribus, per glaciem eâdem, quâ advenerant, viâ, Pestam nostri reversi sunt. Tametsi enim Budenses nudarum & metu tantùm non examinatarum mulierum adventu excitati, aliquos, qui nostros persequerentur, è civitate mitterent, eos tamē in portu & porta jām versantes apprehendere non valuerunt. Cæterùm annonæ paulatim caritate Pestenses laborare cœperunt, cumq; propter incommoda & impedimenta varia de alimentis & victu necessariò ipsis prospici non posset, eousq; fames inter eos progressu temporis invaluit, ut canes & feles, quos in cibum assumerent, vix sufficere ipsis viderentur. Contra verò Budenses expeditionem Adonium versùs simulantes, præparationemq; modis omnibus facientes, eò contenderunt, sed quingentos interea sub hoc prætextu currus, alimentorum & armorum commeatu vario onustos, feliciter in civitatem suam perduxêre. Quo facto dispositâ statim in propugnaculo novo tormenta ænea, ingenti in Pestam conatu emiserunt, nostris haud parum negotii facientes, quin & Palottam ex improviso quasi occupaturi, noctu excursum fecerunt, at verò nostri, quibus in excubiis tum constitutis tempestivè videbantur, tantâ eis virtute restiterunt, ut spe suâ frustrati, cum damno & jactura non exiguâ recedere cogerentur. Itaq; Palottæ Præfectus, cui Casparo Horvatio tum nomen erat, orbiculum sale repletum, cum vini generosioris laguncula, per colonum, juramento sibi obstrictum, hostibus transmisit, hac additâ insultatione: Condirent hoc sale carnes, quas in venatione hac accepissent, vinum verò pro salute & incolumitate sua biberent, & langunculam evacuarent. Exacerbati igitur hac insultatione Turcæ, fulminare rursus & crebrâ tormentorum displosione Pestam petere cœperunt, quæ tamen omnia, cùm non essent legitimè disposita, supra civitatem sine damno abierunt, ignis autem inter fulminandum, incuriâ quorundam, in vasculum aliquod pulvere tormentario repletum, delapsus, disjectâ muri Budensis parte non exiguâ, multos Barbaros extinxit. Altheimius igitur cùm audivisset, aditum aliquem in civitatem per muros disjectos jam quodammodò patere, fortunam suam experiri volens, cum mille Germanis, Husaris verò & Heiduccis trecentis, summo diluculo

M.DCIIL

luculo ad Budam properavit. Verùm cùm ad quadrantem miliaris advenisset incidens in aliquot equites, conatus ejus nimis maturè Budensib. innotuit, ut cæsis illis & aliquot captivis secum abductis recedere quidē re infectâ coactus fuerit.

Post insidias Genevensibus à Sabaudiæ Duce structas, fœderis quod Genevensibus cum Helvetiis intercedit, memores Bernates, Basilienses, Tigurini & Schaffhusii, mille eis milites suis sumptibus alendos, in auxilium miserunt, hac addita promissione, se si necessitas id expostulare videretur, mille adhuc alios suis sumptibus auxilio missuros esse. Itaq; Genevenses cum exercitu peditum quadringentorum, equitum verò centum & viginti paulò post civitate egressi, irruptionem in Sabaudiæ Ducis regionem fecerunt, superataq; & maxima ex parte trucidata equitum centurionis Vitrii turma, Charmontum cum arce quadam & pago adhuc altero, oppidumq; S. Juliani igne vastârunt. Quin & quingentos fermè Neapolitanos milites, qui præsidio & defensioni finibus dati fuerant, trucidârunt, & excursionem novam meditantes, cum armata sexcentorum militum manu, munitiones ad S. Julianum firmare cœperunt. Interea verò à Sabaudis præventi, cùm domum redire cogitarent, viam sibi omnem præclusam viderunt, ut elabendi rationem nullam invenientes, transitum per medios hostes facere, & vi summâ reditum ad urbem parare cogerentur. Postmodò factis in Pontarbe, loco nimium civitati suæ propiori, & à periculis tutiori munitionibus, Sabaudiæ Duci creberrimis suis excursionibus molesti admodum & perniciosi fuerunt, pagos nimirum & oppida [illegible]ne deformantes, & Genesdostam, 6. miliaribus à Geneva distantem, occupantes præsidioq; 400. militum firmantes. Sabaudus igitur licet militum octo ferè millium exercitu instructus esset, pacem tamen bello præferendum ratus legatos suos Genevam mittit, qui de pace cum civitate tractarent. Bernates similiter hoc nomine compellans, qui quòd rupto fœdere fidem violâsset graviter conquesti, se nisi sufficienti à Sabaudo factâ cautione, pacis rationes inire, & in conditiones propositas consentire velle apertè negabant. Distinctis enim paulò antè vicibus & locis variis Comitia belli hujus nomine celebrârant, & lustratis subditis suis, in singulas horas uti parati essent, præceperant, adfuturi Genevensibus quàm primùm de auxilio compellarentur: literas etiam Freiburgum scripserant, civitatem istam monentes, ut si res in nervum erumpat, & aperto Marte cum Sabaudo congrediendum sit, auxilia Genevensibus mitterent, ni patrocinio Bernatium excidere, & omnium, quæ in finibus haberent jacturam facere vellent. Itaq; civitates Catholicæ, lustrationem civium & subditorum suorū omnium generalem facere statuerunt, ut in omnem eventum subditos suos paratissimos haberent. Pace enim inter potentissimos Galliæ & Hispaniæ Reges, anno 1598. facta, fœdus sancitum est, & unà cum Sabaudiæ Duce Genevenses quoq; & Helvetii ei inserti, ut ita nulla jam ampliùs inter partes confœderatos bella timenda essent. Hoc igitur fœdere per Sabaudum jam violato, Gallicus militum tribunus Ladighverius sibi etiam aliquid adversus prædictum Ducem tentandum ratus, exercitum ad Giambrium civitatem Sabaudo subjectam adduxit, quorum aliqui portas adhibito instrumento, quod Pedartum vocant, aperientes, civitatem jam invaserant, cum subitò in eo exorto clamore cives ad arma excitantur, qui comprehensis quotquot portas perruperant omnibus, tantâ reliquis virtute restiterunt, ut conatu irrito pedem retrahere cogerentur. Atqui Sabaudus hisce conatibus permotus, cùm præsertim 16. tormenta magna ad locum alium, qui ipsis Giglies dicitur, traducta esse inaudiret, & de auxilio sibi ex Italia per Comitem Fuentium transmittendo, subdubitaret, Albignio & Rochetano in mandatis dedit, ut in constituenda pace, omnē moverent lapidem, qui cùm omnia tentâssent, cautionem tamen de non offendendo sufficientem præstare non possent, effectu suo tractatu hac etiam vice successu caruit. Sub finem autē Maii, cùm conveniri inter partes de conditionibus pacis non posset, bellum à Genevensibus contra Sabaudum publicatū est, quo facto, adfuit paulò pòst Genevensibus à Comite Fuentio Legatus, qui quam ob

M.DCIII. cauſſam Hiſpaniæ Rex Sabaudiæ Ducem pacis fœdere, cum Galliarum Rege, anno 1598. inito, comprehendi voluit, longâ oratione cùm expoſuiſſet, monuit tandem Genevenſes pacem uti cum Sabaudo facerent, & oblatas conditiones non detractarent: ſecùs enim ſi facerent, fore ut in Regis Catholici odium incurrentes, bellum ſibi ab eo periculoſiſſimum attrahant, qui non fœderis ſolùm, ſed & conſangvinitatis & affinitatis, quæ cum eo ipſi intercedit, causâ, utilitatem & conſervationem hujus Ducis, non ſecùs ac ſuam ipſius ſalutem ſibi commendatiſſimam habeat. At Genevenſes in duos ferè Articulos à Sabaudo requiſitos conſentire non poſſe proteſtati, ſi omninò odium & arma Hiſpani evitari non poſſint, paratos ſeſe eſſe, ſociorum quidem & vicinorum ſuorum auxilio fretos ea ſuſtinere, & vim omnem à cervicibus pro virili ſua propulſare, audacter reſponderunt, contractiſque ſtatim majoribus copiis, ut in omnem eventum paratiſſimi eſſent adlaborârunt, de ratione ſimiliter ſeſe contra globorum ardentium pericula tuendi, cogitationem ſuſcipientes.

Conſpiratio contra novum Angliæ Regem à quibuſdam ambitioſis hominibus hoc tempore inita eſt, è quibus primi ordinis quidam inter proceres fuêre: ut Marchhamus, Brochus, Grajus, Coplæus, Raglæus, & alii. Ex his Raglæus cum cæteris proditionis inſimulatus, ſuam cauſam ita egit, ut propè innocens videretur: ſed interceptis poſtea ejus ad Cobhamum literis, quibus quid à Rege ſibi propoſitum, quid à ſe reſponſum eſſet, ſignificabat, ad ſimilem conſtantiam eum cohortans, unà cum cæteris in carcerē eſt abductus: Apud judices deinde accuſati Georgius Brochus, Cobhami frater, Griffinus Marchamus, Edvardus Pechamus, Vattonius, Clerquius & Coplæus crimine læſæ Majeſtatis damnati ſunt, ſententiaq; in eos latâ, primùm ut laqueo gula ipſis frangeretur, inde inteſtinis igne crematis, cadaver in quatuor partes diſſecaretur. Accuſationis caput illud fuit, iniiſſe ipſos conſilia, quomodo Regem & familiam ejus omnem opprimerent; & Regem quidem, Reginam & Principem Regis filium carcere Londinenſi, regio ſatellitio occiſo, includerent, mox Prætori ſive Majori, Conſulibus & Magiſtratui Londinenſi ad ſe vocato ſimiliter manus injicerent, atq; interea per ſuos urbem occuparent, commeatibusq; ac præſidio munirent, quoad quod inſtituerant, planè perfeciſſent, id eſt, dignitates omnes ad eos, ad quos viſum eſſet, transtuliſſent. Raglæus eodem modo poſteà accuſatus eſt, quòd ab exteris quibusdam ingentem pecuniæ ſummam inter conjuratos diſtribuendam ſollicitâſſet. Quamvis verò Raglæus factum negaret, & crimen intentatum omnibus modis à ſe depellere conaretur: tandem tamen & Cobhami & aliorum damnatorum confeſſione convictus, & ejuſdem criminis læſæ Majeſtatis reus pronunciatus eſt. Cobhami ultimo loco in judicium producto, illud inter alia crimini datum eſt, quòd dixiſſet, hujus tragœdiæ fratrem ſuum Georgium Brochum & Grajum ſpectatores tantùm, ſe verò & Raglæum actores fore, id eſt, ſuis manibus Regem & regiam prolem occiſuros. Hoc quoq; aliquando ei excidiſſe, Nullam ſpem eſſe, meliùs fore, quam diu pater aut proles ejus, id eſt, Rex & Regis filius ſupereſſent. Hæc quidem partim ultrò faſſus eſt: ſed Raglæum præcipuè incuſabat & deteſtabatur, qui horum omnium autor & inceptor fuerit, atq; & jam perfector futurus erat, niſi proditio fuiſſet detecta. Cæterùm, ut quâ ratione in reos animadverſum fuerit, quamq; prudenter Rex ſeveritatem clementiâ temperârit, lector accuratè cognoſcat, epiſtolam de ea re ſcriptam ſubjungimus.

Literas tuas accepi, quibus ſignificas, cupere te vehementer ſcire cauſas, ob quas Cobhami, Brochi, & Marchami, capitis damnatorū ſupplicia dilata fuerint. Etſi verò non dubito, alios eſſe, qui rem hanc articulatiùs exponere multoq; meliùs narrari poſſint: ſpero tamen, ubi veram ejus rei hiſtoriam inſpexeris, eaque, quæ tàm aſpectantibus tàm primariis quàm plebeis geſta ſunt, penſitaveris, multò gratiorem tibi fore, hanc meam ſimplicem narrationem, quàm phaleratam, multis.

multisque coloribus pictam & fucatam orationem. Sic igitur habe. Postquam capitalis sententia Vincestriæ in reos lata fuit: Rex è Consiliariis suis nonnullos, qui vel in conjuratorum facta & consilia antea inquisierant, vel ex officio nobilium caussis dijudicandis constituti erant, Viltoniæ in regium conclave ad se vocavit, jussitque, ut vere sibi sine cujusquam respectu, referrent, qua ratione in conjuratorum facta & consilia inquisitum, quomodo ipsi examinati, quam ob caussam & quo jure capitis essent condemnati. Hæc ubi fideliter exposuissent, & singuli reliquis audientibus essent loquuti: Rex tum & postea, tam publicè quàm privatim erga omnes & vultu & oratione tantam præ se ferebat constantiam & severitatem, ut nemo esset ex omnibus aulicis & consiliariis, qui vel pro quoquam intercedere, aut quem eventum res habitura esset, sciscitari auderet. Interea in aula varii rumores spargebantur de eo, quod de reis universim, vel de hoc & illo sigillatim esse decretum, aliis conjecturam, aliis animi affectum sequentibus. At solus Rex jam cum animo solo (qui verè domicilium est omnis gratiæ sapientiæque) deliberatum & constitutum habebat, quid hac in re faciendum esset, nemine alio quidquam suggerente. Illud itaque decrevit (in cujus consilii conscientiam Rex neminem nisi unum DEUM assumpserat) ut quum securis ad arborem esset posita, & carnifex ictum minitaretur, exsequutionis cursus sisteretur: sed ne hujus sapientissimi consilii, ac verè regii propositi indicium aliquod emanaret, idem summoperè cavit. Quare Vattonio & Clerquio nono Septembris die, Brocho verò decimoquinto ejusdem mensis extremo supplicio affectis, Rex eodem die sententiam in Cobhamum, Grajum & Marchamum latam, tribusque decretis conscriptam, chirographo suo confirmavit, reique capitalis procuratoribus & judicibus seriò mandavit, uti sine ulla dilatione ad 19. mensis Decembris de reis supplicium sumeretur. Hujus rei fama statim longè lateque divulgata est, non tantùm literarum exsecutoriarum, ut vocatur, indicio, sed etiam ipso supplicii apparatu. Interim Rex sine ullo arbitro suâ manu literas ad Vicecomitem Vincestriensem exarat, quibus eum quid hac in re fieri vellet, edocet: quas ipsas ita uti ab ipso Rege (sed Anglicâ linguâ) conscriptæ sunt, ad te mitto, quòd nullius pennam vel sermonem tam admirabilis insperatique consilii caussas aperire meliùs posse arbitrer, quàm ejus, qui solus illud excogitavit. M. DCIII.

Etsi verum est, omnia regna omnesque bene constitutas Respublicas justitiæ conservari, quàm si tenere velimus, facere non possumus, quin in præsentes duos reos, nefariæ conjurationis & proditionis convictos, meritum supplicium aliis ad exemplum statuamus; quorum unus universum hoc regnum convellere ac pessumdare, alter vitæ nostræ insidiari & vim facere propositum habuit; placuit tamen hac in re non tàm justitiæ rigorem quàm clementiæ nostræ & mansuetudinis sensum sequi, idque multis de causis. Nam & hic primus annus est, quo apud hanc gentem regnare cœpimus: quæ quantò majori cum alacritate, gaudio & plausu adventum nostrum excepit, tantò ei majori beneficio obligatos fatemur. Qua quidem in re præsentium reorum propinqui & cognati observantiâ ac pietate, cæterisque officiis ita nobis satisfecerunt, ut majora requirere vix quisquam possit: quorum etiam nemo fuit, quin statim quum judicio rei peracti essent, damnationi eorum subscripserit. Sed & justitiæ quodammodo jam satisfactum arbitramur, Georgio Brocho, Vattano & Clerquio, conjurationis inventoribus atque antesignatis punitis. His de causis severitatem clementiâ temperare nobis est constitutum. Tibi itaque præfecturæ Hamptoniensis Vicecomiti mandamus, ut duorum illorum, Cobhami & Graii supplicium differas, & productos in carcerem reducas, usque dum quid de iis faciendum ulteriùs sit, certior à nobis fias. Et quoniam à legibus nostris omnem personarum respectum exclusum volumus, & magnoperè cavendum nobis

 arbi-

M.DCIII. arbitramur, ne suspicentur homines, velle nos potentioribus parcere, inferioris verò fortunæ homines tantùm ad pœnam trahere: idem ut in Marchamo fiat, jubemus. Ac profectò valdè dolemus, tantam esse hujus criminis, in quo rei illi deprehensi sunt, fœditatem, tantam verò animi ipsorum ac mentis malitiam ac depravationem, ut cura illa & solicitudo, quæ ex officio nobis ad pacem ac salutem regno huic procurandam incumbit, eam gratiam, ad quam cætero-qui ingenii nostri natura propendet, præstare non patiatur.

Sed ut ad narrationis nostræ catastrophen veniamus, inter cæteras circumstantias illud diligenter considerandum mihi videtur, quâ prudentia Rex in eo, qui mandatum hoc perferret, deligendo sit usus. Nam & Scotum hunc esse voluit, qui nemini consiliariorum, nobilium, aut eorum amicis, cognatione & affinitate esset conjunctus. Deinde ad hanc rem neminem in magna aliqua dignitate constitutum ablegare voluit, ne ejusmodi viri adventus & præsentia reos in spem salutis & revocatæ sententiæ erigeret, vel spectatoribus suspicionem aliquam præberet. Id enim unum Rex spectabat, ut rei, repræsentato supplicio, & morte oculis obversante, ultimam confessionem sincerè atque ex intimis cordis penetralibus, quæ in illo potissimùm articulo temporis aperiuntur, ederent nihilque celarent. Hanc ad rem maximè idoneus Regi visus est Joannes Gibbius, Scotus natione, nullâ familiaritate implicatus, quippe qui Rege in Angliam ingresso, statim in Scotiam missus, atq; inde paucos ante dies Viltoniam reversus esset. Huic, cujus fidem & taciturnitatem multis experimentis jam olim perspectam habebat, & Anglorum nemini ullo beneficio obligatum, immò plerisque omnibus ne de facie quidem notum sciebat, Rex ipse literas sive mandatum dedit perferendum. Is, ut contubernalibus suis quoque hujus aliquid suspicandi causam præcideret, Salisburiam eo die negocii causâ profecturum se dixit: sed conscenso equo, Vincestriam rectâ contendit. Eâ nocte ibi in hospitio per summum silentium transactâ; summo mane in aream arcis subdialem, in qua supplicio sumendo pegma erat excitatum, se contulit, & spectatum accurrente magnâ hominum multitudine, loco ita propinquus constitit, ut excludi aditu non posset. Paulò post Marchamus ad supplicii locum producitur, fusisque ad DEUM precibus, jam ad ictum nudare se incipiebat. Hic Gibbius vocato ad se Prætori regias literas, quàm potest occultissimè tradit, simulque quid Rex fieri velit, sermone aperit. Prætor intellectâ Regis voluntate, tantam rem cautè admodum & ipse tractat: & cum Marchamo colloquutus, Necesse est, inquit, ut priusquam ex hac vita migras, paulisper mecum secedas, ut quibusdam de rebus, præsentibus tuis complicibus, interrogeris. Marchamo abducto, Grajus producitur, & DEUM comprecatus, ad mortem se comparat. Hunc quoque jam in genua procumbere volentem. Tandem Cobhamus procedit, similiterque DEO commendatâ animâ, lethalem ictum exspectabat. Jubentur mox reliqui duo, Marchamus & Grajus, rursum produci: cumque res ampliùs celari non posset, Vicecomes & reis & universæ spectatorum multitudini mandatum Regis exponit, quo supplicium remittere juberetur. Admirabilis hæc gratia & misericordia, unicè ab eo Principe profecta, qui tam enormiter ab iis, quos nulla unquam in re offenderat, quique ne minimam quidem caussam, vel etiam caussæ colorem sceleri suo prætexere poterant, læsus esset, varias cogitationes tàm in spectatorum quàm reorum animis, pro cujusque ingenio & natura, excitavit: ita ut credibile sit hujus facti, quod alii præsentes inspexerunt, narrationem audienti non rem gestam, sed descriptionem veteris alicujus historiæ, in scena repræsentatæ, visum iri, paucosque credituros, potuisse in uno hoc facto tanquam in tabella, tot tantasque res, justitiam & misericordiam in Rege, in reis terrorem & pœnitentiam, admirationem & plausum inspectantibus, depingi ac spectandas proponi,

poni, uti ab uno Rege depictæ sunt, & universo orbi ad spectandum propositæ. Cobhamus sublatis in cœlum manibus, ineffabilem hanc tam clementis Principis misericordiam exaltabat, suique sceleris, quod hæc ipsa gratia atrocius reddebat, deplorans gravitatem, omnes eos detestabatur, qui tam mitem Principem, non modò nullas offensionum caussas aliis præbentem, sed etiam suas offensiones non vindicantem, vel cogitatione lædere auderet. Grajus, deprædicatâ incredibili Regis benignitate, qui bonum pro malo rependisset, & non tam terroris iis, qui ambitione impulsi, fidei vincula rumpere ausint, quàm inusitatæ clementiæ exemplum in se statuisset, ubertim illachrymari, ac suspiria ex intimo corde ducere cœpit, apertè testatus, velle se posthac maculam hanc illibatâ in Regem fide ac virtute eluere, paratumque esse pro Regis salute, à quo tum, quum nulla spes superesset salutis, conservatus esset, sangvinem & spiritum profundere. Marchamus attonito similis stupebat, & admiratione lingvam impediente, intra se orabat, DEO ac Regi gratias agens. Populi adstantis multitudo plausu & clamore singularem & inauditam in tot tantisque aliis virtutibus divinitùs ornato Principe clementiam prosequebatur. Famæ hujus rei per oppidum divulgatæ à plerisque omnibus magna cum lætitia fuit applausum: ubi verò series rei gestæ universa innotuit, infideles perfidiam exsecrari, pii ad constantiam & fidem se mutuò cohortari, omnes verò scelus ita abominari, tantoque in Regem affectu exardescere cœperunt, ut plerique omnes credant, ne Sathanam quidem tantùm posse, ut cujusquam animum contra talem Principem, in quo tam admirabili temperamento justitiæ & clementiæ vis cernitur, commovere, aut ad rebellionem inflammare possit. Sed, ut epistolam concludam, jam petitioni tuæ me satis fecisse existimo: quem tu meum conatum ut boni consulas, & styli ruditati ignoscas oro: Facilè enim intelligo, quàm longè ab eo quod efficere volui, adhuc absim, qui si ab ingenio ac scribendi facultate non fuissem desertus, rei argumentum pro dignitate tractâssem, & vivis coloribus expressissem. Sed hac in re prudentes quoque & eruditi, qui rem omnem gestam ejusque circumstantias & oculis tum aspexerunt, etiam animo penitant, obstupescunt quodammodò, quòd pronunciare non audeant, utra in Rege virtus majorem laudem promereatur. Illud certum est, inter multa exempla hoc unum extare, in quo tam admirabili modo tanta vis rationis, tanta judicii maturitas, tanta propositi constantia, tanta animi contra omnes deprecationes obfirmatio, tantus justitiæ rigor, tanta clementiæ lenitas, tam terribilis tamq; amabilis utriusq; simul in omnium oculis repræsentatio concurrant: in quo Rex noster non hominum, aut terrestrium Regum, sed cœlestis judicis æternique Regis more usus est; eoque certus animo est, fore, ut à suis timeatur & ametur, eique omnes obsequium cum alacritate, servitium cum gaudio & admiratione præstent. Sed ne diutiùs te detineam, epistolæ finem jamjam facio. Salisburia 15. Decembris anno 1603.

Dissidium inter Comitem & cives Embdanos confœderatarum provinciarum ordines non semel sedare conati sunt, latis de utriusque partis consensu pacis conditionibus. His quum non satisfieri utrique conquererentur: Comes ipse Hagam Comitis profectus, Ordinum interventa in has conditiones cum civitate Embdensi pacem fecit.

I. Amnestia omnium offensionum & injuriarum, quæ vi, factis, vel dictis, vel etiam libellis editis ab utraque parte ullo modo, directè vel indirectè factæ deprehenduntur, sancitur: nec contributionum vel exactionum nomine, quarum compensatio chirographo non est promissa, cuiquam ullo tempore aut loco negocium facessere jus esto.

M.DCIII. II. Similiter omnia mandata exsequutorialia, â Cæsarea Majestate contra 40. aut 20. viros, aliosvè cives & inquilinos civitatis Embdensis impetrata, quæque hæc consequuntur, ita suspendantur atque oblitterentur, ac si horum nihil unquam vel flagitatum vel impetratum fuisset.

III. Hac tamen exceptione, ut Consules & Senatus Comiti de civilibus actionibus, quæ iisdem mandatis insertæ, & hac pacificatione sublatæ non sunt, satisfaciant, & intra proximum trimestre pacificè cum ipso transigant.

IV. Quòd si verò inter partes, de his omnibus & singulis controversiis conveniri non possit: Comiti mandatis illis Cæsareis, quoad has, de novo rursus, civibus verò exceptionibus suis & defensionibus uti licebit.

V. Consules & Magistratus Embdani eidem Comiti restituunto ædes, loca & tormenta, durante bello erepta, itemque fructus & redditus è bonis & dominiis prædicti Comitis perceptos, nec non bellicum apparatum, quantum quidem ejus Consules & Senatus in sua habent potestate.

VI. Eodem pacto Comes Embdano magistratui restituito quæcunque belli tempore, sive è redditibus civitatis, sive civium & incolarum bonis percepit, itemque tormenta, & qui reliquus est, bellicum apparatum.

VII. Idem Comes Embdano magistratui permittit, ut quæ de tributi colligendi rationibus anno 99. itemque anno 1601. statuta sunt, ad ea præstanda non teneatur.

VIII. Sic tamen, ut in proximis Frisiæ Orientalis Comitiis decernatur, quid & quantum prædicti tributi nomine ab Embdanis sit persolvendum.

IX. Obligationes quoque Senatus ac populi Embdensis nomine datæ, nullam vim aut valorem habebunt.

X. Vicissim irrita pronunciantur quæcunque à Comite tum eo nomine concessa & indulta sunt.

XI. Bello capti utrinque liberi sine ullo lytro dimittantur; promisitq; Comes daturum se operam, ut cives Embdani, quorum naves, facultates & personæ sub exteris detinentur, intercessione suâ in libertatem restituantur, & ne tale quid ipsis in posterum accidat, periculo liberentur.

XII. Quæcunque Embdanis in tractationes Delfsilæ facta, & quod hanc consequutum est, Cæsareæ Majestatis decreto promissa sunt & permissa, iisdem sine ulla fraude præstantur, exceptis iis quæ hac pacificatione vel immutata sunt, vel aliis conditionibus adstricta.

XIII. Nominatio, Vocatio, Præsentatio, Collatio & confirmatio ministrorum Ecclesiæ & Scholarum in civitate Embdana eo modo fiat volumus, quo in pacificatione Delfilensi fieri jubetur, hac annexâ declaratione, ut si fortè confirmationem procrastinârit Comes nominatis tâm à magistratu & electis post quatuordecim dierum spacium commissum munus usurpare liceat, non minùs quàm si à Comite essent confirmati.

XIV. Cœtus sive classicales conventus utriusq; præfecturæ, Grietanæ & Embdensis, eodem quo priùs modo in urbe coëundi jus habeat.

XV. Permittit quoque prædictus Comes, ut quadraginta viri quotannis ipsis Calendis Januarii quatuor Consules & octo Senatores legant Comitique sistant, ut ab ipso vel ejus Legato pòst septimo ejusdem mensis die confirmentur: iidemque solemne jusjurandum præstare teneantur.

XVI. Sed & hoc & sequentibus annis penès veterem magistratum rerum erit administratio, quòd à prædicto die novus à Comite fuerit confirmatus.

XVII. Quòd si is confirmare neglexerit vel recusârit, electi nihilominùs pro legitimo magistratu habebuntur, præstitoque jurejurando, administrationem sui muneris quisque capesserit.

XVIII. Qua-

XVIII. Quatuor his Consulibus & octo Senatoribus urbica officia disponendi, quæq; ad excubias armorumque lustrationem pertinent, prout cujusque temporis status & necessitas requirere videbitur, constituendi erit facultas. M. DCII.

XIX. Non recusat idem Comes, quò minùs suburbia iisdem mœnibus eademque iurisdictione includantur, eo modo ac mensura, quibus id fieri poterit: hac tamen conditione, ut pro ea re quantum convenerit, aut quantum arbitri utrinque lecti dixerint, Comiti rependatur.

XX. Quàm diu verò munitiones prædictorum ab Embdano magistratu intermittentur, jurisdictio immediatè penès Comitem, ut antea fuerat, esto.

XXI. Novas eiusmodi munitiones tàm in urbe quàm suburbiis, eo modo, qui commodatissimus ad urbis securitatem videbitur, perficiendi Embdanus magistratus jus habeat, sic tamen, ut quorum ædibus aut prædiis nocetur, iis de damno, ut par est, satisfiat.

XXII. Ad sumtus ejusmodi novorum operum, & ad alias Reipublicæ necessitates Consulibus & Senatui licebit rebus ad quotidianum victum pertinentibus (salvo tamen Comitis jure, cujus omnia bona immunia sunt) tantum vectigal sive onus imponere, quantum à civium communitate poterit obtineri.

XXIII. Hac tamen limitatione, ut quæ invehuntur aut exportantur, tantùm pro vectura nihil nisi consuetum solvant vectigal.

XXIV. De consensu ejusdem Comitis in contributionibus & oneribus publicis pars rata sive quota civitati Embdensi assignabitur: deque hac re proximo statuum conventu agetur, in quo etiam debitorum aliorumque onerum exsolvendorum certa ratio inibitur.

XXV. Satrapæ Embdensi sive Drossarto idem Comes permittit, se absente de pyratis Amasim fluvium infestantibus ex Consulum & Senatus sententia persequendis, certoque homine ad id munus deligendo, constituere.

XXVI. Quòd si tàm Comite quàm Satrapâ absente, periculum in mora sit, Consulibus & Senatui de ea re statuendi jus erit.

XXVII. Ita tamen ut pyratas & prædones captos Comitis potestati dedant, iique ibi convenianotr.

XXVIII. Promittit Comes, omnibus civibus ad exteras regiones mercaturæ causâ navigaturis literas commeatus se daturum; sic tamen, ut ii & nomen suum profiteantur, & navium magnitudinem locumque quò sint profecturi, indicent, & quod consuetum est, eo nomine dependant.

XXIX. Officia per agrum & oppida Comitatus, quantum ejus fieri potest, indigenis committuntor, iique, modò idonei sint, de rebus publicis in consilium adhibentur.

XXX. Si Comes bellum vel illatum defendere, militesque eam ob caussam in agrum inducere cogatur: fiat id Ordinum Comitatus consensu, & præsidium tantùm necessarium in arcibus suis habere Comiti liceat.

XXXI. Nulla Comitia in locis munitis habentor: sique Comes rogantibus statibus, vel ordine equestri aut una trium civitatum, in rebus, quæ ad publicum spectant salutem, conventum indicere intra menstruum spacium cunctatus fuerit, ordinibus ad instantiam petentium, vel more antiquitus usurpato, convenire, de republica, consilia habere, decreta conficere, & per libera vota ex æquo & justo procedere, etiam Comite ejusque consiliariis absentibus, licebit.

XXXII. Vt verò pacificatio hæc, atque omninò pax & quies tam in agro quàm in urbe tantò magis stabiliatur, dictus Comes permittit, ut à Consulibus & Senatu civitatis Embdensis sexcenti vel septingenti armati communi civitatis & regionis sumtu conducantur, & urbi præsidii caussâ imponantur, hisq; iidem Consules & Senatores cum imperio præficiant hominem idoneum, indige-

M. DCIII. digenam, quique superiori bello suo neutrâ parte stipendium fecerit: isque juramentum fidelitatis Comiti, Ordinibus Comitatus & Senatui populoq; Embdensi præstare teneatur, seque ad nullum alium finem quàm externi hostis impetum propulsandum, & seditionem civium reprimendam milite hoc suo usurum, jusjurandum interponat.

XXXIII. Tàm Comes, quàm Senatus populusque Embdanus intra mensis spacium milites omnes & classiarios, quos sub signis habent, exauctoratos à se dimittunto, agroque Frisiæ Orientalis excedere jubento.


XXXIV. Neque ex his vel Comiti ad suarum arcium neque Senatui ad urbis præsidium quemquam retinere fas esto: atque interea omnis vis & actus hostilitatis abstinetor.

XXXV. Idem Comes denique recipit ac promittit, hominum rusticanorum, perque agros passim habitantium rationem se habiturum, eorumque querimoniis quod par est remedium allaturum.

Hæc ita acta, transacta, approbata & utriusque assensu, partim purè, partim sub conditione ratificata fuêre, Hagæ Comitis ad diem 8. Aprilis. Quum verò non multò post hujus pacificationis articulos Comes ad Cæsarem misisset, eiq; multa in his displicerent, ad præjudicium Cæsareæ Majestatis, cujus ille Comitatus feudum est, tendentia; Cæsar misso Legato, Maximiliano Loctio, Comitem, de eo, quod imprudenter concessum fuerat, admonuit: isque Legatus eadem de caussa postea ad Ordines provinciarum confœderatarum Hagam, Comitis profectus, de eo, quod in hac pacificatione actum esset, quodq; rebus Imperii Ordines misso milite se immiscuisset, graviter est conquestus. Ad literas Cæsareæ Majestatis & sermonem Legati Ordines 8. Augusti in hunc modum responderunt: Primùm, gratias se agere Cæsareæ Majestati pro affectu & benevolentia in se, quam multis modis hactenus fecerit testatam, humiliterque orare, ut in eo persistat. Recenti adhuc memoriâ se tenere, quàm grave primùm anno nonagesimo & deinceps nonagesimo nono & supra millesimum sexcentesimo secundo inter Comites Frisiæ Orientalis & Senatum populumq; Embdanum eruperit dissidium: quod tamen paternâ solicitudine Cæsaris sapientissimoque consilio sedatum fuerit, eoque nomine & se suasq; provincias, & universam Germaniam Cæsareæ Majestati plurimùm debere. Quod verò in controversiis non ita pridem exortis arbitros se interposuerint, atq; ut eæ pacificatione potiùs quàm armis tollerentur, annixi sint, sperare se, Cæsaream Majestatem in bonam partem interpretaturum, nihilq; eos à bonorum vicinorum officio alienum in eo fecisse existimaturam. Nam si ad arma fuisset perventum ac bellum latiùs sparsum, non potuisse se alium ejus exitum videre, quàm quem superiora nonnulla in Belgio & Italia habuerunt, in quibus multæ regiones & urbes, ab Imperii ditione avulsæ, in aliorum concesserint potestatem. Cur verò eundem hujus belli exitum metuerent, multas habere caussas. Primùm enim scire, Hispanos jus sibi aliquod in prædictum Comitatum vendicare, uti ex articulis pacis cum Gallorum Rege factæ, planè perspici possit. Deinde eosdem jam diu illud agere, quomodo Amasis, Visurgis & Albis commoditatibus potiantur, eumq; in finem hoc ipso anno exercitum, qui trajecto Rheno Frisiam invadat, & subigat, non dubitare, se tum primum impetum in agrum & urbem Embdanam factum iri. Quantum verò suæ & Germaniæ etiam, omniumq; vicinorum Principum, interfit, hunc conatum impediri, Cæsarem, pro summa sua sapientia, facilè intelligere. Quòd verò militem misissent, non eò factum, ut quidquam contra Imperium ejusq; mentem attentarent: sed quum multis in rebus sua operâ initæ pacificationi contraveniretur, suum existimavisse efficere, ut quod ab utraq; parte promissum esset, constanter servaretur. Hoc suum factū etiam atq; etiam orare se Cæsarem, ut bonam in partem interpretetur, suamq; causam Cæsarea gratia complecti velit. Hæc & similia ad sui defensionem ab Ordinibus allata fuerunt.

ANNO

ANNO M. DCIV.


Oc anno, pax jam diu inter Hispaniæ & Angliæ Reges, Archiduces que & Duces Brabantiæ,&c.tractata, ubi Joannes Velascus, Castiliæ Comestabilis, per Belgium facto itinere in Angliam cum amplissimis mandatis pervenisset,magnificè ubiq; & regaliter exceptus, felicem exitum est sortita. Cæterum quum omnia,quæ ad pacificationem hanc spectant,in libello Bruxellis edito prolixè sint descripta, eum hîc apponere visum est. Post diuturnum & sævissimum bellorum incendium,quo Christianæ provinciæ per multos annos insigni cum jactura conflagrârunt, DEUS, in cujus manu omnia posita sunt,ex alto respiciens, & populi calamitates miseratus, stabili potentissimorum Christiani imperii Principum conjunctione sævientem ignem potenter restinxit, & diem pacis atque tranquillitatis hujus optatam magis quàm speratam clementer attulit. Devolutis enim per ipsius DEI Opt. Max.gratiam,ad extirpanda discordiarum semina, Angliæ & Hyberniæ Regnis, ad Serenissimum Jacobum Scotiæ Regem, sublatisq; propterea dissensionum causis illis,quæ bella inter antecessores Serenissimorum Principum,Philippi III. Hispaniarum Regis,& Alberti ac Isabellæ,Claræ Eugeniæ, Austriæ Archiducum, Ducum Burgundiæ,&c.& ejusdem Jacobi Regis,tam diu animadverterunt dicti omnes Principes(DEO corda illorum illuminante)nihil superesse,cur odiis,quæ nunquam inter ipsos extiterunt, certarent, vel armis, à quibus majores eorum semper abstinuerunt,contenderent,ab antiquissimo juxtà,ac super hominū memoriam custodito fœdere discedentes,arctissimaq; necessitudinis, quæ Serenissimis Austriacæ & Burgundiæ familiis,cum prædicto Serenissimo Rege Angliæ intercedit,vincula disrumpentes, ac veterem amicitiam novis semper ac indies cumulatis amoris & benevolentiæ officiis excultam,violantes propterea audito de successione dicti Serenissimi Scotiæ Regis,ad regna Angliæ & Hyberniæ nuncio, missisq; ex parte Serenissimi Hispaniæ Regis, Ioanne Taxio, Comite Villæ Medinæ, & ex parte dictorum Serenissimorum Archiducum Caroli Principe, Comite Arenbergii &c.qui de regni successione,nomine Serenissimorum Principum respectivè dicto Serenissimo Angliæ Regi gratularentur, legatione istâ humanissimè susceptâ,Legatisq; amicissimè receptis, certiores redditi fuerunt dicti Sereniss. Rex Hispaniæ & Archiduces à suis Legatis, de propensa Sereniss. Regis Angliæ voluntate,non tantùm ad observanda antiqua fœdera,sed & alia, si opus foret,arctiora & firmiora incunda. Quare nihil prætermittendum sibi esse putantes,quò posset communis Reipub. Christianæ tranquillitas promoveri,& populorum sibi commissorum utilitati prospici,ut quàm primùm & sedulò opus tam pium conficeretur,commissarios suos ac procuratores generales & speciales constituerunt, eosq; cum amplissima facultate, ad incunda ac stabilienda fœdera,cum ipso Serenissimo Rege Angliæ, renovandaque jam diu intermissa commercia,& pacem amicitiamque perpetuò duraturam inter ipsos Principes confirmandam, dimiserunt.

Cognito igitur hoc tam pio & salutari Serenissimorum Hispaniæ Regis & Austriæ Archiducum studio,Serenissimus Angliæ Rex Jacobus, in se quoq; nihil desiderari passus est, quòd ad opus hoc, quo nullum optabilius contingere regnis & imperiis,universoque humano generi in hisce terris potest,summâ curâ, alacritate & fide tractandum atque optatum finem perducendum facere posset. Aliquot igitur statim regni sui proceres primarios, pari cum Sereniss. Hispaniæ Regis & Austriæ Archiducum Commissariis,facultate instructos suscipiendo,promovendo & tractando hoc negocio assignavit,quemadmodum ex sequentibus Regis literis,ad oculum cuilibet patebit: Jacobus DEI gratiâ, Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, fidei defensor, &c. omnibus, ad quos præsen-

M.DCIV. præſentes literæ perveniunt, ſalutem. Notum facimus, quòd cùm nos à nativitate noſtra, & primo in regnum noſtrum Scotiæ introitu, non ſolùm concordi pace intra regnum ejusq; viſcera, ſed etiam cum Regibus, Principibus & Rebuspubl. Chriſtianis, extra noſtra dominia, DEI Opt. Max. beneficio hactenus feliciter potiti fuerimus, ejuſdem tamen pacis fructus poſt adeptam hujus regni poſſeſſionem, efficaces percepimus: quandoquidem ex eadem pace, quâ cum omnibus Chriſtianis Principibus in perſona noſtra priùs fruebamur, poſt noſtrum in hoc regnum Angliæ adventum, ad populum noſtrum hîc degentem, tranquillitatem univerſim adduximus, populoque diuturnis bellis & diſſenſionibus, cum aliis Chriſtianis Regibus & Principibus, nominatim autem cum fratribus noſtris, ſereniſſimo Philippo ejus nominis tertio, Rege Hiſpaniarum, ac ſereniſſimis Archiducibus Auſtriæ, implicato ac involuto, concordiam & quietem conciliavimus, adeò ut citiùs in regnum hoc noſtrum cùm venerimus, quàm à chariſſimis fratribus noſtris, nuncia honorifica, tùm ſinceris gratulationibus referta, de noſtra juſta & pacifica in regnum ſucceſſione, tùm etiam declaratione & aſſeveratione munita de voluntate eorundem propenſa ac proclivi ad pacem amicitiamque, quas hactenus mutuò coluimus, & quas à parentibus, anteceſſoribusque noſtris reſpectivè ſuſcepimus & obſervavimus, nunc etiam confirmandas & firmiter ſtabiliendas, receperimus. His igitur adducti, Chriſtianâ inſuper regiaque curâ, qua libenter pacem cum omnibus Chriſtianis Principibus, & ſpeciatim cum chariſſimis fratribus prædictis fovemus & amplectimur, permoti, tàm Chriſtiano officio, quàm Regis munere obſtringi nos exiſtimavimus, non ſolùm ad pacem ac amicitiam poſthac continuandam, ſed & obicibus ac impedimentis etiam quibuſcunque amotis, ad maturè providendum, ne quicquam poſthac oriri poſſit, quòd pacis amicitiæque conſervationi, unde populus fructum uberrimum facilè percipiet, obſtare quoquo modo valeat. Atque hinc poſt deliberationem congruam, frequentesque de iis negociis cum chariſſimis fratribus intelligentiarum intercurſus tandem inter nos conventum & conſtitutum extitit, de amicabili collatione, tractatu & conventu intra regnum noſtrum Angliæ habendis, ad conferendum, tractandum & concludendum, de & ſuper omnibus & ſingulis rebus, materiis ac negociis, quorum tractatio, expeditio & concluſio neceſſaria quoquo modo fuerint, dantes & concedentes eiſdem quinque, quatuor aut tribus, plenam & omnimodam authoritatem & poteſtatem nomine noſtro tractandi, conveniendi, paciſcendi, tranſigendi & concludendi ſub illis pactis, modis, formis, conditionibus, conventionibus & ſecuritatibus, quæ ad firmitatem bonæ & ſinceræ pacis & concordiæ, ac intercurſus ſubditorum reſpectivè noſtrorum, videbuntur expedire, literas etiam & ſcripta ſuper iiſdem conventis & concluſis tradendi; ac conſimiles nomine noſtro petendi, nec non ad aliam conventionem, prout conveniens & opportunum ipſis videbitur, prorogandi & continuandi, ac generaliter cætera omnia noſtro nomine faciendi & petendi, quæ circa præmiſſa neceſſaria, videbuntur, aut quomodo libet opportuna, atq; tanti negocii qualitas requiret, etiamſi talia eſſent, quæ mandatum requirerent magis ſpeciale. Promittentes bonâ fide, & in verbo regio, nos pro nobis, hæredibus & ſucceſſoribus noſtris, firma, rata, & grata habituros, quæcunque à dictis commiſſariis, deputatis & procuratoribus noſtris vel eorum quatuor aut tribus, concludi aut conveniri contigerit. Et inſuper confirmaturos per literas noſtras patentes, ea, quæ ab ipſis ſic pacta, conventa & concluſa fuerint, neque illis quoquo modo, directè vel indirectè, quovis quæſito colore contraventuros. In cujus rei teſtimonium præſentes literas noſtras fieri fecimus patentes, quæ dabantur apud palatium noſtrum VVeſtmonaſterii, 19. die Maii anno 1604. Regni noſtri Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ 2. Scotiæ verò 57.

Ejuſ-

Ejusmodi igitur literis ab utraque parte instructi Commissarii Proceres, ad tractationem hanc peculiariter deputati, cùm convenissent, & de variis variè deliberâssent, tandem pacis & confœderationis inter serenissimum Hispaniarum Regem & Archiduces Austriæ, ex una, serenissimumque Angliæ Regem, ex altera parte, eorumque hæredes & successores perpetuò duraturæ articulos 36. conceperunt. M. DCV.

In Transylvania nova fuit hoc anno excitata seditio, Potschkaio Istuanò de Kismaria Duce, qui vel odio Belgiosæ Comitis, quem Basta in Hungariam profectus Legatum sibi reliquerat, vel rerum novandarum studio, vel ambitionis œstro percitus, tum hujus Tragœdiæ, cujus jam epitasin sanè cruentam & funestam videmus, catastrophen nondum vidimus, telam est exorsus. Conflârat is è Turcis, Tartaris, Hungaris, Polonis & Transylvanis magnum exercitum, jamque palàm Transylvaniæ Principatum, cujus à Turcis facta ipsi spes est, affectabat. Quare Belgiosa evocatis, quæ in propinquo erant, præsidiis, & ipse cum exercitu optimè instructo Potschkajo non procul ab Adoria occurrit, nec mora, committitur prælium, sed initiò statim Hungari pedites nefariâ proditione Germanos ac Silesios circumsistunt, & quamvis diu fortiter se defenderent, fœdissimè sternunt & obtruncant, paucis fugâ elapsis. Capti sunt inter alios Petzius graviter saucius, qui jam diu Cæsareæ Majestati cum summa laude in pace ac bello bonam operam navavit; & Palla Lippajus, qui postea à Potschkaio persuasus suum quoque nomen conjurationi dedit, sed ob suspicionem tandem ejusdem jussu supplicio est affectus. Belgiosa è fuga Varadinum majus se recepit. Hac victoriâ quamvis perfidè parta elatus Potschkajus, magnam rerum gerendarum spem animo concepit, Sultano maximè hominis ambitionem & vanitatem magnis promissis alente. Monitus, ut tormenta Debrecinium aut in alium tutum locum deduceret, arroganter respondit, aliam restare prædam, ad quam extorquendam his uti vellet. Post hæc accepta à Sultano magnâ vi auri, publicè proclamari jussit, nullam aliam ob caussam bellum à se susceptum, quàm Religionis, quam qui defendere secum vellent, stipendia eis non defutura. Ita sanctissimo nomine etiam maximè nefarii conatus velantur. Dici certè non potest, quàm brevi tempore hæc pestis non Transylvaniam tantùm, sed etiam Hungariam pervaserit, adeò ut copiis fretus Potschkajus jam integris regionibus inhiaret. Belgiosa tum Varadino Cassoviam, ubi uxor ejus degebat, advenerat, sed à civibus exclusus, receptâ uxore, aliud sibi domicilium quærere necesse habuit. Ea res Haiduccis (ita enim vulgò jam rebelles illi nominantur) gratissima accidit; qui in oppidum intromissi, Cæsareæ Majestatis præsidio ejecto, detentis tamen Nagatio Episcopo, & Josepho Gansio ærarii custode, in Catholicos miserandum in modum sævierunt. Hujus rei famâ ad Bastam perlatâ, constitutis ad Strigonium quantum poterat rebus, ad conjurationem delendam cum exercitu quatuordecim millium Novembris initio proficiscitur. Præter Cassoviam enim multa alia loca munitissima in Potschkai concesserant potestatem, pauca sponte, pleraque metu, auctus enim mirum in modum ejus erat exercitus, circulorum inprimis sex, & Tartarorum quinque millibus, quin etiam à Sepusiensis agri & arcis præfecto Belgiosam, qui eò confugerat, tradi sibi postulabant: ni faceret, & conjunctis armis Religionem secum propugnaret, hostiliter in eum acturos, neutram conditionem accepit Præfectus, sed quam debuit DEO & Cæsari constantiam præstitit, nec Haiducci quod de Bastæ adventu aliquid inaudissent, vim tum experiri audebant, frequentes tamen quotidiè & continuas excursiones circa illa loca faciebant, ut parùm ab obsidione abesse viderentur. Basta tertio à Fillecca, ab Haiduccis itidem oppugnata, miliari cum ex-

M.DC.V. ercitu consistit: retrocedentibus Haiduccis & ipse Bulnocum versus castra movet. Interim Haiducci omnibus ex partibus copias contrahunt, eo animo, ut aperto Marte cum Basta confligerent: quorum conatu animadverso, & ipse ex adverso se parat, missis tamen prius internunciis, qui hortarentur, ut mutato consilio, arma ponerent, & ad officium redirent, quum verò illi surdis hæc auribus acciperent, & ultrò provocarent, cohortes quasdam eorum ad Filleccam viis intercludendis locatas, cædit ac delet, comprehenso Stephano Nomerio primario earum Duce, qui à pedibus suspensus, quum diu animam ageret, nec efflare posset, capite posteà luit. Nonnihil quidem hæc victoria nostris rebus attulit emolumenti: exercitus tamen ab hostibus undique circumsessus, & temporis injuriâ rerumque necessariarum inopiâ vehementer conflictatus, in magnis versabatur angustiis, adeò ut Basta non tàm victoriam sibi promitteret, quàm recedendi occasionem quæreret & optaret: magno tamen animo rebellium incursiones & impetus sustinebat: qui etsi velitationibus quibusdam diebus ferè continuis, viginti quinque scilicet, & sequentibus mensis Novembris superiores fuerant, ad extremum tamen vicesimum octavum ejusdem mensis, quæ erat prima Adventus Dominica, magno prælio fusi sunt & fugati, in quo è nostris Fridericus Magnus Comes Solmensis, præter paucos alios fuit desideratus. Hoc modo repressa iis in locis aliquantulum Haiduccorum insolentia, Basta sub dio ampliùs continere militem nequiens, ad Cassovienses literas mittit, quibus delictorum eis veniam promittit, si resipiscant, & Cæsaris nomine præsidium admittant: eodemque exemplo ad Epperienses scribit. Sed Cassoviensibus animos faciebant Potschkai copiæ, quæ tum quadraginta hominum millia dicebantur excedere: ab obsidione quoque eâ anni tempestate nihil sibi periculi esse sciebant. Quum ergò minùs ad Bastæ sententiam respondissent, exercitum propiùs urbem admovet, amicè tamen magis literis quàm hostiliter gladio cum civibus pugnans. Vbi verò eos obstinatos vidit, & in castra hostiliter jaculari: Comitem Hohenloicum cum Koruitio Epperiam ablegat, cum mandatis, ut Cæsarianum exercitum recipiant, & quibus possint rebus, juvent, ipse Cassoviâ ad diem quintum Decembris relictâ eos subsequitur. Post aliquam disceptationem, Epperienses in fide & obedientia Cæsaris futuros se dixerunt, si suæ Religionis exercitium permittatur, si milites ab injuriis, deprædationibus & incendiis cohibeantur, hisque de rebus idoneè sibi caveatur. Quum hæc inviolabiliter servatum iri Basta & Hohenlojus fidem suam interposuissent; ad obedientiam redierunt, milite recepto, cui tum frigore ac cœli injuriis penè enecto nihil optatius potuit accidere. Epperiæ exemplum Leutsa, Zobena & Neundorfia, non ignobilia iis in locis oppida sequuta, similiter imperata fecerunt, ac commeatu Bastam juverunt. Ibi summo cum periculo per anfractuosa & difficillima itinera ad eum venit Sigefridus Colonitius, vir magnâ virtute & auctoritate, ut consilia de turbulentissimis istis motibus compescendis communicaret; idemque missis ad omnes Pannoniæ Ordines ac nobiles, & ad ipsum quoque Potschkaium literis, ut in officio manerent, & incendio huic aquam potiùs quàm oleum affunderent, est hortatus. Erat autem in Cæsarianorum castris magna hactenus penu-

M.DC V.

penuria: adeò ut metus esset, ne ob famam, frigoris injuriam aliasque ærumnas brevi dissiparentur, cum irreparabili Cæs. Majest. damno. Quare triginta currus panno pecuniaque onustos Viennâ missos Solmensis Comes cum suis equitibus & Starenbergico peditatu in castra deducere jubetur. His Tanhauserus 1500. Husaros (sunt Hungari equites) adjunxerat, ut tantò minùs ab Haiduccis, qui itinera omnia obsederant, esset periculi. At hi duobus à Fillecca miliaribus in sylva quadam impedita eâdem fide, quâ Haiducci anteà, in commilitones feruntur, eosque, quos defendere debebant, detestabili scelere invadunt, cædunt ac dissipant, currus deinde diripiunt, cumq; præda ad Potschkai castra proficiscuntur, Solmensi Comite ægrè è manibus ipsorum elapso. Hic rumor quum in castris Cæsarianis percrebuisset, magno primùm dolore, deinde indignatione miles exarsit, falsum hunc rumorem esse dictitans, & ad se tantùm ludificandos, & inani spe luctandos confictum. Hunc motum Basta partim verbis & promissis, partim nummis & mercibus à vicinis oppidis commodatis prudenter sedavit. Inter hæc Haiducci Sendram arcem assiliunt, ac tandem post multos impetus expugnant, præsidiariis omnibus interfectis. Hinc progressi Filleccam oppidum diripiunt & incendunt, arce monte impositâ ne tentata quidem, quam tamen postea, ut infrà dicemus, obsederunt, eadem fortuna fuit Bolvaræ, Setschini, Dregelæ, Buraci, Holloci, Blauenstein, nec non Cabrahetiæ, quò Hatuanienses anteà suis munitionibus diffusi tormenta traduxerunt: quumque Corpensis arx deditionem facere recusaret, suburbio incenso ad arcem Sitnensem contenderunt, quâ occupatâ, Ferentius Radajus & Carolus Istuanus, rebellium duces, oppidis metallicis, ut vocantur, non pecuniam tantùm, imperârunt, verùm etiam in verba sua adegerunt. Hæc in superiori Pannonia.

Interim in parte inferiori nihilo melius se res habebat, nostrorum magis ignavia, quam hostium virtute. Pestam præsidio tenebat Iagenreuterus, de cujus virtute magna erat opinio, quam tamen turpiter ille fefellit: Is audito Turcici exercitus adventu, Panico quodam terrore correptus, nondum viso hoste, de relinquendo & incendendo oppido, corruptis tormentis ac reliquo commeatu, consilium iniit, idque etiam 5. Septembris die exsequutus est, præsidio Strigonium deducto. Turcæ re intellectâ eò statim mittunt, qui munitiones non omninò destructas, igne restincto instaurarent, nostrorum ignaviam magnoperè admirantes. Strigonium appulsus Iagenreuterus, quum deserti turpiter oppidi nullam aliam causam afferret quàm hostium, quorum se imparem sustinendæ potentiæ dicebat, metum. Althemii jussu in vincula conjicitur, postquam honestæ incertum mortis metum ignominiosæ penè certo mortis periculo redemisset.

Comes Fontanus omnes hoc tempore negotiationes ex Mediolano per Rhetiam Alpestrem in Flandria Germaniaque exerceri solitas inhibuit, Rhetis Alpestribus potissimùm infensus, qui ut huic malo occurrerent, missis ad Helvetios Legatis, opem adversus Fontanum implorârunt, at illi omne ipsis auxilium denegârunt, quòd fœdus, quo Helvetiis conjuncti fuerant, ante hæc tempora non servâssent. Interea Comes, In finibus Rheticis Castellum excitari præsidiarioque illud milite muniri jussit transitum populis istis, si fortè bellum Mediolanensibus movere vellent prohibiturus. Etiamsi enim opem ab Helvetiis impetrare non possent, quemadmodum etiam Castello isti aliud statim propugnaculum opponere cœperant, quamvis id prohibere Fontanus modis omnibus niteretur. At illi ab Helvetiis rejecti, Legatos Venetias

 mittunt.

M.DCIV. mittunt, ubi accepti honorificè & per aliquot dies liberalissimè habiti sunt. Admissi autem in Senatum, causam legationis coram Duce & Senatoribus exponunt, promissionem auxilii adversus Fontanum impetrant, & ad societatem admittuntur. Præstito igitur utrinq; juramento ingens à campanis & tympanis sonus in civitate excitatus tormentorumque ingentium exoneratio facta est, applaudentibus simul civibus, & lætitiam voce manibusque haud vulgarem præ se ferentibus. Cognitâ hac confœderatione, cœpit nonnihil Fontanus à rigore suo remittere, eratque spes nonnulla fore, ut Rhetis Alpestribus reconciliaretur. At ipse non ita pridem ad institutum reversus, adversari eis non minori quam antea studio & contentione cœpit, missis Valentiam aliquot cum insigni præsidio opificibus, qui Castellum novum in finibus priori adjicerent. Itaque cùm Comiti denunciâssent, se nisi ab instituto cessaret, vi summâ Castella illa vel demolituros, vel iter sibi per montana paraturos, ad Galliæ Regem Legatos miserunt, qui auxilio sese ipsis, si necessitas ita requireret, affuturum promisit, Helvetios simul admonens, ut quid facto opus esset, decernerent, qui daturos sese operam modis omnibus responderunt, ut Hispani à finibus istius regionis arcerentur.

Hispalis urbs maritima clarissima, formâ rotunda, ædium pulcherrimarum frequentia nitidissimè culta, totius hodiè Hispaniæ emporium florentissimum habetur, ex variis mundi partibus, maximè verò ex India Occidentali quæstus incredibiles faciens, in ea autem sub initium hujus anni tanta maris inundatio facta est, ut non solùm cellæ vinariæ & loca subterranea omnia repleta, sed & tota ferè civitas aquis obruta fuerit, nec quicquam existat, tam provectæ ætatis senex, qui inundationem tam magnam & formidabilem unquam se vidisse, recordari possit. Ad tantam enim aquæ ascenderant altitudinem, ut multa jam ædificia illos superarentur, & si vel sex horarum spacio perstitissent, subversionem maximæ civitatis partis, sequi necesse fuisset. Perierunt autem inundatione istâ multi & homines & pecora, tantumque mercium dissipatum est, ut damnum, quod civitas ista brevissimo tempore tum contraxit, duas superare myriades auri perhibeatur.

Hoc anno Jesuitæ à Rege in gratiam Reginæ in Galliam iterum recepti & suis sedibus restituti sunt, atque in quatuordecim civitates introducti, quæ nominantur, Tholosa, Aux, Agen, Rodes, Burdegalum, Pergeux, Limoges, Turnoy, Lepuy, Arbesnes, Desire, Lugdunum, Dionysius, & de la Fleschii in Ansou. Facta est autem admissio eorum non simpliciter, sed sequentibus conditionibus: Primò, ne ulla collegia in civitatibus regni, aut provinciis aliis Regi subjectis, sine expressa Regis permissione instituant, sub pœnâ amissionis omnium privilegiorum & beneficii hujus ex mera Regis gratia ipsi concessi. Deinde, ut omnes natione Galli sint, nec quenquam alterius nationis in collegia sua admittant aut recipiant, sine Regis peculiari permissu, peregrinis, si qui jam inter ipsos inveniantur (exceptis tamen illis, qui Avignonium patriam agnoscunt) omnibus à se dimissis. Tertiò, ut semper aliquem habeant natione Gallum, qui Regi à sacris concionibus esse, & de omnibus negotiis rationem nomine totius societatis ipsi reddere possit. Quartò, ut omnes vel jam admissi, vel imposterum forsitan admittendi, purum præstent juramentum, se nihil molituros, quàm in perniciem Regis, vel regni salutisque publicæ vergere possit, omnibus, qui jusjurandum illud jure recusaverint, rejectis. Quintò, ne quid bonorum immobilium sive emptionis, sive dationis titulo ad sese transferant, nec ab illis etiam accipiant, qui transitum ad societatem suam fecerint, sed hæredibus legitimis id omne relinquant, & legibus statutisque Regni politicis, ut

Ordi-

Ordines reliqui omnes, se libenter submittant. Sextò, ne quid vel Ecclesiasticorum vel Politicorum negociorum suscipiant, tractentque in præjudicium Episcoporum, Capitulorum & universitatum regni, sed ordinariis constitutionibus per omnia se conformes gerant. Septimò, ut nulla sacramenta, & ne pœnitentiæ quidem, aliis quàm sui Ordinis hominum administrent, sine permissu Archiepiscoporum & Curiarum, quibus singuli sint subjecti. Cæterùm, ut habeant, unde vivere & sustentare sese possint, non permissum ipsis solùm à Rege est, uti & frui reditibus, quorum ante hæc tempora participes fuerunt, sine ullo impedimento, sed & de proventu annuo 1000. coronatorum, ad 20. annos in urbe Parisiensi, ipsis liberalissimè prospectum est, literis super hac re scriptis & sigillo Regio munitis.


Madrilla civitas est, in medio ferè Hispaniæ sita, aëre tam salubri valens, ut nunquam peste inficiatur. Sedes est hodiè Regis Catholici, qui non usque adeò longo ab ea intervallo, Pardonium arcem habet tota Europa celeberrimam, quam Rex Philippus multis aulæis Attalicis Babylonicisque, quales elegantissimè pretiosissimeque in Belgio hodiè parari solent, paulò ante mortem suam splendidissimè exornaverat. In hac arce ministrorum incuriâ incendium sub initium Aprilis extitit, tam ingens & formidabile, ut nullo modo extingvi potuerit, & quò plus aquarum affunderetur, tantò perniciosiùs ignis flagraret, donec universam istam arcem, præter quatuor, in quatuor angulis excitatas turres, funditùs deleverit, damnumque, quod vix 300000. Coronatis reparari posse dicitur, dederit.

Annæberga oppidum Misniæ est, inter metallicas urbes non postremum; conditum à Georgio quondam Saxoniæ Duce, ante annos centum vel circiter, multis viris doctis, utpotè Sarcerio, Bersmanno, & aliis quos dedit, clarum. In eo incendium die 28. Aprilis factum, omnes ædes, quarum ad duo millia ibi numerabantur, tredecim horarum spacio funditùs delevit, ita ut præter tria deserta & à nullo inhabitata tugutia, nihil domorum remanserit, igne in fabri cujusdam ferarii domo, ab incuriâ mulieris jusculum aliquod coquentis, & accenso in sartagine lardo, aquam affundentis, initium sumente, & magnâ celeritate obvia quæque corripiente atque depascente. Quia tamen dum huic sedando operam cives darent, in Hospitali, quod ante urbem erat, & in aliis simul tribus vel quatuor locis incendium itidem exortum est, fuerunt qui incendiariorum & quadruplatorum malitiæ id adscriberent. Sanè quicquid fuerit, triste spectaculum accurrentibus passim exhibitum est, cùm nudos penè patres, matres, natas, puerosque visa est præcipites pellere flamma foras. Ibi quisque amicos suos ægrotos & matres suos infantes ab uberibus pendentes, multo cum ejulatu & ploratu portis efferebant, ut licèt flamma rapidissima velocissimaque esset, nemo tamen hominum perierit, præter phreneticum aliquem, catenis ferreis alligatum, & sororem ejus, quæ cùm ipsum liberatum accurrisset, pietatis officio satisfactura, in amplexu ejus detenta, flammis simul esca facta est. Inter ædificia alia templum erat splendidum admodum & solito cupro contectum, illud cùm corripuisset ignis, turrim primò campanariam consumpsit, campanis omnibus colliquefactis, deinde tectum trabesq; omnes dissolvit, & ad organa penetrans, illis absumptis, per fores tandem quasi (quod mireris) egressus est, sedilibus universis, suggesto, altari, columnis fenestrisque salvis & illæsis permanentibus.

Hoc tempore relatum est ad nos, Ordines Sueciæ habitis Comitiis regnum illud Carolo Sueciæ Duci & hæredibus ejus masculis plenariè obtulisse, factâ ipsi potestate non titulum modò Regis usurpandi, sed & regio more regnum administrandi & reditibus regni pro arbitrio suo fruendi, qui cùm propulsandis externis injuriis, restaurandisque, quæ perpessi hactenus essent, incommodis sufficere non posse putarentur, decretum ab Ordinibus est, novum millium ex-

M. DCIV. ercitum integro triennio, & diutiùs etiam, si necessitas ita postulârit, propriis suis sumptibus sustentare: de illis autem, qui tempore interregni, propter motus bellicos, aliò concessisse dicebantur, statutum est, ut aut semestri spacio reuersi bona & sedes suas repetant, aut emanentes perpetuò bonis suis careant, ita, ut ne posteris quidem ipsorum ad ea ullo unquam tempore accessus pateat.

Hoc igitur modo electus Suetiæ Rex Carolus, edictum statim promulgavit, de hostibus suis nullà ratione sublevandis, publicoque scripto mercatoribus passim significari jussit, ne ulla mercimonia Rigam in posterum transportarent: se enim quicquid in mari eò deferendum deprehenderit, hostium bonis adnumeraturum & severè vindicaturum esse classem etiam in mari constituit, quæ naves adventantes observans, navigationem ibi omnem infestam redderet. Cùm igitur circa finem Junii, plurima Lubecensium, Hamburgensium, & Embdensium naves peractis negotiationibus suis Rigâ solvissent, & in classem illam incidentes post navalem pugnam admodum cruentam, submersæ partim & in arenas breviaque actæ, partim comprehensæ & in Suetiam abductæ sunt, paucis periculum effugientibus, ut ita damnum maximum ad mercatores inde tum derivatum fuerit.



ANNO M. DCV.

SVperiori anno dictum est, quo pacto Hispaniæ & Angliæ Reges pacem inter se fecerunt. Cùm verò decretum ibi esset, ut quàm primùm fieri posset, Angliæ Rex Legatum in Hispaniam mitteret, qui à Rege ejus gentis juramentum de servandis suprà dictis conditionibus, & fœdere sartotecto tuendo præsens acciperet: Carolus Havartus, Comes Nortingamensis, Angliæ Thalassiarchus jussu Regis sui 11. Aprilis è portu Doverensi solvens, circiter Calendas Maii Coronicum in Gallæcia appulit, ibique dies aliquot refectioni dedit. Hinc missis in portum Santandreanum navibus, ibique reditum suum præstolari jussis, cum splendido admodum comitatu terrestre iter est ingressus, & per difficilem multis locis & asperam viam, tandem Salamancam 24. Maii pervenit, à Petro de Cuniga Regis nomine quàm honorificentissimè ibi exceptus. Biduo pòst quum Legatus à regia Hispanica, quæ Valladoleti tunc erat, non procul abesset, splendidissimum obvium habuit comitatum, in quo trecenta circiter pilenta, & ultra octo hominum varii ordinis & conditionis millia numerata sunt: in quibus familias ducebat Castiliæ Comestabilis, is, qui bonam in pace hac conficienda, ut superiora testantur, operam navavit. Proximè sequens dies, in amicis & aliorum, qui ea in aula versantur Principum oratoribus salutandis, est consumptus. Die Sabbathi, qui erat 28. Maii, in regium conclave cum omni suo Comitatu introductus, per interpretem mandata exposuit, deinde ex adverso Regis considere jussus est; ac tum Angli equites omnes antequam conclavi excederent, manum Regis sunt deosculati. Inde Legatus ad Reginam profectus, cum stante stans aliquandiu est colloquutus, ac digrediens ipse itidem Infantis filiæ sexennis manui osculum impressit. Sequenti die Dominico insignis admodum & splendida processio à Dominicanæ familiæ monachis celebrata fuit, cujus Rex ipse, cum multis Principibus & nobilibus fuit comes: ut Anglorum nonnulli, qui scilicet à Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ritibus nondum defecerant: Legatus verò pompam ex ædibus templo vicinis spectavit, exhibitis inter eundum & redeundum & Regi & cæterorum Principum Legatis ac Dominis reverentiæ signis. Eodem die, in eodem templo D. Pauli scilicet, Regis filius Christiano lavacro tinctus est, his ferè ceremoniis. Templum prædictum aulæis & tapetibus

bus pretiosissimis (è Tunetana urbe expugnata Caroli V. Cæsaris manubiis) undique erat exornatum: eoque circitèr horam sextam vespertinam regius infans baptizandus magnâ pompâ est illatus: quem vesti sericæ involutum Lermæ Dux togâ talari ad antiquorum formam facta amictus, ferebat: præcedenti magnâ parte nobilitatis (in qua etiam Regis Fessani fuit filius) & quatuor sceptrigeris. Coronam Velascus Castiliæ Comestabilis, cæreum Albæ Dux, Pastranus salem, Albuquercius pelvim auream cum mantili pretiosissimo ferebat. Sequebatur Lermæ Dux cum infante regio; post hunc Ducis Sabaudiæ filius major natu: inde muliebre incedebat agmen ducentibus quatuor Reginæ prætorio Præfectis: post quos infans Hispaniarum Regis filia, aureâ lecticâ ferebatur, præeunte minore natu Ducis Sabaudiæ filio, sequentibus primariis fœminis, cum magno virginum & pedissequarum comitatu: Rex verò & Regina pompam è loco ad id facto spectabant. Lermæ Duci ad templi fores Toletanus Cardinalis, Episcopi Burgensis & Valladoletanus occurrerunt: deinde ad baptisterium, in quo S. Dominicum baptizatum ferunt, Dux progressus, infantem nudum majori Ducis Sabaudiæ filio tradit, à quo ad baptisterium perfertur. Interea idem Lermæ Dux infantem filiam itidem ad baptisterium adducit, ac mox duobus his Sabaudo scilicet, & Regis filia fidejubentibus, infans à Cardinali Toletano salutari lavacro immergitur, Philippi Dominici Victoris accepto nomine, spectante iterum Rege & Regina è loco editiori, & ex alio, Angliæ Legato. Die postero, qui Lunæ erat, à Cardinali Toletano Legatus salutatus est, cumque eo variis de rebus sermone habitus. Die Martis Regina in D. Mariæ & S. Laurentii primam habuit post puerperium supplicationem, comitante ipso Rege, cum magno Principum, Comitum & nobilium numero: tumque regii infantis nomine ad altare delati, oblationes factæ sunt, atque indè sacrum solenne celebratum. Eodem die Velascus Comestabilis Legatum & Anglos splendidissimo convivio excepit, cui etiam Sessæ & Albuquerci Duces interfuerunt. In hoc quater fercula illata sunt: magnaque cum admiratione spectabantur abaci aureorum & argenteorum vasorum pleni. A prandio Legatus cum concionatore Regem adiit, comitante etiam ordinario Angliæ Regis, qui ibi residet, oratore: sed hic mox impetratâ veniâ, cum Comestabili, ad Reginæ colloquium venit. dum interea Havardus cum Lermæ Duce tempus fallit. Junii Calendis idem Legatus Cardinalem Toletanum & alios adiit, postero Cæsareæ Majestatis, tertio Galliarum Regis & Venetæ Reipublicæ Oratores convenit, iis comitantibus, quos Rex ei adjunxerat, inprimis sæpè nominato Comestabili, qui officii causâ vix unquam à Legati hospitio discessit. Similibus salutandi officiis quartus Junii consumtus est dies. Jam sextus appropinquabat, isq; Dominicus, qui juramento præstando erat destinatus, sed res nescio quam ob caussam in alium diem fuit dilata. Biduo pòst, septimo Junii, Legatus a Comestabili rursus ad verè regium convivium vocatus fuit, utpotè cui Rex & Regina intervenerunt, sumtoq; poculo Rex Legato Anglorum Regis salutem amicissimè propinavit: dein remotis mensis in alio conclavi ludus Comicus fuit exhibitus. Nono ejusdem Eucharistia (erat enim festum Corporis Christi) ipso Rege processionem comitante, per urbem fuit circumlata: à meridie Comestabilis Legatum, adductis eum in usum equis, ad Regem accersivit, ut ab eo solenniter de pace servanda acciperet juramentum. Is ergò conscensis equis cum præcipuis è suo comitatu ad regium palatium contendit, idq; ingressus ad ipsum atrii ostium, in quo fœdus juramento erat firmandum, Regem obvium habuit, ingressus unà, Rex in suo solio, Anglus Legatus in alio, ex adverso Cardinalis Toletanus consedit. Ante Regem Dux Lermæ astabat, manu gladium nudum dextro humero impositum tenens; nec procul inde ad utrumq; latus Fetiales sive Heroldi, cum regiis armis & insignibus. Sermonis initiũ Card. Toler. fecit, qui lingvâ Hispanicâ regi

M. DCV.

M.DCV. exposuit, quod & quale juramentum ab ipso posceretur, in hanc ferè sententiam: Jurandum Regi esse tactis sacrosanctis Evangeliis, pacem proximè elapsi anni, mense Augusto cum magnæ Britanniæ, sive Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ Rege initam, inviolabiliter servaturum, nec per suos quidquam ei derogari passurum, additum quoque aliquid de vectigali illo novo, quo paulò minus triente ab omnibus mercibus exigebatur, penitùs & tunc & in posterum abolendo. Pace ita juramento confirmata, sequenti die 10. Junii, taurorum venatio in foro Valladoletano fuit instituta. Rex & Regina circa meridiem ad prætorium profecti, unà cum Anglo Legato pransi ibi sunt. Regina totum ferè gynecæum adduxerat, à quo plerisque omnibus equitantibus singuli nobiles pedestres, singulis dextrum latus claudebant. Sed Anglis ante omnes, etiam cursoribus spectandi locus concessus. Tandem venationis, diutiùs aliquantò, ob solis ardorem, qui rectis radiis eum locum è quo Rex prospecturus erat, feriebat, extractæ factum est initium, omissis tauris, quorum quindecim interfecti, & tres vel quatuor à venatoribus graviter sauciati, atque etiam tres equi prostrati sunt & obtriti. Mox in vacuam aream duodecim tympanotribæ equis vecti processerunt; post hos triginta tubicines, eodem omnes vestitu, candidi, rubri & violacei coloris. Post hos duodecim agebantur muli, minimè eo animali, sed tamen tanto Rege dignis phaleris ex argento & serico exornati, telorum aliquot & lancearum paria singuli tergoribus gestantes. Singulos singuli muliones ducebant, nudo capite, eleganter atque etiam sumtuosè vestiti. Inde equisones regii primùm 27. eximio corpore equos pretiosissimè phaleratos produxerunt, quibus singuli additi erant calones, splendido omnes vestitu. Proximè hos Sabaudiæ Ducum 15. numero, non minùs quàm illi generosi equi à ministris manuducebantur, stragulâ veste eorundem insignia ostentante. Hos duo de triginta alii sequebantur, quorum sex urbici erant præfecti, reliqui viginti duo Castiliæ Comestabilem Dominum agnoscebant. Plures adducere (erant enim ab omnibus penè Principibus & Comitibus, qui tum in aula præsentes erant, aliquot adornati) diei tempus, quod non ita multum a nocte aberat, non patiebatur. Traductis hoc modo à ministris, qui suorum quisque Dominorum arma in scuto depicta ferebant, veluti ad pompam prædictis equis: Rex Lermæ Duce comitatus, præeuntibus quatuor cornicibus, intra cancellos venit: qui ubi mox constitissent, veluti hastis concursuri, sed minantes tantùm intentâ lanceâ, non etiam inferentes ictum equis celeriter incitatis alter alterum est prætervectus. Eodem modo circiter quadraginta aliorum nobilium paria adversus equos concitàrunt. Hac ludicrâ pugna edita, iidem in arenam æthiopum habitu induti redierunt, pro more ejusdem gentis scuto & pilis armati. Concurrunt ex adversa utrinque ordinata acie deni & deni, hoc ordine, ut fugientes emissis pilis, ad suos se reciperent, ex his sequentis diei alii repellerent, reciprocata utrinque fuga & persequutione. Hujus certaminis primos Ordines ducebant, Dux Infantasci, Corrector (est id supremi magistratus hoc in loco nomen) Valladoletanus, Comes Albæ de Lista, & Dux Albanus. Multa jam nocte suum quisque in hospitium, daduchis præeuntibus, concesserunt. Eo qui hunc sequutus est die Rex cum Regina armorum lustrationem spectavit. Erant verò viginti duæ equitum è nobilitate, quatuor ferentariorum, cæteræ omnes lanceariorum turmæ, singulæ quinquagenûm aut sexagenûm virûm cataphractorum. Universum agmen Dux Lermæ regebat: secundam turmam Marchio Sangermanus, illius Legatus, ducebat: tertiæ præerat Henricus Gusmannus, cùm Calatravani ordinis insignibus. Quinta turma Lermæi Ducis insignia præferebat, sexta, septem Infantium de Lara, septimæ Dux erat Comes Pomorostanus, effigie B. Mariæ virginis in vexillo depicta, octava Petri de Castro ductum sequebatur, cujus insignia erant sex globi in scuto argentei colo-

coloris, nonæ præerat Comes Xelphitanus, cum Lermæi Ducis insignibus decimæ signum crux erat decussata: undecimum Valladoletanus regebat præfectus, gentilia arma pro insigni ferens, duodecimum vexillum viridi erat colore, effigiem itidem B. Virginis Mariæ repræsentans. Decimæ tertiæ turmæ Dux erat Ludovicus Gusmannus, propria gestans insignia, ut & decimæ quartæ, Marchio Canneranus, nec non decimæ quintæ, Dux Sessæ, decimum sextum vexillum itidem B. Mariæ Virginis effigiem præferebat; decimum septimum verò gilvo, candido & cœruleo colore erat insigne. Repetita Calatravæ decimum octavum ostendebat. Quæ sclopis armatæ erant turmæ ad quatuor circi angulos constiterunt: erant quoque qui arcubus & sagittis utebantur, Marchione Guellano Duce. Hi omnes quum aliquamdiu sese ostentâssent, in duo deinde agmina distributi concurrerunt, signoque à Rege dato, domum sunt reversi. At quæ hæc quidem publicè adita sunt spectacula, quæ jejune admodum ex jejuna narratione, uti edita est, describimus, ideoque lectorem ut styli ruditati ignoscat, rogatum volumus. Proximum quatriduum mutua salutandi & amicos conveniendi officia abstulerunt. Die Jovis, qui erat 16. Junii, eo in atrio, in quo ante fœdus, ut diximus, ictum fuerat, maximo & regio apparatu saltatio fuit acta, ad quam spectandam Anglus Legatus fuit introductus. Totum atrium (nox enim jam erat) crebris cereis & lychnis ex argento magnam partem factis collucebat. Solium etiam columnis aureis innixum, miro & regali planè ornatu visebatur, à cujus utroque latere angeli tubas inauratas manu tenentes adstabant. Infra solium tria collocata erant sedilia, Regi, Reginæ, & Regis filiæ, Infanti. Quum omnes consedissent, angelorum alter turbam inflavit, statimque mirabilis Musicorum audiri cœpit concentus, Regi & Reginæ de nato filio gratulantium, eique omnia fausta precantium. Vix hi finierant, quum viginti quatuor cornua aliaque instrumenta Musica inflantes & tangentes, personati omnes, ab octodecim ministris cereos albos prælucentibus introducuntur: sequuntur sex virgines, quæ diverso colore & habitu diversas virtutes repræsentabant: post hos à duobus nanis equis currus trahebatur, cui infans Hispaniarum Deæ os habitum, qui & manu sceptrum gerens, media inter duas speciosissimas virgines insidebat. E curru Infans in suum solium sessum se recepit; cæteræ vero virgines infra ejusdem pedes consederunt. Post hæc aperto atrii ostio vitreum cœlum facibus undique, collucens, mirabili artificio fuit admotum, è quo tanquam in nube qui saltationem peracturi erant, descenderunt bini viri & fœminæ. Post multa precia tandem Rex quoque & Regina, Dux Sabaudiæ & nescio quæ alia virgo per eandem nubem devecti. Postquam aliquandiu saltassent, tandem deposita persona, Rex & Regina in solio consederunt, virginibus interea, quæ virtutum imagines gerebant, choreas ducentibus. Post simul omnes, deinde singuli, atque inter cæteros Perthi Comes & Villighujus Baro, Angli, Pyrrhicham Gallorum more saltârunt; post alia saltationum genera, inprimis quo prælium illud ad Ticinum Gallis adversum adumbratur, usurpata sunt, donec tandem Rex & Legatus finem huic exercitio vel ludicræ oblectationi imposuerunt, jam post noctis, ut cum Varrone loquar, meridiem. Inter alium, quo Regina fulgebat ornatum, adamantem ajunt fuisse centum scutatorum millibus, & unionem triginta millibus æstimatum. Saltante Rege, omnes erecti stabant: nec quisquam immiscere se audebat præter eos, quos Rex ordinârat. Die Veneris 17. Iunii Legatus Regi & Reginæ valedicens, immensis ac plus quàm regiis donis fuit affectus, quorum precium 70. scutatorum millia excedere scribitur, præter ea, quæ legationis comitibus sunt exhibita: perque regnum, lautitiis ubiq; præstitis, deductus, è portu Santandreanum classem solvens non ita multos post dies in Angliam feliciter appulit, & ad Regem profectus, legationis suæ successum & mandata exposuit.

Eccle-

N.DCV. Ecclesiam hactenus Romano-Catholicam Clemens Octavus ejus nominis, Pontifex maximus, per tredecim annos gubernavit, post fata quippe Innocentii Noni, 30. Januarii anno 1592. electus. Is igitur cum gravissimo & periculosissimo catharro 12. Febr. die obrutus, ad vitæ terminum properare videretur, essetque Cardinalis Aldobrandinus àd eum vocatus, multas inter pauperes eleëmosynas distribui, monasteria multis muneribus donari: & preces quadraginta horarum, pro salute sua haberi præcepit, Frustrà verò tentatis omnibus, cum sub finem Februarii ultima pro reparanda valetudine remedia ei adhibita essent, morbusque indies magis magisque invalesceret, tertio tandem Martii die, intra quintam & sextam horam vespertinam, viam omnis carnis ingressus, expiravit. Corpus ejus postmodò ad S. Petrum delatum, & in sacrario Clementino, cum multis ceremoniis & solennitatibus sepultum est.

Post fata Clementis VIII. Pontificis Romani, cùm sedes Pontificia per mensem ferè vacâsset, congregati Cardinales, tandem primo Aprilis die, Alexandrum, Cardinalem Florentinum, præstantissimi Octaviani filium, ex illustrissima Medicæorum familia prognatum, Leoniq; X. & Clementi VIII. consangvinitatis vinculo quàm proximè conjunctum, elegerunt, qui natus anno 1536. die Junii quinto, cùm in Archiepiscopum Florentinum electus, à Francisco primo magno Tuscaniæ Duce, Legatus Romam missus, & postmodum anno 1583. die Decembris decimo tertio à Pontifice Gregorio XIII. in Cardinalem electus esset. Jam primo Aprilis die, horâ noctis secundâ Pontificatus honore dignatus est, & Leonis XI. nomen sibi assumsit. Die Aprilis decimo, qui Resurrectionis Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, sacer erat, cum peractis usitatis ceremoniis, ad aram S. Andreæ, Missæ sacra publicè celebrâsset, & in æde Divi Petri coronatus esset, benedictionem, quam à Cardinalibus Sfortzâ & Montaldo, præcipuis nempe Diaconis, acceperat, populo, cujus frequens admodum per lætitiam concursus aderat, benignè iterum elargitus est, quo pacto sclopetariorum duo millia ferè, ut satellites Germanos, & qui in Castello erant, præsidiarios taceam, scloporum & tormentorum displosione fragorem admodum ingentem excitârunt. Dominicâ sequenti, quæ 17. Aprilis erat, quartâ ante vesperam horâ, ab Albis, Lateranum versus equo vectus est possessionem hujus Ecclesiæ, tanquam in toto terrarum orbe præstantissimæ accepturus. Comitabantur autem eum præcipui quique Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum & Præsulum, cum potentissimorum Principum Legatis, Senatus proceribus, Comitibus, & universa Romanâ nobilitate, splendorem & ornatum eximium cum magna lætitia & exultatione ostentante. Via, quâ eundum erat, ab æde D. Petri ad Titi Vespasiani Imperatoris arcum usque, pretiosissimis undique aulæis & imaginibus pulcherrimis exornata, multa serica, bombycinaque & alia id genus ingentis pretii peristromata velaminaque à fenestris, quas fœminæ primariæ, proceresque & personæ, corporis fortunæq; dotibus conspicuæ quàm plurimæ occupaverant, suspensa, spectantium oculis ingerebat, præcedebantque adventantem Pontifici aliqui, qui viam, à Divo Petro ad S. Johannem Lateranensem ducentem, variis & pretiosissimis rebus consternerent. Quâ ingressus ad forum patet, Florentini arcum triumphalem pretiosissimum erexerant, quatuor pulcherrimis statuis insignem, quarum ab utraque parte duæ columnis elegantissimis impositæ cernebantur, eratque prima magnanimitatis statua, vestita orichalcini coloris induta & imperiali diademate exornata, insidebat autem Leoni, manuque dexterâ baculum imperialem sive sceptrum, sinistrâ verò cornucopias tenebat. Altera Religionis statua, dextrâ quidem manu librum, sinistrâ verò Romanam Ecclesiam continebat. Tertia Liberalitatis statua aquilam in capite exhibens, dextrâ quidem horologium Sciotericum, quod vulgò compassum vocant, sinistrâ verò marsupium pecuniâ reple-

repletum tenebat. Quarta Justitiæ statua, gladium dextrâ, bilancem verò sinistrâ gestabat, in summitate arcus, quà pontem respiciebat, hæc adscripta verba legebantur: Leoni XI. Florentino, P.O.M. Florentini, ad declarandam fidem, lætitiam atq; animi alacritatem, &c. Ab altera parte tabernas spectante, hæc verba legebantur: Dignus est Leo, in virtute agni, accipere librum, & solvere septem signacula ejus. Ab interna arcus parte, duo prominebant quadrati lapides eximiæ magnitudinis, quorum primus tempus illud exhibebat, quo novus hic Pontifex à prædefuncto Pontifice Clemente VIII. ad Regem Galliæ Henricum IV. ablegatus fuisset, cum verbis sequentibus: Alexandro Medices S.R.E. Clementis VIII. P.O.M. de latere in Galliam Legato, Henricus IV. Gallorum Rex Christianissimus, veterem errorem, quem Romæ per Legatos suos damnaverat, Lutetiæ Parisiorum diplomate subscripto, revocavit. Alterè regione positus, scripturam hanc continebat; Pacem, Alexandri Medices, S. R. E. Cardinalis, Clementis VIII. P.O.M. de latere in Galliam Legati, consilio & autoritate inter Gallos Hispanosq; VVervini compositam Henricus IV. Gallorum Rex Christianissimus, Lutetiæ Parisiorum jurejurando confirmat. Inter tabernas institorias Pharmacopola quidam ad Draconem habitans, columnam quandam tribus virtutibus, Dilectione, Munificentiâ & Justitiâ conspicuam, statuerat. In area, quâ ingressus ad Curiam, patet, arcum triumphalem quatuor statuis, Fortitudine nimirum, Abundantiâ, Liberalitate, Magnanimitate insignem, Senatus Romanus constituerat, in cujus summitate hæc verba legebantur: Leoni XI. Pont. Max. eximiam Romanæ rei amplificandæ, sub ipsa Pontificatus initia voluntatem, &c. S.P.Q.R. Gradus autem, per quos in Curiam ascensus fieri solet, pretiosissimis aulæis & Hebræis aliquot versiculis, cum adscripta expositione Latinâ, ad arcum Septimii usq; pulcherrimè exornati cernebantur, legebanturque sub arcu Septimii hæc verba: Optimo Principi Leoni XI. quòd instinctu paternitatis, ab ipso divino Pontificatus exordio omnia nobis & singula æqui boniq; consuluit, ita ut Respubl. constituta appareat, immunitatem securitas sequatur, Senatusq; honorificentia per annonæ ac pacis otia bonam in frugem erigatur, & populi hilaritas promoveatur, S.P.Q.R. Tota area, quæ campus vaccinus vocatur, ab arcu Septimii ad Colossæum usq; maximè verò hortus Farnesius, aulæis undique pretiosissimis, sericeisq; & bombycinis velaminibus varii coloris exornata & obducta erat. Ad arcum Titi Vespasiani Imp. populus hanc scripturam affigi curaverat: Leoni XI. P.O.M. quòd gentilitiam Leonis X. beneficentiam propagat; urbanam magnificentiam adauget; memoriam augustiorem facit; florentissimū Medicææ culmen gloriæ, urbis æternæ acclamatione perpetuat. S.P.Q.R. Templum autem S. Johannis Lateranensis sericeis bombycinisq; velaminibus, nec non aulæis Attalicis pretiosissimis undique exornatum & auro argentoque repletum micabat. Jam quâ pompâ Pontifex hic Leo XI. ad S. Johan. Lateranensis templum delatus sit, quemq; comitatum secum habuerit, silentio nequaquam prætereundum duxi. Principio 4. equites levibus equis insidentes præcedebant, sequebantur deinde clavarii & cubicularii Cardinalium. Pòst judices & fisci procuratores gubernatorum, Romanensium incedebant. Quarto Cardinalium nobiles aulici splendidissimo vestitu exornati. Hos quinto sequebatur Illustrissimus Petrus Gaëtanus, Dux Sermonetæ, habitu sibi convenienti indutus. Sexto nobiles aliquot, equis præstantissimis insidentes procedebant, sequebatur eos septimo Dux Sfortza. Post eum octavo procedebat iterum equitatus nobilium admodum insignis. Sequebatur eum nono Illustrissimus Marchio Ariano, unà cum filio suo Bertholdo Vrsino, Comite Petigliano. Procedebat decimo alia quædam nobilium societas. Vndecimo sequebatur hanc Marchio de Peretri, & Jacobus Boncampagno, Dux Sorius, cum satellitibus vestitu holosericeo, colorem cujusque referente, exornatis. Duodecimo trede- M.DCV.

M.DCV. tredecim ſcutiferi, coccino induti, aperto & denudato capite progrediebantur. Decimo tertio, ſedecim equi gradarii vel tolutares, albi coloris, phaleris holoſericis auro & argento intertexto conſpicui, & quàm pulcherrimè exornati, ſinguli à peculiari miniſtro veſtitu rubri coloris induto ducebantur. Hos ſequebantur proximè quatuor muli holoſerico flammei coloris condecorati, habentes ſinguli peculiarem ſuum, à quo ducebantur, miniſtrum. Geſtabantur decimo quinto à peculiaribus ſuis miniſtris tres lecticæ Senatus, una holoſerico flammei coloris, reliquæ duæ coccino ſplendidiſſimè exornatæ. Sequebantur ſtatim quinque tubicines ipſius Pontificis, & poſt eos decem palatii officiales, cum ſartore Pontificis, veſtimenta ejus præferente. Decimo octavo, procedebant cauſarum in Conſiſtorio Patroni vel Advocati novem, cæruleo colore, & humerali albo conſpicui, quos ſequebantur præcipui Pontificis Cubicularii, numero 47. veſtitu coccineo, cæruleum colorem ſuffultum exhibente, induti. Cæterùm poſt eos, quatuor ſecretiores Cubicularii, quatuor mitras ſeu pileolos Pontificales ex holoſerico flammei coloris factas & intertexto auro artificioſè pictas, à baculis quatuor ejuſdem coloris holoſerico obductis, dependentes geſtabant. Quos ſequebantur ſexaginta quatuor Romani nobiles, qui bini & bini, habitu Romanorum veterum induti, equitantes, ephippiis ex holoſerico nigro conſtantibus, ſtapedibus aureis, & gladiis inauratis utebantur. Poſt illos Apoſtolici præſules ſeptem, veſtitu nigro oblongo, & poſtmodò auditores Rotæ togâ ſericâ oblongâ induti, cum magiſtro palatii progrediebantur. Illos ſequebatur Legatus civitatis Bononienſis & cum illo quatuor nobiles pueri, holoſerico albo, gladiisque & ſtapedibus deauratis exornati. Poſtmodum civitatis Romanæ Senatores veſtitu ſericeo, albis ocreis, gladiisque deauratis, togis inſuper ſericeis flammei coloris, ad genua uſq; pertingentibus, & pileolis nigri coloris, acu more veterum quàm elegantiſſimè pictis, & multis gemmis margaritisque conſpicuis exornati progredientes, ephippiis, frenis, lorisque & phaleris reliquis ex holoſerico nigro, intertexto auro conſtantibus, ſtapedibus verò calcaribusque deauratis utebantur. Hos ſequebatur Primas horum Dominorum veſte longâ Attalica, auro & gemmis intertexta ad talos uſque propendente, & pileo vetuſtatem Romanam exhibente, indutus, ephippio autem ex holoſerico nigro conſtante, gladioque & ſtapedibus deauratis utebatur, cujus latus dextrum Fabritius Narius, ſiniſtrum verò Franciſcus cum lupis, inſigni nempe civitatis, claudebant. Poſtmodò tres Domini conſervatores ſequebantur, nempe Hieronymus de Balzo Sirletti, Antonius Gabriel & Tiberius Lancelotti. Hi veſtibus Attalicis manicatis ab intertexto auro fulgentibus & ad talos uſque dependentibus, pileolisque Romanam vetuſtatem exhibentibus, ornatis ephippiis, phaleris, ſtapedibusq; & calcaribus utebantur pretioſiſſimis, habebantque præcurſores duodecim, quos, fideles Romani populi, vulgò dicunt, holoſerico flammei coloris, induti, pileisque coccineis & gladiis deauratis inſignes. A latere horum conſervatorum ſiniſtro, progrediebatur illuſtriſſimus Virginius Vrſinus, Dux Bracianus pretioſiſſimo habitu exornatus, octo curſoribus, aperto capite, duodecim ſatellitibus & duodecim miniſtris aliis, holoſerico nigro, multis aureis ſegmentis conſpicuo indutis, & criſtas albas geſtantibus, undique ſtipatus. Hunc ſequebantur magnatum exterorum, utpotè Romanorum Imperatoris, Galliarum Regis, Venetorum & Sabaudiæ Ducis Legati. Poſt eos Crucifer inter duos Officiales, virgæ rubeæ, equitabat, habitu cæruleo indutus, ſequebanturque eum Magiſtri ceremoniarum Papalium, veſtitu rubro, palliſque cæruleis exornati. His ita præmiſſis novum quaſi agmen ducebant octoginta ſatellites Pontificis, quorum operâ lecticam conſcenderat, veſtitu purpurei coloris ſericeo, & gladiis deauratis ornati, quos ſequebatur Signor Ala, civitatis Romanæ Gubernator ſolus.

Cæte-

Cæterùm ante & juxta lecticam Pontificis, 44. pueri nobiles Florentini incedebant, tam pulchrè ornati, ut uniuscujusque habitus ducentorum coronatorum æstimaretur, caligas habebant more Hispanico dissectas, segmenta verò aureo panno colligata, & argento suffulta cernebantur, tibilia habebant ut & pallia candida serica, calceis induti albis, & pileos in manibus ex holoserico nivei coloris tenentes, reliqui a pedibus cursores, vestitu cæruleo conspicui, lecticam comitabantur, ipsemet enim Pontifex in lectica splendidissimè exornata vehebatur, habebatque à latere dextro, Prosperum Giacovazzi, à sinistro verò Dominum Octavium Clementini, incedentes, utrumq; nivei coloris vestitu sericeo indutum, pallioq; purpuraceo amictum, qui pileos suos manibus tenentes populum ab incursu prohibebant. Lecticam sequebantur primò Cardinales Episcopi, deinde Cardinales Sacerdotes: tertiò Cardinales Diaconi: quartò Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi & reliqui Præsules: quintò Tubicines & Signiferi tres, equis levibus insidentes, armisq; induti niveis, & paludamento aureo splendidissimè exornati, signa sua manibus gestabant: sextò Tribuni duo armis induti splendidis, cristasq; in galeis & equorum capitibus varii coloris gestantes: septimò Centuriones duo, cum duabus equitibus turmis, bini & bini splendidis armis induti, tunicisq; coccineis auro hinc inde distinctis, quæ manibus ex holoserico flammei coloris à tergo dependentes habebant, progrediebantur. Tandem post equitatum hunc Cisiarii sequebantur, cognati enim Pontificis, fratrum nempè, sororumq; filii, inprimis verò Alexandri de Medices, & Simonis Della Giradesca curribus aliquot coopertis vehebantur. Postquam eâ, quæ diximus, pompâ Pontifex ad templum S. Johannis Lateranensis pervenisset, Canonici & Capitulares omnes, in occursum ei procedentes, templo egressi sunt, ipse autem juxta porticum templi, lecticâ descendens, in sella, quàm pulcherrimè & pretiosissimè exornatâ, ad Sixti palatium usq; deportabatur finitisq; usitatis ceremoniis templum ingressus preces & sacra coram sacratissimi Sacramenti & Apostolorum Altari peregit, illisque finitis ad Pontificiorum sacrarium delatus, populo benedictionem impertivit.

Quantâ Pont. Rom. Leo XI. pompâ ædem S. Joh. Lateranensis ingressus fuerit, jam dictum est, sed non quæ sint hujus mundi fluxa, caduca & momentanea, vel in hoc Pontifice videre est, vix n. per 26. dies & aliquot horas in cathetra summa, quæ in hoc mundo est, dignitatis, ubi sedisset, febri ardentissimâ correptus, fatali concedere necessitati & vitam cum morte commutare coactus est. Subitò igitur quæ fuerat Romæ lætitia, in mœrorem versa est, & casus hic Cardinalibus non solùm, sed & toti civitati luctum maximum induxit. Erat autem apud multos suspicio, venenum ei propinatum & exhibitum ab invidis quibusdam esse, verùm cùm præsentibus multis Doctoribus Medicis, corpus aperiretur, naturali eum, non autem violentâ veneni morte extinctum esse, deprehensum est. Delatum autem est funus illud in Pontificis Sixti sacellum, cumq; per noctem ibi asservatum esset, postero die, comitante multâ Cardinalium, aliorumq; procerum frequentiâ ad ædem Divi Petri deportatum est.

Magno hactenus in luctu Romani ob repentinum Leonis XI. Pontificis casum, mortemque, uti omnibus videbatur, admodum præmaturam fuere. Cùm verè de Pontifice alio Leoni huic substituendo convenire inter Cardinales non posset, vacare autem sedem Pontificum diutiùs inconsultum videretur, 16. Maji die. horam circiter secundam Farnesius & Montaldus Cardinales, Aldobrandinum Cardinalem accedentes, erant, ut pro singulari sua prudentia, & insigni erga sedem Pontificiam favore, Tosco & Baronio exceptùs, tres ex reliquo Cardinalium cœtu nominet, quos tantis honoribus dignos & ad sedis hujus gubernationem idoneos maximè putaret, qui re pauló altiùs secum deliberatâ, tres tandem ipsis Clementem nimirum, Arrigonem & Borgensium proposuit. Ex his

M. D CV. cùm Borgesius placeret maximè, à Montaldo statim Pontifex salutatus est, concedentibus statim in eandem sententiam Cardinalibus reliquis, honoremq; adorationis consuetũ ei exhibentibus. Pontifex hic ex familia Burgesiorum Senens. prognatus, matrem habuit Romanam nobilem, jamq; 53. annos natus, cùm ad Pontificiam eveheretur dignitatem, Pauli V. nomen sibi sumpsit, aulicos suos ad instantem coronationis suæ solennitatem vestitu primùm ex holoserico violaceo sive cæruleo, pòst, ubi hoc displicuisset, ex panno Damasceno rubro constante uti voluit, coronatioque ejus 29. Maji die, præsentibus multis Cardinalibus, multoque populo, sed non simili, qua præcedens Leonis XI. coronatio; cum pompa & ostentatione facta est.

Sub initium Augusti Carolus, Sueciæ Dux bellum in Livonia renovaturus, ingentem exercitum sub Comitis alicujus Mansfeldici imperio ablegavit, qui cum classe 40. navium advecti Dinamuntum assecuti essent, omnia statim latrociniis & depopulationibus suis loca reddiderunt infesta, ne à templis quidem abstinentes, sed incendio simul & rapinis omnia devastantes, excursione in Curlandiam etiam facta. Mittebant autem 13. Augusti die ad civitatis Rigensis mœnia tubicinem, qui Rigenses deditionem, uti facerent, moneret, cumq; nihil obtinere sese posse viderent, jam machinas & instrumenta bellica adornabant, vi summâ impetum in civitatem facturi. Aberat adhuc Dux Carolus, itaq; licèt exercitus iste nihil intentatum relinqueret, proficere tamen nihil potuit, donec Carolus ipsemet adventaret, civibus præsertim pro defensione sua, studiosè admodum excubantibus, & insultantes Suecos vigili dexteritate rejicientibus. Cùm igitur Dux Carolus 11. Septemb. die copioso adhuc milite stipatus, cum Duce exercitus Lunæburgense advenisset, jamque peditum equitumq; quatuordecim fermè millia numerarentur, castra metari & urbem obsidione cingere undiq; cœperunt. Jubet iterum per tubicinem Carolus, deditionem fieri, multa pollicitus, cives recusant constanter, omnia, quæ offerebantur, negligentes, cognitum namq; satis & perspectum habebant, magnâ rerum necessariarum inopiâ laborare Suecos, & ad continuandam obsidionem commeatu sufficienti instructos non esse. Intereà Carolus Chotkievicius Livoniæ præses, qui per id tempus ad Derpatum cum exercitu agebat, selectis duobus millibus & quadringentis equitibus, peditibus verò mille, quàm expeditissimo agmine, relictis in castris impedimentis, iter Dinamuntum versùs intendit, absque ulla mora obsessis suppetias laturus. Adveniens autem Volmariam certissimum accipit nuncium de altero Caroli Duce Andrea Lindersonio, quòd nimirum quinq; millibus Revalia profectus, ad Mansfeldium tendat, vires cum eo suas conjuncturus. Itaq; qui Dinamuntum modò cogitabat, jam Felinum versus iter dirigit, compendio itineris & summâ celeritate Lindersonium præversurus, & carptim potiùs cum singulis, quàm cum omnibus conjunctim, manum conserturus, si quis forsitan casus, oportunitatẽ rei bene gerendæ afferret. Non fuit omninò frustraneum hoc consilium, nam cùm medio ferè inter Felinum & Darnaviam loco in conspectum venissent, instruxerunt utrinque acies, leviq; certamine ad experimentum virium, propè ducentos Lindersonius desideravit. Territus igitur hac clade, prælio decernere ampliùs nolebat, sed metatis ad vicum Fickelnoza castris, loci se ingenio tuebatur. Dum hæc ibi aguntur, nuncium accipit Chotkievicius, de improviso Caroli Sudermanniæ Ducis, una cum Duce Lunæburgensi multisq; copiis ad Parnaviam adventu, itaq; cùm sæpiùs castris Lindersonii adequitando, nulla cum ratione ad æquam prælii conditionem elicere posset, Felinum redit, ibique firmo imposito præsidio, Rigam propiùs admovendi exercitum consilia agitat, ut ex propinquo magis civium animos confirmaret, quoad è Lituania auxilia convenirent, nequaquam nisi extrema cogeret necessitas summi periculi aleam temerè jacturus, Carolus Dux,

con-

conjunctis cum Lindersonio copiis littus maris legens, in prædio rustico Salismoisa dicto, substiterat, occupato idoneo castris loco, cognitaq; tam ab exploratoribus, quàm ex captivis quibusdã, exercitus Polonici paucitate, ad persequendum & oppugnandum eum mirificè erigebatur. Itaq; Chotkievicius hoc intellecto, ne Succus iniquis & impeditis locis, equitatum occuparet, Gaviam trajicit, nec procul à Venda in spacioso & patenti campo castra ponit, fossaq; & vallo egregio communit, conatus hostium observaturus, ut aut invaderet, si fortè sequi vellent, in trajectu fluminis Succi, aut pro ut res ferret, aliud quid inveniret, quo numero inferior arte vires sublevaret. Verùm enimverò Dux Carolus commutatâ totâ consilii ratione motis à Salismoisa castris, Rigam versùs exercitum rapit, eo animo, ut quàm primùm se Mansfeldio junxisset, averso itinere, totis viribus Polonis occurreret. Promovet quoque suos Chotkievitius, rectà ad Dunam flumen, præter Iskielium aliquot supra Rigam miliaribus, atque in ipsa fluminis ripa consistit. Carolus Dux nil ultra cunctandum ratus, cùm præsertim nihil sese proficere ad civitatem posse videret, damnique præterea haud parum ex urbe perciperet, solutâ nocte illâ, quæ 17. Septemb. diem præcedebat, obsidione, primâ luce adversa ad Kinholmum castra opponit, aciesque instruit. occupatis collibus, intercedente latè patentis campi planicie, haud parvo à Polonis intervallo, qui & ipsi viso hoste suo, aciem secundùm flumen confestim explicuêre. Commodùm in procinctu erant directis utrinq; aciebus, cùm Fridericus Dux Curlandiæ, trans Dunam compare, trecentis equitibus, ex nobilitate Curlandica, comitatus, fidem studiumq; suum Regiæ Majestati atq; Reipubl. tam necessario tempore probaturus, cumq; spem nullam vadi, magnitudo fluminis faceret, obfirmatis ad omne periculum animis, dum nando transitum parant, adactis in flumen equis, in Vadum casu illati (res propè in miraculum versa) nulla ejus antè, etiam à peritissimis locorum, habitâ notitiâ, trajecêre incolumes, nemine ex suis desiderato. Interea multis utrinque extra ordinem procurrentibus velitando certabatur, alternante quidem casus fortunâ, plerunq; tamen magis prosperi Polonorum successus futuri certaminis omne erant. Ad meridiem jam vergente die Chotkievicius non minus in morâ quàm in pugnâ periculi reputans, necessariò universæ dimicationis discrimen aditurus, ut consternationis simulatione inescata audacia hostem superioribus & clivosis locis detraheret, magno derepentè tumultu velites specie fugientium retrahi imperat, admonitis priùs suis studio id fieri, ne quid ignaris res inopinata terroris objiceret. Nec secus quàm fore conjecerat, accidit, Carolus enim trepidationis id artis ratus, instat, ut arbitrabatur, perculsis, & procul ab eo, quem primùm ceperat loco, in plana, instructo cum exercitu descendit, undecim tormentis aciem præcedentibus, sequebatur proximè Phalanx, contis ferro rigentibus horrida, circumfusis undique sclopetariis. In equitatus cornibus, sinistro quidem, maxima pars, quæ conferta pugna, Polonos à tergo circumveniendi mandata acceperat, locata erat, dextro verò, quæ subsidiis inserviret, procedebat. Contrà à Chotkievicio triplici agmine directa acies, minutis, sed crebris & oportunis subsidiis pro ea, quam habebat, copiâ, quæ trium millium sexcentorum non excedebat numerum, cernebatur. Turmam suam prætorianam, equites hastatos trecentos, notæ & spectatæ plerosq; fortitudinis viros, in fronte constituit, auxiliariis Friderici Curlandiæ Ducis copiis, adjunctis, sperans, ut si principia dedissent, erectis suorum, hostium verò animis imminutis, ita & extrema cessura. Dextrum cornu Joanni Sapietiæ attribuit, diligenter eum admonens, ut ex adverso, equitatus hostilis à sinistro cornu conatus etiam atq; etiam observaret. Sinistro Thomas Dambrovva præerat. Ventus à mari obliquus perflabat, utrisq; haud magnoperè incommodus. Sub hæc vultu ipso jam dudum pleno Martii vigoris alacritate, bonâ spe impletos, studioque pugnæ accensos M. DCV.

censos

M.DCV. censos milites, verbis etiam cohortatur, ut se numero quidem inferiores, sed causâ longè superiores reputarent, jam jam summum ac præpotentem judicem, secundùm æquitatem decreturum, agerent modò & asserent contra perduellem Regis sui Causam, vindices divinæ justitiæ electi, & cum laude & gloria cogitarent, interclusi undique & armis & aquis, in Numinis ope & dextris suis unicam spem expediendæ salutis sitam meminissent. Posthæc tormenta exonerari jubet, cumque ab universis consono ac congruenti clamore sacrosancto nomine Jesu, sæpius iterato, in vicem cœlestis amuleti, primùm prætorianæ turmæ equites, cum Præfecto Vincentio VVoyna regente, submissis subsidio Curlandis, equis concitatissimis, magno impetu Phalangem incurrerunt. Dumbrova cum turmalibus suis in sinistro cornu, postquam paululum aversus procurrisset, increbrescentis auræ oportunitate usurus, reflexis repentè equis, à latere aperto, impulso dextro Caroli cornu, ut semel impetum ceperat, perrupit agmina Succorum, dans cædes & stragem. Permista prælia erant, cœlumq; nubilum, fragor tormentorum, ac lituorum concursatio incerta omnia faciebant, cùm equites à sinistro Caroli cornu, ex constituto ad circumveniendos Polonos, coorti, intento in eam curam impigreque occurrente Sapieha, loco moti pulsique, ingentem omnibus terrorem intulerunt. Quatuor propè horis hinc virtute, isthinc multitudine prægravante, ambiguo Marte impugnatum est, donec frustrà redintegratis Ordinibus, inclinare paulatim Succorum acies cœpit, jamq; ad extremum non pugna, sed trucidatio sequeretur. Cæsa fermè novem millia Succorum, præter fluminibus abreptos, & in fuga ab agrestibus trucidatos. Interfecti reperiebantur Fridericus Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis, atq; Andreas Lindersonius, penès quem summa Imperii militaris erat. De Mansfeldio, è sociis classiariis transfuga quidam, ad Gavam, multo sanguine fœdatum eum se vidisse retulit; Castra capta, tormenta undecim, signa militaria ad sexaginta, captivi propè quingenti; Ipse Carolus inter tumultum saucius effugit. Ex Polonis victoribus centum plus minus desiderati sunt, vulneratorum verò major erat numerus. Nuncio victoriæ Rigam delato, cives magno impetu ad persequendum Carolum urbe proruerunt, sed frustrà, Carolo cum paucis aliquot equitibus navem jam ingresso. Cæterùm cùm Cracoviam nuncius hic afferretur, magnâ is omnium lætitiâ exceptus est, redditæq; DEO præpotenti gratiæ sunt, calvaria Stanislai à Rege adorata & condecorata.

Inaudita multis seculis proditio & non adversus Regem solum, Reginamq; & Regis liberos, sed & omnes Proceres Primariosq; tàm Ecclesiastici quàm Politici ordinis viros, conspiratio in Anglia hoc tempore mirabiliter detecta est. Erat superiori anno, cùm firmata inter Hispanum & Britannum pace, Pontificiæ religioni addicti, bonam spem conciperent, fore, ut ad religionis suæ exercitium Rex in posterum conveniret, primarius in Anglia nobilis, Robertus Catesby nomine. Hic accersitum ad se Thomam VVinterum nobilem, cùm sciret in Belgium eum iter suscepturum, hortatur, ne curam religionis Pontificiæ in patria restaurandi abjiciat, respondet ille, paratum se quidem causam Pontificiam etiam cum jactura vitæ suæ, promovere modum autem & viam, qua id commodè fieret, ignorare: eam verò se scire Catesbyus respondet, Parlamenti nimirum domo Rege Reginaq; cum liberis suis cunctisq; proceribus in ea congregatis nitrati pulveris vi dissipata & subversa. Exhorrescit primò VVinterus ad mentionem hujus tam horrendi facinoris, operam tamen suam in exequendo eo ipsi tandem pollicetur, omni etiam vitæ suæ periculo neglecto. Convenit igitur inter eos, ut in Belgium profectus Thomas VVinter, aliquem inde secum in Angliam adducat, cujus operâ negocium hoc commodè in actum perduceretur. VVinterus in Belgium veniens, cum Oveno quodam Jesuita de hoc suo proposito confert, qui promisit, se in Angliam Guidonem illum, hac de re

bene

bene informatum, brevi etiam eodem transmissurum. Nec mora illa, cùm vix M.DCV.
Ostendam assecutus esset VVinterus, ecce Jesuitæ istius hortatu eodem pervenit Guido ille, & in Angliam sine mora cum VVintero trajicit. Dum abesset autem VVinterus, communicat hoc suum consilium Catesbyus cum quibusdam aliis, itaque reverso jam VVintero, quinque sequentes, Robertus Catesbyi armiger Regis, primus immanis hujus conjurationis autor, Thomas Percii, Regisque ut vocant Pensionarius, Thomas VVinter, Joannes VVeigt, & Guido Faukes, ex partibus Belgii, quæ sub obedientia Archiducis Alberti sunt per Thomam VVinterum attractus, omnes Nobiles ad S. Clementem congregati, juramento super codicem Evangeliorum præstito, quòd quorum conscii essent, nihil effutire vellent, invicem se obstringunt, ad Missæ officium spectandum abeunt, Sacramentumq; Eucharistiæ accipiunt. Hoc facto Catesbyus, caussam, cur juramentum præstitissent, cæteris exponit, qui consilium laudant, & promptos se ad exequendum illud exhibent. Erat Parlamenti congregatio ad septimum Februarii instituta, itaque ut circa illud tempus Diabolicum hoc perficeretur inventum, Thomas Percii domum Parlamenti ædibus contiguam certo pretio conducit, ut cuniculis sub fundamento Parlamenti agendis, operam dare commodiùs posset. Sed & domum aliam pro nitrati pulveris & lignorum, quibus ad hanc rem opus esset, comportatione conducunt, unde nocturno tempore transferre illa ad domum Parlamento proximam, commodè possent, Domus hæc Lambethi erat, apud quem divertere Catesbyus plerunq; solebat, qui famulum etiam Lambethi hujus Robertum Keëst nomine, ut eò secretiora & tutiora essent omnia, in societatem sceleris pertraxit. Sub initiũ Decemb. cùm difficultatem cuniculos sub muro Parlamenti tres perticas crasso, agendi, sentirent, seque perficiendo operi non sufficere viderent, duos adhuc alios juramento obstrictos, Christophorum nempe VVrigt & Robertum VVinter sibi adjungunt. Pergunt igitur jam in perfodiendo muro strenuè, Guidione Faukes in excubiis interea constituto, ut si fortè accederent aliqui, certo signo cessandum à labore esse, eos moneret. Accidit autem, ut dum essent in opere, strepitum quendam quasi carbonum, in cella subterranea proxima audirent, ablegatus igitur eò Thomas Percii, ut carbones prostare intelligit, illis certo pretio coëmptis, cellam negotio suo admodum oportunam conducit, multis tormentarii pulveris vasculis replet, & asseribus lapidibus item & carbonibus istis contegit. Differtur interea publicis literis Parlamenti congregatio in mensem Octobr. atque porrò ad 15. Novemb. diem rejicitur. Proficiscuntur interea rebus omnibus jam perfectis domum conjurati, Guido autem Faukes in Belgium ad tempus concedens, cuidam Guilielmo Stanleio, & Oveno Jesuitæ, quid effecerint, exponit: erat enim inter eos ita conventum, ut quem fidum quisque nosset, eum hac de re edoceret, ut in suppeditandis & perferendis sumptibus plures haberent socios, quò factum & conjuratorum indies cresceret & augeretur numerus. Sub initium Novembris prædicti conjurati Londinum iterum opus suum in effectum producturi confluunt. Accidit autem, DEO mirabiliter rem sic moderante ac disponente, ut cùm instaret jam dies, quo Parlamenti congregatio fieri debebat, vespertino tempore Comiti Mounteglio literæ offerrentur in hanc sententiam conceptæ: Domine, mi, pro singulari erga familiam tuam affectione, intermittere non possum, quin sollicitus de tua salute, te admoneam, ut qualicunque excogitatâ excusatione Parlamenti congregationem evites, & hinc te quàm primùm subducas. Decretum etenim DEO & hominibus est, peccata nostrorum temporum punire. Quare non neglectâ hac admonitione, in regionem tuam, ubi quietus esse possis, quàm primùm concedas velim. Etiamsi enim nullâ seditionis aut tumultus apparent vestigia, hoc tamen dico, Parlamentum hoc tempore valido

M. DCV. & horrendo ictu commotum iri, ita ut causa ejus nulla appareat. Non negligendum igitur hoc consilium, quod ex re tua esse poterit, transeunte periculo, quam primùm literas hasce igne cremaveris. Spero hoc consilio te bene usurum, & protectioni divinæ te commendo. Has literas, quæ famulo cuidam Comitis ab ignoto homine traditæ fuerant, cùm Comes semel atque iterum legisset, nec sensum earum rectè percipere posset, conscenso equo, eâdem adhuc nocte ad Regis aulam profectus, Comiti Salisburiensi, qui Regi à secretis est, legendas eas exhibet, is quomodo Comes literas illas acceperit cognoscens, habito cum cubiculario quodam Regis consilio, cùm non conveniri jam Regem posse intelligeret, Consiliariis aliis præcipuè verò VVorcestrio & Northamptonio Comitibus literas communicat, qui licèt primâ fronte res levis videretur, non contemnendam tamen aut silentio prætereundam, sed ipsimet Regi aperiendam statuunt, ut quid facto opus esset, ab eo perciperent, Conveniens igitur postero die Regem Salisburiensis, literas illas nulla nisi de modo, quo eas acceperit, præmonitione factâ, ei exhibet. Rex lectis semel atq; iterum literis illis, profundiorem esse earum sensum, quàm ut pro nullius momenti habeantur, admonet, Salisburiensique videri sibi ab homine haud sanæ admodum mentis profectas dicenti, quòd scriberent transiturum periculum, quàm primùm literas igne cremaret, respondet Rex, videri sibi causam ictus istius horrendi, qui Parlamento immineret, sub verbis illis latere, tormentarii nempe pulveris vim in loco quodam occulto abditam, cujus accensi periculum, subversâ è fundamentis Parlamenti domo, tàm citò transire possit, quàm cito literas hasce cremari contingeret. Miratur prudentiam Regis Comes, statimque supradicto cubiculario, id negotii, volente sic & imperante Rege, committit, ut Parlamenti domum ingressus, omnes ejus angulos à superiori contignatione incipiens perquirat. Is adjuncto sibi Comite Mounteglio, totam non solùm Parlamenti domum, sed & ædes contiguas, earumque cellam subterraneam perlustrat, videns autem in cella ista tantam lignorum lapidumque & carbonum struem, dominum ædium, quo fine ista ibi asservarentur, interrogat, respondet ille, nobilem Thomam Percii, & ædes & cellam conduxisse, apparatumque istum ad eum pertinere, affirmat idem constitutus in angulo aliquis, qui Thomæ prædicti famulum se profitebatur, cùm esset, ut cognitū paulò pòst est, Guido Faukes ipsemet perficiendo facinori destinatus. Interea Rex unum ex alio colligens, cùm de consimili patris sui interitu cogitaret, responso cubicularii, qui præter ligna & carbones nihil invenisse se referebat, nullo modo acquiescens, viro nobili Thomæ Knevet, cujus spectata jam pridem fides erat, negotium hoc inquirendi committit. Hic assumptis quibusdam aliis, mediâ nocte domum Parlamenti ingressus est, deprehendens autem in vestibulo ædium Parlamenti contiguarum, prædictum Thomæ Percii ministrum, comprehensum eum teneri jubet, ipse verò cum aliis ædes ingressus, ad diligentem locorum omnium lustrationem accingitur, perreptans verò & excutiens omnes angulos, ligna illa & carbones in cella disjicit, & jam ingentem pulveris tormentarii copiam, vasa nimirum triginta sex reperit. Inde ad comprehensum famulum conversus, funiculis illum & instrumentis aliis ad accendendum hunc pulverem necessariis instructum cognoscit, fatetur ille statim rem omnem, additque, si in ædibus cùm comprehenderetur, fuisset, domum sese potiùs accenso pulvere subvertere, quàm inquisitores illos admittere voluisse. Ligatum igitur probè & vinculis constrictum nebulonem illum asservari cùm jussisset nobilis, ad aulam Regis revertitur,


rem

rem omnem cubiculario primùm Comitiq́ue Salisburienſi, poſtmodò Conſiliariis aliis & tandem ſub horam matutinam quartam Regi ipſimet exponit. Convocatur Senatus, & Faukes ille comprehenſus in judicium ſiſtitur, qui præter ſe ſolum facinoris hujus conſcium neminem eſſe affirmans, ſolùm ſe conſcientia Religionis adductum dixit, ut cùm Regem hæreticum eſſe ſciret, facinus hoc moliretur. Quia verò Thomæ Percii famulum ſe profeſſus fuerat, & verò is fugâ ſibi quàm primùm conſuluerat, mandatum ſtatim publicari Rex jubet, quò ſubditos ſuos univerſos & ſingulos admonet, ut cùm Thomas Percii ex nobilium Penſionariorum numero, conſcius particepsq́ue ſit nefariæ conſpirationis, quâ domo Parlamenti, vi tormentarii pulveris à fundamentis everſa non Regem ſolùm, & univerſam ejus familiam, ſed & præcipuos totius regni proceres tàm Eccleſiaſticos, quàm ſeculares, potiſſimùm nobilitatem, ac præcipuos miniſtros Regni cum multis ſpectatorum millibus, internecioni dare decretum fuerit, & verò is fugâ ſibi maturè conſuluerit, quacunque tandem ratione comprehenſum ad Regem adducere ſtudeant. Publicato hoc mandato ingens in communi plebe concertatio oriebatur, dubitantibus ſingulis, cui potiſſimùm Religioni addictis facinus hoc imputandum eſſet, itaque cùm alter alterum accuſaret, & autores hujus tam nefarii facinoris modò hi, modò alii eſſe dicerentur, ut tumultum Rex præcaveret: qui facilè hinc exiſtere potuiſſet, cùm ex Guidone Faukes ad torturam abrepto, reliquorum conjuratorum nomina cognoviſſet, publicato iterùm mandato, autores nominat Thomam Percii, Robertum Catesby, Ambroſium Roockilonde, Thomam VVinter, Edvardum Graunt, Joannem VVrigt, & Robertum Affield, &c. eosq́ue proditores & ſeditioſos pacis publicæ perturbatores declarat, expetens ab omnibus cujuſcunque ſtatus aut dignitatis ſint, ut quacunque tandem ratione poſſint, eos comprehendere & judicio ſiſtere ſtudeant. Cæterùm cùm rumores paſſim ſpargi de hoc facinore varios, & vicinos etiam Principes ejus inſimulari intelligat, proteſtatur apertè, adduci ſe non poſſe, ut credat, quenquam eſſe Principem, cujuſcunque ſit Religionis, qui hoc tam immani & barbaro facinore vel delectetur, vel ulla id ratione promotum cupiat, idq́ue eò magis, quòd omnes exterorum Principum Legati, Londini habitantes, ab omni ſuſpicione liberi, quæſtioni & examini conjuratorum intereſſe, modis omnibus petierint. Hortatur igitur univerſos & ſingulos, ut à ſpargendis falſis rumoribus ſibi temperantes, nihil de ullo vel Principe vel Legato ejus aliud, quàm quod honeſtum & perſonâ ejus dignum ſit, ſentiant & loquantur, ni pacis publicæ turbatores haberi velint.

Cæterùm conjurati ad ſextum uſque Novembris diem Londini ſubſiſtentes, proditionis & nefariæ machinationis ſuæ exitum expectabant, at verò cùm comprehenſo Guidone Faukes, in omnium ore eſſe proditionem hanc intelligerent, jamq́ue præclusâ Regis aulâ, viam, quæ ad VVeſtmonaſterium, Parlamentique domum ducit, præſidio munitam cernerent, non commorandum ibi diutiùs rati, unus poſt alium abierunt, Provinciam VVarvvick petentes. Congregati autem JOANNEM GRAUNT nobilem, cùm is perfracto equitis cujuſdam Benokii nomine, ſtabulo equos inde aliquot abduxiſſet, eosq́ue inter amicos ſuos conſpirationum ſocios variè diſtribuiſſet, omnes ſimul progreſſi, apud Dominum EVERHARDUM

 Digby

M.DCVI. Digby nobilem divertuntur, jamque elabendi viam commodiorem non videntes, quàm si à conjuratione occulta transitum ad manifestam seditionem facerent, partibus suis adjungere quamplurimùm conantur. Erant jam octuaginta ipsorum vel circiter, cum egressi VVarvvyka, VVorcestriam versùs contenderent, Stafordiam inde petitum. Animadvertentes autem parum sibi fidei à populo haberi, apud quem de Catholicæ Religionis restauratione multa prædicabant, unicam hanc peregrinationis suæ causam esse dictantes, Hobbeaci tandem subsistere, & fortiter ibi se ad extremum usque virum tueri statuunt. At verò provinciarum, quas transibant, præsides, ob equos partim à Joanne Graunt abductos, partim ob seditionis suspicionem, eos persequentes subinde aliquos in itinere retraxerunt, atque VVorcestriæ præses Hobbeacum eos occupâsse cognovit, per tubicinem eò destinatum, deditionem sibi fieri Regis nomine imperat, respondent illi majoribus uti capiantur viribus opus esse. Erat jam præses in itinere arcem istam vi summâ expugnaturus, cum de lapso in pulverem, quem seditiosi habebant, tormentarium forte fortuna funiculo, medio illo, in quo confidebant, & quò multum adhuc damni dare in præsidis populo potuissent, oculi quasi momento fuerunt privati, Catesbyo, Roockvvoodio, Ioanne Graunt & aliis non parùm læsis, Perculsi igitur animis, portam ultro aperiunt, præsidem admittunt, inque genua prolapsi veniam cum rogant. Milites præsidis, primo furore in illos irruentes, autores conjurationis primarios Catesbyum, Perciumque & alios, antequam eos agnoscerent, trucidant, reliquis comprehensis & Londinum statim ad Regem translatis, qui exquisitâ quæstione adhibitâ, complices sociosque conjurationis hujus, præter suprà nominatos, Everardum etiam Digby equitem, Ambrosium Roockvvoode & Franciscum Tresham armigeros, Joannem Graunt, Robertum Keyes, & multos alios, quin imò tres Jesuitas etiam, Joannem Gerardum, Henricum Garnetum & Osvvaldum Tesmondium esse cognoscit. Malè quidem habebat Regem duos hosce primarios conjurationis autores Robertum Catesby & Thomam Percii, furore militum trucidatos occubuisse, verùm cum mutari id ampliùs non posset, capita eorum afferri hastisque affixa Parlamenti ædibus in terrorem conjuratorum, si plures fortè adessent, exponi præcepit.



ANNO M.DCVI.

DE Roberto Catesby & Thoma Percii proditoribus Anglis glande plumbeâ, cùm expugnaretur arx illa, in qua conjuratorum octuaginta ferè congregati fuerant, percussis, quomodo nimirum capita ipsorum Parlamenti ædibus affigi Rex curaverit, paulò antè dictum est. Cùm autem inter captivos reliquos octo primarii adhuc superessent, quatuor eorum, nempe Edvardus Digby, Robertus VVinter, Joannes Graunt, & Thomas Bates 30. Ian. reliqui verò quatuor, nempè Thomas VVinter, Ambrosius Roockvvoode, Robertus Keëst, & Guido Faukes 31. Ian. die, tali supplicio affecti sunt, ut equis primò ad supplicii locum, qui prioribus quatuor in cœmiterio ad Divum Paulum, reliquis verò in Parlamenti vestibulo paratus erat, protraherentur, patibulo postmodum alligati, moxque antequam suffocarentur, ubi viventibus adhuc, virilia primùm amputata & igne cremata, postmodum corda pectoribus eruta, intestinaque omnia in ignem conjecta sunt. Hoc facto capita cervicibus amputata & hastis affixa, corpora verò in quatuor partes dissecta sunt, capitibus quidem in pontem dispositis, partibus verò reliquis ad portas variè affixis & alligatis. Cæterùm omnes cum protestatione, se in fid-

in fide Catholica Romana constanter perseveraturos, mortem, cùm non ligati essent manibus, magno animi robore perpessi sunt. Factâ verò supplicii executione, Arondellius & Stanlejus nobiles extra regni limites constituti, cum Jesuitis aliquot extraneis, Oveno nempè & Balduino Bruxellis; Personio, VValleio, & Valpolio Romæ; Altantio, Garnetto, Halio & Pressonio Dovaii; Fresvvelio item & Hamondio in Hispania viventibus, conspiratores & proditionis hujus nefariæ promotores, publicè per procuratorem Fisci declarati sunt. M.DCVI.

Postridiè Paschatis ingens vis venti tantaque procella, non in Germania tantùm & Belgio, sed Anglia quoq; & Gallia coorta est; quæ multas terras, ædificia, & infinitas ferè arbores evertit; tum in oris maritimis navium & nautarum magnam stragem edidit: Coloniæ quidem in novo foro plures quàm octoginta arbores radicitùs evertit.

Hoc anno sub finem mensis Julii, Christianus IV. Daniæ & Norvvegiæ Rex, ad affinem suum Jacobum I. magnæ Britanniæ Regem, in Angliam navigavit, & cum octo navibus regaliter ornatis Gravesandum appulit. Ejus adventu cognito, Angliæ Rex unà cum Regina (Christiani sorore) ac regiis liberis eodem properârunt. Primo congressu Angliæ Rex (quem solum unà cum filiorum natu maximo, Henrico in navim tum Daniæ Rex admiserat) quanam confidentiâ usus, sine venia aut commeatu portum sui regni esset ingressus, rogabar. Vrbanè vicissim quærebat Daniæ Rex: unde hæc ipsi audacia, ut sine venia navim suam conscendere ausus sit. Post mutuos amplexus, ad viridem vicum uterque pergunt, ubi Regina cum reliquis liberis fratrem amantissimè excepit, Per totum dein ferè mensem magnificè ac planè regaliter habitus, exeunte mense Augusto affini Regi, Reginæ sorori, ac nepotibus, non sine lachrymis valedicto, in regnum suum est reversus.

Inter Jesuitas, quos conspirationis conscios, ad mandatum Regis in Anglia captos suprà diximus, nnus quidam Henricus Garnettus septuagenarius ferè, cùm ad quæstionem sive torturam adhiberetur, integros jam sese viginti duos annos vêlut supremum Provincialem, Romani Pontificis nomine, Catholicis, qui Papam eum Angliæ nominaverunt, & tanto honore prosecuti sunt, ut pedes etiam ejus ooscularentur, præfuisse, omniumque, quæ toto illo tempore, contra Reginam Elisabetham & Regem regnumque hactenus susceptæ proditiones essent, conscium fuisse, confessus est. Itaque ipso ad mortem condemnato, omnibus per Britanniam Regi subjectis, ne Pontificiis & Hispanis operam suam postmodò offerrent, prohibitum est. Accidit autem, ut cùm sententia in Garnettum pronunciaretur, Comes S. Georgii, magnâ pompâ in Angliam adveniret, impetrataq; apud Regem dicendi copia, non potuisse, inquit, Regem Hispaniæ Dominum suum intermittere, quin peculiarem quendam ad fratrem suum Britanniæ Regem Legatum mitteret, & ei ob singularem ex tanto periculo liberationem gratularetur, cùm salus ejus ipsi tantæ curæ esset, ut pro ea vota quotidiè faciat. Erat hoc quidem Regi gratum, verùm cùm idem Legatus non precibus solùm apud Regem pro Garnetto instaret, sed & triginta millium coronatorum summa eum redempturum sese profiteretur, animum Regis mirificè commovit. Itaq; licèt Jesuita ille, spe veniæ impetrandæ, res alias magni momenti manifestaret, tertio tamen Maji die tribus equis ad supplicii locum pertractus, & eodem, quo conjurati alii supplicio affectus est, corpore in quatuor partes dissecto, & in loca varia distributo, capite vero hastæ affixo, & reliquis in ponte Londinensi adjuncto.

Atrox hoc anno schisma in Italia inter Paulum V. Pontificem Maximum, & Venetam Rempubl. exortum est, adeò ut ab ecclesiasticis armis ad temporalia ferè fuerit perventum. Sed quum existimemus dissidii hujus causas melius percipi non posse, quàm ex ipsius Excommunicationis formula: eam heic subnectere voluimus. Est verò his omninò verbis perscripta. Pau-

M.DCVI. Paulus V. Pontifex Maximus, venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per universum dominium Reipubl. Venetorum constitutis & dilectis filiis, eorum Vicariis in spiritualibus generalibus, nec non universis Abbatibus, Prioribus, Primiceriis, Præpositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Plebanis, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, aliisq; personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, in eodem Dominio existentibus, tàm secularibus quàm quorumvis Ordinum & institutorum regularibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Superioribus mensibus ad nostram & Apostolicæ sedis audientiam pervenit, Ducem & Senatum Reipubl. Venetorum annis elapsis in eorum consiliis plura ac diversa decreta, tum sedis Apostolicæ auctoritati, & Ecclesiæ libertati immunitati contraria, tum generalibus Conciliis & sacris Canonibus, nec non Romanorum Pontificum constitutionibus repugnantia statuisse: & inter cætera sub die 23. mensis Maii anni 1602. sumptâ occasione ex quadam lite seu controversia, inter Doctorem Franciscum Zabarellam ex una, & Monachos monasterii de Praglia nuncupatos, Ordinis S. Benedicti, congregationis Cassinensis, aliàs sanctæ Justinæ de Padua in Diœcesi Paduana ex altera, partibus, vertente, eorum consilio statuisse, non solùm, ut dicti Monachi tunc aut deinceps ullo unquam tempore actionem, per quam sub quovis Ecclesiasticis emphyteuticis à laicis possessis præferantur, prætendere, ac etiam jure prælationis seu consolidationis directi cum utili dominio, aut extinctionis lineæ inprimis investituræ comprehensæ, aut aliâ quavis causâ bonorum prædictorum proprietati sibi vindicare minimè possent, sed tantummodò jus directi dominii illis præservatum esset; verùm etiam ut idipsum, quoad cæteras omnes personas Ecclesiasticas, seculares & regulares, Monasteria, Monialium, Hospitalia & alia loca pia in eorum temporali dominio existentia, declaratum & firmiter deliberatum censeretur. Et sub die 10. Januarii ad superiora quædam consilia ab eorum Majoribus, ut etiam asserebant, habita respicientes, quibus cavebatur, ne quisquam sive secularis, sive Ecclesiasticus in urbe Venetiarum, Ecclesias, Monasteria, Hospitalia atque alias religiosas domos & pia loca, sine eorum speciali licentia fundaret & erigeret, in consilio Rogatorum congregatos iterum decrevisse, ut id eandem in omnibus jurisdictionis eorum locis vim obtineret; & præterea exilii ac perpetui carceris, & publicationis fundi, venditionisq; ædificii contra secus facientes pœnam edixisse. Vlteriùs eosdem Ducem & Senatum die 26. mensis Martii, anni 1605. inhærentes alteri decreto, anno 1536. ab eodem Senatu facto, in quo (ut asserebant) erat expresè prohibitum, ne quis sub certis in illo contentis pœnis in urbe Venetiarum, ejusque Ducatu bona immobilia ad pias causas testamento seu donatione inter vivos relinqueret, aut aliquovis titulo alienaret, sive ad earum favorem ultra certum tunc expressum tempus obligaret (quod in illum usque diem, ut ibi etiam dicebatur, usu receptum & observatum non fuerat) non modò iterum id vetuisse, sed expresè etiam prohibuisse, ne bonorum ejusmodi immobilium alienationes in favorem personarum Ecclesiasticarum sine Senatus prædicti licentiâ fierent, ac insuper decretum ipsum & pœnas in eo contentas per universum eorum dominium extendisse, & per Rectores & Potestates civitatum & locorum sui dominii promulgari fecisse, atque bona immobilia omnia, quæ contra præmissorum formam vendi, aut quovis modo alienari contingeret, ultra nullitatis pœnam publicari & vendi, eorumque pretium inter Rempublicam ipsam, Magistratum exequentem, & ejus ministros, ipsumque denunciatorem dividi mandâsse, & aliàs prout in decretis & mandatis Ducis Senatus prædictorum latiùs dicitur contineri. Ac præterea eosdem Ducem & Senatum Scipionem Saracentum Canonicum Vincentinum, & Brandolinum Valdemarinum Forojuliensem

liensem Abbatem Monasterii seu Abbatiæ de Nervesa Tarvisinæ Diœcesis, personam in dignitate Ecclesiastica constitutam, ob quædam prætensa crimina in urbe Vicentina, & alibi per illos (ut dicitur) commissa carceri mancipâsse, & mancipatos detinuisse, sub prætextu, quòd eis hoc facere liceret, inter alia, ob quædam ipsis Duci & Reipub. à quibusdam Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa (ut asserebant) privilegia. Cumq; præmissa in aliquibus Ecclesiasticarum privilegiis præjudicium inferant, ipsamq; libertatem ac immunitatem Ecclesiasticam tollant: Ac ea omnia in ipsorum Ducis & Senatus animarum perniciem & scandalum plurimorum tendant: Et cùm ii, qui suprà dicta ac similia edere & promulgare, illisq; uti ausi sunt in censuras Ecclesiasticas à sacris Canonibus generalium Conciliorum decretas, & Romanorum Pontificum constitutionibus inflictas, nec non etiam privationis feudorum & bonorum, si quæ ab Ecclesiis obtinent, pœnam eo ipso incurrerint, à quibus censuris & pœnis non nisi à nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente absolvi & liberari possint, ac propterea inhabiles & incapaces sint, qui absolutionis & liberationis beneficium consequantur, donec editas leges novis edictis atq; decretis sustulerint, omniaq; inde secula reipsâ in pristinum statum reintegraverint: Cumq; Dux & Senatus prædicti, post plures paternas nostras monitiones à multis mensib. circa hæc facta, adhuc decreta & edicta præfata non revocaverint, ac eosdem Canonicum Saracenum & Abbatem Brandolinum carceratos detineant, & illos venerabili fratri Horatio Episcopo Hieracensi nostro & Apostolicæ sedis apud eos Nuncio, ut debebant, non consignaverint: Nos, qui nullo pacto ferre debemus, ut Ecclesiastica libertas & immunitas, nostraq; & sedis Apostolicæ auctoritas violetur & contemnatur, inhærentes plurimum generalium conciliorum decretis, ac vestigiis Romanorum Pontificum, Innocentii III. Honorii III. Gregorii IX. Alexandri IV. Clementis IV. & Martini etiam IV. Bonifacii VIII. Bonifacii IX. Martini V. Nicolai V. & aliorum Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum, quorum aliqui similia statuta aliàs contra libertatem Ecclesiasticam edita, tanquam ipso jure nulla, invalida, & irrita revocârunt, ac nulla, invalida & irrita esse decreverunt & declarârunt, & aliqui contra similium edictionum statutarios & alios ad excommunicationis promulgationem, nec non ad alia infrà scripta seu eorum aliqua decreverunt: habita cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus maturà consultatione de ipsorum consilio & assensu, licèt suprà dicta decreta, edicta & mandata ipso jure nulla, invalida & irrita sint, ea nihilominùs ipso jure adhuc de novo nulla, invalida & irrita, nulliusque roboris & momenti fuisse & esse, & neminem ad illorum observantiam teneri per præsentes decernimus & declaramus. Et insuper auctoritate omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus ac Nostra, nisi Dux & Senatus prædicti intra 24. dies à die publicationis præsentium in hac alma urbe faciendæ computandos, quorum octo primos pro primo, octo pro secundo, & reliquos octo pro tertio, & ultimo ac peremptorio termino, & pro monitione Canonica illis assignamus, prædicta decreta omnia, & in illis contenta, & inde secuta quæcunque, omni prorsus exceptione & excusatione cessante, publicè revocârint, & ex eorum Archivis seu Capitularibus locis aut libris, in quibus decreta ejusmodi annotata reperiuntur, deleri & cassari, & in locis ejusmodi dominii, ubi promulgata fuerunt, revocata, deleta & cassa esse, neminemque ad illorum observantiam teneri, publicè nunciari, ac omnia inde sequuta in pristinum statum restitui fecerint; & ulteriùs, nisi à similibus decretis contra libertatem, immunitatem & jurisdictionem Ecclesiasticam ac nostram & sedis Apostolicæ autoritatem, ut præfertur, facientibus edendis & respectivè, faciendis in posterum cavere, & penitus abstinere promiserint, ac nos dere-

M.DCVI. de revocatione, deletione, cassatione, nunciatione, restitutione, ac promissione prædictis certiores reddiderint; & nisi etiam prædictos, Scipionem Canonicum & Brandolinum Abbatem, prædicto Horatio, Episcopo & Nuncio cum effectu consignaverint seu consignari fecerint, ipsos tunc & pro tempore existentem Ducem & Senatum Reipub. Venet. statutarios & eorum fautores, consultores & adhærentes, & eorum quemlibet, etiamsi non sint specialiter nominati, quorum tamen singulorum nomina & cognomina præsentibus pro expressis habere volumus, & ex nunc prout ex tunc & contrà excommunicamus, & excommunicatos nunciamus & declaramus. A qua excommunicationis sententia, præter quam in mortis articulo constituti, ab alio quàm à nobis & Romano Pontifice pro tempore existente etiam prætextu cujuscunque facultatis & cuilibet illorum, tam in genere, quàm in specie pro tempore desuper concessæ seu concedendæ nequeant absolutionis beneficium obtinere. Et si quempiam eorum tanquam in tali periculo constitutum; ab ejusmodi excommunicationis sententia absolvi contigerit, qui postmodum convaluerit, is in eandem sententiam incidat, eo ipso, nisi mandatis nostris, quantum in se erit, paruerit. Et nihilominus, si obierit post obtentam hujusmodi absolutionem, Ecclesiasticâ careat sepultura, donec mandatis nostris paritum fuerit. Et si dicti Dux & Senatus per tres dies post lapsum dictorum 24. dierum excommunicationis sententiam animo (quod absit) sustinuerint indurato: sententiam ipsam approbantes, ex nunc pariter prout ex tunc, civitatum Venetiarum & alias civitates, terras, oppida, castra & loca quæcunque ac universum temporale dominium dictæ Reip. Ecclesiastico interdicto supponimus, illamque & illud supposita esse nunciamus & declaramus; quo durante, in dicta civitate Venetiarum & aliis quibuscunque dicti dominii civitatibus, terris, oppidis, castris & locis, illorumq; Ecclesiis ac locis piis & oratoriis & domesticis Capellis nec publicè nec privatim Missæ, tàm solennes quàm non solennes, aliaque divina officia celebrari possint, præterquam in casibus à jure permissis: & tunc Ecclesiis tantùm & non alibi, & in illis etiam januis clausis, non pulsatis campanis, ac excommunicatis & interdictis prorsùs exclusis; neque aliter quæcunque indulta & Apostolica privilegia quò ad hoc, quibuscunque tàm secularibus, quàm regularibus Ecclesiis, etiam quantumcunque exemptis & Apostolicæ sedi immediatè subjectis, etiamsi de ipsorum Ducis & Senatus jure patronatus etiam ex fundatione & donatione, aut etiam privilegio Apostolico existant, ac etiam si tales sint, quæ sub generali dispositione non comprehendantur, sed de illis specialis & individua mentio habenda sit, Monasteriis, Ordinibus etiam mendicantium, aut institutis Regularibus eorumque Primiceriis, Prælatis, Superioribus, & aliis quibuscunque etiam particularibus personis, aut piis locis & oratoriis etiam domesticis ac capellis privatis, ut præfertur, in genere vel in specie, sub quibuscunque tenoribus, & formis hactenus concessa & in posterum concedenda, eis ullatenus suffragentur. Ac ulteriùs eosdem Ducem & Senatum, & quemlibet eorum, non solùm Reipublicæ, sed etiam privato nomine, si aliqua bona Ecclesiastica in feudum seu alias quovis modo à Romana aut vestris seu aliis Ecclesiis concessa obtineant, illis bonis & feudis, necnon etiam omnibus & quibuscunque privilegiis & indultis in genere vel in specie in quibusdam videlicet casibus & delictis contra Clericos procedendi illorum, quæ causas certâ formâ præscriptâ cognoscendi, à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris illis forsan quomodolibet concessis, ex nunc similiter prout ex tunc & econtrà, privamus, ac privatos fore & necessè nunciamus & decernimus. Et nihilominùs, si ipsi Dux & Senatus in eorum contumacia diutiùs perstiterint indurati, censuras ac pœnas Ecclesiasticas contra illos ejusque adhærentes, & in præmissis quovis modo faventes, aut auxilium, consilium & favorem præstantes etiam iteratis

ratis vicibus aggravandi, & reaggravandi, aliasque etiam pœnas contra ipsos Ducem & Senatum declarandi, & ad alia oportuna remedia juxta sacrorum Canonũ dispositionem contra eos procedendi facultatem Nobis & Romanis Pontificibus successoribus nostris nominatim & in specie reservamus, non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non privilegiis indultis & literis Apostolicis eidem Duci & Senatui aut quibusvis aliis personis, in genere vel in specie, præsertim, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem, ac aliàs, sub quibuscunque tenoribus & formis, & quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis ac irritantibus & aliis decretis, ac in specie cum facultatibus absolvendi in casibus nobis & Apostolicæ sedi reservatis, illis, quovis modo, per quoscunq; Romanos Pontifices ac nos & sedem Apostolicam in contrarium præmissorum concessis, confirmatis & approbatis: Quibus omnibus & singulis & aliis suprà expressis quorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunq;. Vt autem præsentes nostræ literæ ad omnium majorem notitiam deducantur, vobis & cuilibet vestrûm per easdem præsentes committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ & sub divini interminatione judicii, nec non sub interdictu ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à Pontificalium exercitio, ac fructuum & mensarũ Patriarchalium, Archiepiscopalium & Episcopalium perceptione, quoad vos Fratres, Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, ac etiam privationis dignitatum, beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum quæcunq; obtinueritis, ac etiam vocis activæ & passivæ ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, quoad vos filii Vicarii, & alii supradicti eo ipso in currendis aliisque arbitrio nostro infligendis pœnis districtè præcipiendo mandamus, ut per vos vel alium seu alias præsentes literas, postquam eas receperitis, seu earum notitiam habueritis, in vestris quisq; Ecclesiis, dum major in eis populi multitudo ad divina convenerit, ad majorem cautelam solenniter publicetis, & ad Christi fidelium notitiam deducatis, nec non ad Ecclesiarum earundem vestrarum valvas affigi & affixas dimitti faciatis. Et ulteriùs voluimus, ut præsentium transsumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si foris exhibitæ vel ostensæ, quodq; eædem præsentes, sive earum exempla etiam, ut præfertur, impressa ad Ecclesiæ Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum & Cancellariæ nostræ Apostolicæ valuas, & in acie Campi Floræ ut moris est, affixæ & publicatæ, eosdem Ducem & Senatum ac alios quoscunque prædictos, vosque etiam universos & singulos respectivè, perinde afficiant, ac si eorum ac vestrorum cuilibet personaliter directæ, intimatæ, & præsentatæ fuissent. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo septimo Aprilis, Anno 1606. Pontificatus nostri anno primo. M. DCVI.

Ad hanc Pontificis excommunicationem Dux & Senatus Venetus literis publicis affixis ita respondit: Leonardus Donatus, DEI gratiâ, Dux Venetiarum &c. Reverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis universi Dominii nostri Venetiarum & Vicariis, Abbatibus, Prioribus, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus & aliis Prælatis Ecclesiasticis salutem. Ad aures nostras pervenit, Sanctissimi Patris Pauli Papæ Quinti mandato quoddam assertũ Breve contra Nos, & Senatum, ac Dominium nostrum fulminatum, Romæ die 17, Aprilis proximè elapsi publicatum & affixum fuisse, vobisque directum, cujus tenor in ipsis ejus literis continetur. Quamobrem Nos, qui tranquillitatem & quietem Dominii, nostro regimini à DEO commissi, servare tenemur, & auL tori-

M.DCVI. toritatem Principis, neminem superiorem in temporalibus sub divina Majestate agnoscentis, tueri debemus, his nostris publicis literis: coram DEO & universo orbe protestamur, nihil eorum, quæ per nos fieri poterant, prætermissum fuisse, quo validissimæ & indissolubiles rationes, & jura nostra Sanctitati suæ innotescerent, eique probarentur: primùm quidem per Oratorem nostrum apud Sanctitatem suam Legatione fungentem, deinde verò per nostras literas; quibus respondimus prioribus Brevibus nobis ab ea directis, demum per extraordinarium Oratorem ad eandem propterea missum. Verùm cùm Sanctitatis suæ aures clausas invenerimus, cognoverimusque præfatum Breve contra omne jus & æquum emanâsse, & contra ea, quæ divina scriptura, sanctorum Patrum doctrina, sacrique Canones præcipiunt, in præjudicium auctoritatis secularis à DEO Nobis traditæ & libertates Reipublicæ nostræ, cum perturbatione tranquillæ possessionis, bonorum, honoris & vitæ, quâ fideles subditi nostri, divinâ gratiâ, sub nostro regimine fruuntur, non sine omnium scandalo promulgatum fuisse: Prædictum Breve non modò ut injustum, indebitumque, verùm etiam uti nullum, nulliusque roboris aut momenti Nobis habendum esse non dubitamus: Atque ita invalidum, irritum & fulminatum illegitimè, & de facto, nulloque juris ordine servato, ut ea remedia adhibenda duxerimus, quibus Majores nostri, & alii supremi Principes usi sunt cum Pontificibus, qui potestatis à DEO sibi in ædificatione traditæ, limites ac modos egressi fuerunt. Præsertim, cùm exploratum Nobis sit, vos, cæterosque fideles nostros subditos, universumque orbem, idem de eo existimaturos. Non dubitantes, quin sicut ad hoc usq; tempus curæ animarum fidelium nostrorum sedulò invigilâstis, divinoque cultui operam dedistis, qui vestrâ diligentiâ in hac nostra ditione floret, ut cæteris non sit invidendum; ita posthac in eodem Pastorali officio perseveraturi sitis: cùm Nobis decretum constitutumque sit, in sancta Catholica & Apostolica, atque in observantia erga S. Rom. Ecclesiam persistere, quam Majores nostri à prima hujus civitatis origine hujusque divinâ comitante gratiâ, hactenus sine ulla intermissione coluêrunt.

Mandantes, has nostras, ut omnibus innotescant, in magis conspicuis hujus nostræ urbis, ac aliarum fidelium civitatum nostro Principatui subjectarum, locis affigi: Certò existimantes, tàm manifestam promulgationem ad omnium aures perventuràm, qui de ejusdem Brevis publicatione aliquid audiêrunt, imò ad sanctitatis suæ aures accessuram: DEUMque obsecramus, ut suo divino Spiritu illius mentem excitet, quo Brevis sui, & omnium contra Nos actorum nullitatem cognoscat, & causæ justitiâ ac æquitate perspectâ, animos Nobis addat ad obsequium, reverentiamque retinendam erga sanctam Sedem Apostolicam, cujus Nos, Præcessoresque nostri, ac Respublica universa semper fuimus studiosissimi, ac in posterum fore decrevimus. Datum in Nostro Ducali Palatio, die 6. Maji, Indictione Quartâ, M. DC. VI.

Scriptum Senatus & Reipub. Venetiarum ad omnes magistratus & subditos quarumcunque civitatum ad dominium suum pertinentium directum, tale fuit: Bene admodum sapienti præpotentis DEI voluntate & consilio ordinatum est, ut in politiis & civilibus conversationibus Principes & Magistratus reliqui, Vicarii & imitatores DEI in mundo essent, ut quemadmodum ipse tanquam generalis rerum omnium conservator, omnia prudenti suâ bonitate gubernat, ita à magistratu etiam subditi regerentur atque defenderentur. Quandoquidem igitur Senatus hujus civitatis huic rei diligenter advigilans, omnium sibi subjectarum civitatum commodum non minùs atque hujus civitatis utilitatem sibi commendatam semper habuit, aliter quidem facere

facere non potuit, quàm ut civitates illas, tanquam membra & præcipuam sui ipsius partem, legibus etiam & statutis, ad augendum earum commodum apprimè facientibus, muniret atque ornaret. Quia verò legibus & statutis, jam ab aliquot centenis annis in Repub. hac cautum prohibitumque est, ne bonorum immobilium alienatio & venditio ad Ecclesiasticas personas fieret, idque eam ob caussam, quòd ab Ecclesiasticis quidem quicquid acquisitum fuit, ad laicos redire ampliùs nunquam potuit: unde necessariò futurum, ut continuatâ ejusmodi alienatione, pars bonorum immobilium maxima brevi temporis spacio ad Ecclesiasticos devolvatur, non sine magno Reipublicæ incommodo, & civium reliquorum molestiâ, quibus onera quidem publica tàm pacis quàm belli tempore incumbunt, & verò possessione bonorum suorum amissâ, debitum patriæ persolvere & præstare nequeunt. Cùm igitur relatum ad nos esset, in aliis ditionis nostræ civitatibus, malum hoc nuper obtinuisse, ut per Ecclesiasticorum calliditatem, & piorum laicorum simplicitatem, ultra quartam & tertiam etiam partem bonorum immobilium alienatum divenditumque sit, necessarium omninò putavimus decernere, ut suprà dicta constitutio per omnes civitates dominio nostro subjectas rata & firma esset, quod iniquum judicavimus, vos onera publica sustinere, alios verò in otio frui bonis illis, quæ majores vestri magno labore & sanguinis profusione sibi acquisiverunt. Cæterùm constitutio hæc ad laicos tantùm pertinet, illaque solummodò bona concernit, quæ politicum magistratum agnoscunt: quod verò ad bona Ecclesiastica attinet, de illis hæc quidem constitutio non agit, siquidem personis Ecclesiasticis non solùm divitias & bona sua mobilia augere, sed & immobilia bona, cum consensu & permissu magistratus acquirere concessum, quæ quidem bona cùm à Principibus & magistratu politico non sine magnis Reip. sumptibus defendantur, meritò etiam veluti in sacrosanctis decretum est Conciliis, ad bellorum & aliorum malorum publicorum sublevationem obligata & adstricta tenentur. Solet autem haud rarò accidere, ut sub specie religionis, variæ & peregrinæ societates congregationesque in oppida & munitiones introducantur, & ab illis postmodò non ædificia solùm, sed etiam templa in detrimentum istorum locorum extruantur. Cùm præsertim præter usitatum morem, ritus insuper novos novasq; ceremonias introducant, quæ multarum difficultatum causa sunt, siquidem pro tanta multitudine Ecclesiasticarum personarum, consuetæ eleëmosynæ sufficientes esse nequeant, atque ita religiosorum indigenarum, quorum meritis & precibus civitates & universa Resp. hactenus conservata substitit, interitum inde sequi necesse sit. Quandoquidem igitur veteribus illis constitutionibus cautum est, ne quis ejusmodi ædificia sine permissu & venia magistratus extruere tentet, non quidem pro templis & ædificiis Ecclesiasticis abrogandis & minuendis, quorum quidem ad hanc usq; horam in Ducatu hoc nostro major quàm ullibi copia reperitur, sed ut magistratus, quibus libertas & tranquillitas subditorum curæ esse debet, ædificiorum istorum notitiam habeant. Quia igitur constitutio hæc ministrorum & officiariorum incuriâ, multipliciter hactenus neglecta fuit, eam pro conservanda libertate vestra, renovare & confirmatam publicare, necessarium omninò visum est, quòd hac protectionis civitatum & municipiorum divinitùs nobis permissorum renovatione, cultum nos DEO gratissimum præstare omninò putaremus. Porrò cùm necessarium esset, ut pro conservanda pace & tranquillitate, turbatores ejus variis pœnis afficerentur, & verò, ut notum est omnibus, religiosi sæpè Ecclesiastici invenirentur, qui cùm in ingentem multitudinem excrevissent, abundantiâ partim divitiarum, partim verò otio & libertate adducti, insolentes admodum & protervi, non privatis solùm civibus, sed universis civitatibus, molestias creârunt maximas, dum possessionibus, famæ & vitæ proximi insidiantes, ut cupiditatibus suis satis facerent, licentiam

M.DCVI. tiam sibi, præter calumniosas in judiciis concertationes, etiam gladio externo, adversus parentes proprios utendi, & ad diabolicas suas machinationes, viam sibi quacunque tandem ratione aperiendi, sumpserat. In ejusmodi non te, sed nomine solùm Ecclesiasticos, ab Antecessoribus nostris, qui in hoc Ducatu & civitate, catholico pietatis zelo omnia gubernârunt, cum divinis & humanis legibus sibi id permissum viderent, pœnis debitis semper animadversum est, idque in honorem DEI & Ecclesiæ, multorumq; vi injusta oppressorum sublevationem, quòd ipsum etiam multi Sanctissimi Pontifices suis bullis & peculiaribus literis approbârunt. Cæterum cum hisce prædecessorum nostrorum vestigiis insistentes, veterem illum justitiæ usum contra personas gravioribus delictis obnoxias exercere statueremus, modernus Papa Paulus V. ab hostibus Reipub. & assentatoribus suis eo adductus est, ut nobis resisteret, & vetustissimum congenitæ nobis libertatis usum, qui ante mille & ducentos invaluit annos, nobis eripere, idq; modis omnibus efficere conaretur, ne vel leges & statuta in dilectissimorum nostrorum liberorum & subditorum gratiam condere, vel eos, qui detrimento vos afficerent, debitis pœnis coërcere nobis ampliùs liceret. Quasi vero quòd cuilibet privato homini in domo sua permissum est, ut rem suam familiarem pro libitu constituat, & ab omni injuriâ tueatur, id magistratui ad custodiam & conservationem vestram divinitùs constituto, non multò magis liceret & permissum esset. Cùm prætertim Reipub. huic talis præpositus Princeps sit, qui non solùm nemini unquam subjectus, sed & opibus sangvineque subditorum suorum, quàm optimè de Romana Ecclesia promeritus semper fuit. Quamvis autem cum omni reverentia & submissione, Pontificem, per ablegatos Romam Oratores nostros, de jure nostro edoceri & admoneri curaverimus, multasque epistolas cum annexa protestatione ad eum dederimus, ipse tamen solemni nativitatis Christi festo, cùm Sacra jam communio percipienda esset, & Dux noster Grimanus extremum emitteret spiritum, coram Principibus & Cardinalium consistorio, illegitimè admodum de nobis conquestus est, & tametsi honorem & ministeria nostra erga eum continuaremus, jamque in signum humilitatis nostræ, etiam extraordinariâ missâ legatione, officia nostra ei exhiberemus, ipse tamen certo & deliberato rigore, nihil quicquam non modò remisit, sed magis magisque ad iram accensus, eò usq; progressus est, ut excommunicationis in nos dirigere literas nihil dubitaret, quas ipsi tamen, utpotè coram divina Majestati justificati, nobis nihilominùs nō nocituras speramus. Postquam autem paterno planè affectu & animo vos de totius hujus negotii serie jam certiores fecimus, fore omninò speramus, ut intelligentes quàm præter omne meritum nostrum, ob susceptam solùm bonorum vestrorum defensionem, hæc nobis evenerint, iniquam hanc actionem verè detestaturi & reversuri, in obedientia nobis debita diligenter perseveraturi, vestrumque jus modis omnibus defensuri atque conservaturi sitis.

Contra hoc edictum Jesuitæ quidem cum Capucinis & Tolentinis, officia sua Ecclesiastica occlusis semper templis peragentes, varia moliri, & ad seditionem excitare plebem visi sunt. Itaque magistratus Venetus, ut malis omnibus maturè præveniret, eos ex ditione sua dimittendos censuit. Sic igitur 10. Maji, cum vestimentis lectulisque & necessariâ suppellectile, conscensis navigiis, ex urbe discesserunt, ad Mediolanum maximâ parte applicantes, ubi multæ inter eos eleëmosynæ distributæ sunt. Post illorum autem discessum, in Jesuitarum quidem Collegium Canonici ad divum Marcum introducti sunt, monachis, quos reformatores vocant, aliorum Collegia occupantibus, Franciscani verò monachi, quorum maxima ibi frequentia est, nequaquam sese Collegia sua deserturos, quòd justam Veneti adversus Pontificem tuerentur caussam, apertè professi sunt.

ANNO

ANNO M.DCVII.

SVb finem Januarii anni hujus 1607. tanta maris in Anglia inundatio facta est, ut aggeres omnes latè prosternens, ingenti damno, homines passim affecerit. Omnium autem maximè in Somersetiam irrumpens provinciam, terram omnem ad viginti in longitudinem, quatuor verò vel quinque in latitudinem miliaria, brevi tempore occupavit, & operuit, tantâ copiâ, ut ad duodecim pedes aliquibus in locis ascenderit. Tempestas hæc subita, non parùm terroris & anxietatis in cordibus illorum, qui loca ista incolebant, peperit & excitavit, qui enim ad laborem suum ire volebant, pedes mox retrahere & ad ædes suas properare, viso hoc tam celeriter in se proruente hoste, cogebantur, morte eos è vestigio insequente, & ad januam, antequam ædes suas assequerentur, jam præstolante, ut adventantes exciperet. Brevi enim tempore pagi integri, insularum instar aquâ undique cincti cernebantur, quin imò antequam te verteres, conspici ampliùs non poterant, ita enim undis immergebantur, ut vix summa arborum inde apparerent cacumina. Sic igitur velut novo quodam diluvio, Hunsfeldiam prædictæ provinciæ oppidum, Granthamium pagum, Kenhusium pagum, Kingsonium item & Brian Doum, pagos cum multis ædibus aliis, quæ passim in convallibus extructæ fuerant, aquæ ita obruerunt, ut ne vestigium quidem eorum videri ampliùs potuerit. Quòd si agrorum, frumenti item & hortorum undis immersorum infinitum numerum, his adnumerare quis voluerit, tantum hîc miseriarum deprehendet cumulum, ut referendis omnibus sufficere nunquam possit.

Bristoliæ quoque urbs tot lamentationum causas, quot ullus per universam Angliam locus, qui quidem calamitatis hujus particeps factus est, proferre & suppeditare suis incolis potuit. Vrbs ea duplici muro circumdata, & non solùm ad aspectum, publicis privatisque ædificiis pulchra, sed & rebus ad vitæ necessitatem pertinentibus ita instructa & civibus adeò frequens est, ut inter Britanniæ urbes primas sibi, à Londino & Ebaraco, facilè vendicet, cùm præsertim etiam multarum gentium commercium, portus ad eam commodus pertraxerit. Eodem autem ferè die, quo, quæ commemorata hactenus sunt, acciderant, in æstuarium quoddam erumpens mare, non aggeres solùm dissipatos superavit, sed omnem circumjacentem terram occupavit & inundavit, tante copia, ut non vallib. solùm & depressis, sed eminentioribus etiam locis, extremum imminere exitium videretur. Aedificia integra fundamento suo avulsa, in aquis submersatum ex parte navium instar fluctuare cernebantur. Horrea ipsorum frumento fœnoque & stramine repleta, ad unum omnia distracta miserè & dissipata interierunt, armenta boum omnia submersa & extincta sunt, aquis tanto impetu & celeritate civitatem occupantibus, ut qui in ædibus suis securos sese & tutos ab interitu fore putarent, mortem evitare vix potuerint. Multi enim in aquis natantes passim cernebantur, nec quisquam est, qui suffocatorum in undis numerum referre valeat. Bona tàm Londinensium, quàm civium & incolarum propria, similiter & frumentum mercesque aliæ & Hybernia eò ad mercatum, Conversionis Pauli die in urbe hac pro more celebrandum delatæ, cum incomparabili damno, maximâ parte submersæ omninò partim perierunt, partim ab aquis ita corruptæ & depravatæ fuerunt, ut de illis reparandis & in integrum restituendis, spes superesse nulla potuerit. Damnum certè, quod non ad civitatem istam solùm, sed ad decem ferè miliarium in longitudinem tractum, qui undis illis obrutus & obductus omnis fuit, tum pervenit, tantum est, ut sub æstimationem vix cadat, nedum ut aliquot aureorum millibus reparari possit.

M.DCVII. Etsi induciis in Belgio bellum suspensum fuit, bellum nihilominùs Hollandi mari gerere decreverunt, præsertim cùm optima præda, quam è captivis aliquot navibus (jure an injuriâ non disputato) nacti fuerant, illecti classiarii, argentum & aurum Indicum, quod in Hispania expectabatur, facilè involaturi ubi viderentur. Emissa igitur triginta navium classis, Præfecto Jacobo Hemskeickio, quum aliquandiu circa Hispaniæ ac Lusitaniæ littora oberrasset Indicam classem observans, nullo dum operæ pretio facto, moræ impatiens naves Hispanicas in freto Gaditano ad impediendam mare Mediterranei Hollandis navigationem ab Hispanis constitutas, aggredi decrevit; tantò magis quòd nonnullæ sociorum naves jam ab Hispanis captæ, & in portum Gribaltarensem remulco pertractæ dicerentur. Joannes Alvares Davila (id enim thalassiarcho Hispanico nomen) ubi Hollandorum classem plenis velis ad se contendentem vidit: primùm parvi eos facere videbatur, quod incredibile existimaret, tantùm eos ausuros, ut classem multò fortiorem in ipso portu sub firmissimi castelli defensione hærentem, ultrò oppugnatum venirent. Verùm enimverò ubi ad pugnam eos paratos animadvertit: recentem è terra militem navibus suis imposuit. Advolant nihilominùs Hollandi, & pugnâ strenuè commissâ ancipiti prælio aliquandiu dimicant, donec occiso Hispano thalassiarcho, & triremibus aliquot flammâ involutis & consumtis, victoriam, quamvis cruentam, nihil tamen prædæ obtinuerunt. Ex parte Hollandorum cæsus quoque est prædictus Hemskeickius, & publico posteà funere Amsterodami sepultus. Hollandi laçerâ classe ad Tetuanam Mauritaniæ oppidum refectâ, stabilitis induciis non multò pòst domum sunt revocati: Hispaniæ verò Rex tàm mari quàm terrâ oræ illi maritimæ non parùm trepidanti, auxilia statim submisit.

In Polonia motus, qui compositus jam videbatur, magis magisque hoc anno recruduit, novis comitiis armatis sive Rakosch à nobilitate institutis. Id ubi Rex animadvertit, de exercitu lectissimo sibi prospexit; tum Cracoviam commeatu & præsidio diligenter communivit. Deinde nobilibus edixit, ut ad 15. Junii VVarsoviæ adessent, de remediis, quibus turbæ omnes sedarentur, deliberaturi. Pergunt Rokuschani: & sive Regis opprimendi, sive per metum quas vellent ab eo conditiones extorquendi spe cum copiis suis ad regium exercitum, qui non procul à VVarsovia consederat, tendunt: sed à regiis fusi fugatique multisque impedimentis exuti sunt. Rege post hanc victoriam Cracoviam se recipiente.

Dum intestinis bellis & seditionibus colliditur Polonia; Carolus Suecus VVeissenstænum munitissimum Livoniæ castellum obsedit. Quamvis autem natura loci ea est, ut difficillimos undiquaque & paludibus impeditos habeat aditus: paucis tamen diebus in suam redegit potestatem; quòd præsidiarii turbarum Polonicarum acceptis nunciis, nullum auxilium à suis sperare possent.

Per idem tempus legatio Brandenburgica ad Prussicas res transigendas in Poloniam missa, nefariè à Cosacis quibusdam vel Masuris circumventa est, multisque cæsis, bonis omnibus rebusque pretiosis spoliata, Rege molestissimè id ferente.

Cyprum hac æstate Florentina classis parùm feliciter tentavit, insulanorum quorundam, qui Turcarum oderant tyrannidem auxilio. Nostri quidem exscensione factâ, Famagustæ urbi insidiati; sed non sine damno à Turcis rejecti, ad naves se recipere coacti sunt. Turcæ post nostrorum discessum in Christianos, Græcorum reliquias, aliosque proditionis suspectos immanissimè sævierunt: quorum multi in montanis & inviis locis fugæ latibulum sibi quæsiverunt.

Crescebat piratica in mari nequitia, Hollandis, Turcis, Aethiopibus Barbarisque populis aliis omne mediterraneum mare infestum reddentibus, Hispanis vero Italisque & aliis ipsis pro virili resistentibus. Veneti igitur archithalasso suo Bembo, sceptrum & imperium 29. Aprilis die magna cum solennitate in primario S. Marci templo commiserunt, deductumque cum insigni procerum & Canonicorum comitatu ad triremem ejus, reliquis septuaginta triremibus se cojungere, & mare à piratis purgare jusserunt, multa tormentorum & bombardarum displosione abeuntem prosequentes. M.DCVII.

Viennæ 22. Aprilis die incendium in Jesuitarum collegio exortum à meridie ad noctem usque duravit, & ædificium omne cum Bibliotheca eorum absumpsit, tectum templi deformavit, campanas liquefactas perdidit, & parietes templi frequentibus fissuris ita disrupit, ut eos removere & novos omninò facere necesse fuerit.

In Anglia eodem tempore Jesuita quidam in quatuor partes dissectus est, quòd in contumeliam & contemptum mandatorum regiorum, sacerdotes aliquos sui ordinis creare, in locis occultis conciones habere, & populum ita docere, quòd Rex in Ecclesiam jus nullum habeat, Pontifex ejus caput sit, & subditi ad servandam Regi fidem non teneantur, ausus fuerit.

Impetraverat paulò antè à Cæsare Rudolpho Illustrissimus Hassiæ Landgravius Ludovicus Academica, pro nova Schola, quam Giessæ non ita pridem aperuerat, privilegia, cumque solenni eorum promulgationi octavum Octobris diem dixisset, literatos quidem omnes ad actum istum clementer invitare sequenti programmate voluit.

Scholas in ipsa natura, quæ homines ad cognoscendum & discendum, ad inveniendum & excogitandum, & quod studio ac industriâ cognitum, inventum & excogitatum est, cum aliis communicandum formavit & instituit, seminarium habere, atque illarum tanquam docendi & discendi officinarum ac ludorum DEUM autorem esse, non est dubium. Quòd si autem ab ipsa mundi origine omnium ætatum ac seculorum historias percurramus, Scholas ab ipsis sanctis Patribus ante & post diluvium institutas, ab ipso DEO, Sacerdotibus ac Levitis in veteri Testamento, docendi & interpretandi legem in Scholis officium concreditum, à Prophetis Spiritu Domini illuminatis exercitatum, à CHRISTO summo Prophetâ ac Doctore, qui non solùm anno ætatis suæ duodecimo docentiũ ac discentium cœtui se medium inferre dignatus, & postea ministerio docendi publicè perfunctus, Scholas ac Synagogas ingressus est, sed & ipse duodecim Apostolorum, & septuaginta discipulorum Collegium instituit, exemplo & facto in novo Testamento consecratum ac comprobatum, ac deinceps Scholas in populo DEI à sanctissimis hominibus Episcopis apertas, ab Imperatoribus & Principibus Universitates & Academias fundatas, donatas, dotatas, frequentatas, atq; in illis docentes ac discentes, Professores ac Studiosos stipendiis, privilegiis ac immunitatibus ornatos esse, proditum accepimus.

Neq; immeritò. Nam ex Scholis variarum utilitatum rivuli velut è fonte in Ecclesiam, Rempub. & communem vitam tot & tanti emanant, ut illi paucis nunc percenseri non possint. Ex illis enim rectè constitutis prodeunt sacræ Scripturæ interpretes, qui eam locorum collatione & lingvarum, Hebrææ inprimis ac Græcæ beneficio, solidè & eruditè explicant, & juventutem ad salutarem DEI agnitionem informant. Hinc Ecclesiarũ Antistites, Superintendentes, Pastores, ludorum literariorum Rectores, Magistri: Hinc justitiæ Sacerdotes, Principum Consiliarii, Quæstores & alii Præfecti: Hinc prudentes Consules & Senatores, Syndici, & alii, qui ad gubernacula Reip. cum justitiâ sedere possunt: Hinc herbarum, gemmarũ, & aliarum rerum naturalium cognitores, morborũ depulsores & vale-

M. DCVII. & valetudinis conservatores, Medici ac Philosophi: Hinc in communi vita homines politi, civiles, morati. Inprimis autem hoc eximium Scholarum & Academiarum rectè constitutarum bonum est, quòd in illis unà cum aliis disciplinis honestis ac scientiis, doctrina de vero DEO, ac unico nostro Servatore JESU CHRISTO pura ac sincera conservatur, & ad posteritatem propagatur.

Et sanè cùm Principes, teste Scripturâ, nutritores Ecclesiæ esse debeant, à quibus tanquam scutis terræ Dominus gloriæ vult exaltari, hos præcipuè in eam curam incumbere stimulo conscientiæ teneri existimamus, ut apertis & certis legibus ac privilegiis munitis Scholis docentium ac discentium, depositum illud cœlestis doctrinæ tanquam pretiosissimum κειμήλιον, in ditionibus ipsorum retineatur, & inde ad alias regiones & urbes, atque ad ipsos posteros transmittatur.

Hoc itaque Nos DEI gratiâ Ludovicus, Hassiæ Landgravius, &c. perpendentes, siquidem sanam doctrinam in pluribus capitibus hoc extremo seculo periclitari, & falsa dogmata passim spargi videamus, judicavimus nostri muneris esse, providere, ut illud quicquid est mali, per Domini gratiam à ditionibus nostræ curæ commissis propulsemus, atque ita quantum officii nostri ratio postulat, hoc unicè agamus, ut religio Christiana & iis, qui nobiscum vivunt, & posteritati, si quæ futura est, sicut eam accepimus, pura ac illibata tradatur. Ob quam causam ante biennium ad gloriam DEI omnipotentis, cui omnia nostra accepta ferimus, Ecclesiæ, Reipublicæ, communis vitæ & plurimorum utilitatem, in propugnaculo & civitate nostra Giessa Scholam cum fidelium nostrorum subditorum & provincialium consilio & auxilio aperuimus & dotavimus, ut juxta alias disciplinas, artes & linguas, ea doctrina, quæ in libris Prophetarum & Apostolorum consignata, & tribus Symbolis, Apostolico, Niceno, Athanasiano, decretis Synodi Ephesinæ & Chalcedonensis, Augustanâ item Confessione invariata, sicut illa ab Illustrissimo avo nostro Philippo, Hassiæ Landgravio, &c. p. m. unà cum Electore Saxoniæ aliisque Principibus & Civitatibus invictissimo Romanorum Imperatori Carolo V. anno à Christo nato post millesimum, quingentesimum trigesimo, exhibita est, ejusdem Apologiâ, Catechesi Lutheri, Formulâ Concordiæ, anno tricesimo sexto, inter Lutherum & Bucerum VVitebergæ initæ, & Smalcaldicis articulis, summatim comprehensa est, quemadmodum ab Illustrissimo Dn. Avo, Dn. Patre ac Dn. Patruo piè defunctis, in ditionibus nostris per manus quasi tradita est, sine omni innovatione & mutatione, purè & sincerè traderetur: hoc in votis habentes, ut tum subditis nostris, tum plurimis aliis prodessemus.

Cum itaque Domino benedicente, invictissimus Cæsar Augustus, RUDOLPHUS II. Imp. ac Dominus noster clementissimus, huic nostro instituto benignissimè annuerit, Scholam hanc confirmaverit, atque privilegiis Academicis amplissimis ornaverit, ut sicut in aliis Academiis dictæ Augustanæ Confessioni sincerè subscribentibus, SS. Theologia, Jurisprudentia, Medicina, aliaque artes per viros eruditos & idoneos doceantur, & omnes omnium graduum ac honorum tituli in dignos conferrentur, DEO omnis boni fonti toto pectore gratias agamus, illi deinceps successum, quem hucusque satis prosperum animadvertimus, commendemus. Cùm autem ipsius Cæs. Majest. privilegiorum Academicorum solenni promulgationi, DEO juvante, diem septimum Octobris dixerimus, atque ita unà Academiam hanc nostram Legibus & Privilegiis munire & confirmare decreverimus, publicis his literis tum docentibus ac discentibus, tum aliis, ad quorum manus illæ pervenient, significare hoc voluimus, illos clementer invitantes, ut se ad solennem hunc actum decorè componant, atque nostram in studia literarum & literatos singularem propensionem & benevolentiam hinc agnoscant. Quo feliciter peracto, hoc curabimus,

bimus, ut omnes omnium facultatum lectiones ac disputationum exercitia, magno studio & diligentiâ ex præscripto Legum Academicarum pleno cursu continuentur, atque illi, qui suam eruditionem, virtutem, & vitæ integritatem, iis, quorum interest, comprobârunt, publicis testimoniis atque honoribus ornentur. Dominus noster Christus Jesus supremus Ecclesiarum & Scholarum Præses, bonum quod cœpit, opus confirmet, nos in sermone suo, qui veritas est, sanctificet, Academiæ huic nostræ ex alto benedicat, & gloriæ DEI, Ecclesiæ, Reipublicæ & cœlesti virtuti conservandæ salubriter serviat, atque nos omnes sub umbra alarum suarum protegat, Amen. Perscriptum Darmstati vicesimo octavo Augusti Anno

ChrIsto IesV MoDerante:
RVDoLpho IMperatore LargIente:
LoDeWIgo Hasso LanDgrafIo fVnDatore:
Ioanne StrVppIo De GeLLnhaWsen ProMotore:
Ecclesiarum verò eo loci Superattendente:
SS. Th. DoCtore HereMIa VIetore:
InnoVa ACaDeMIa regente:
DoCtore GVDefreDo AnthonII.

DONAWERDA Sueviæ civitas est, in ore Bernici, qui in Danubium influit fluvii, ad Septentrionalem ejus ripam condita. Ea cum dominatu olim teneretur Bavariæ, magno totius Provinciæ motu ac tumultu, à Ludovico Barbato Bavariæ Duce, ad Imperium Romanum defecit & libertatem asseruit, imperante Sigismundo Augusto, Anno Christi 1420. Cœnobium in hac urbe est satis opulentum, quod sanctæ Crucis vocant, à Comitibus Dillinganis olim conditum, ejus Abbas cùm processiones publicè per forum instituere superioribus annis, more hactenus in urbe ista inusitato conaretur, admonitus tempestivè à magistratu est, ut ab instituto isto abstineret, & intra suos terminos sese contineret, cui ipse parere nolens rem ad aulam Cæsaream defert, indeq; literis publicis processiones illas publicè peragendi facultatem impetrat. Magistratus contrà exceptiones quasdam infert, sed illæ non audiuntur. Cùm igitur anno 1606. die D. Marco festo, processiones suas iterum institueret, & per viam consularem forumq; primarium incedens, præmisso Cœnobii vexillo, subsequentibus junioribus pueris pro Musica selectis, Sacerdotibus ex monasterio quinque, & universa caterva Pontificia, per portam Danubianam in pago Achlesheim ceremonias suas peracturus, egrederetur, cives vehementer hoc facto exacerbati, glomeratim undique clavis, baculisq; instructi, portam occupant, aditu Abbatem prohibituri, qui cum peracto in pago suo sacrificio, horam circiter undecimam reverteretur, obviantem sibi plebis multitudinem videt, aliquosq; eò audaciæ progressos animadvertit, ut impetu in vexilla facto, ea contunderent, diffringerent, lacerarent, qui anteà in egressu viam prætoriam & publicum urbis mercatum, erecto vexillo transierant: diverticula jam & semitas transversas petere, & magno cum periculo in Cœnobium suum redire coacti sunt. Abbas ut illatam hanc sibi suisq; injuriam vindicaret, rem omnem ad Cæsarem refert, & criminis læsæ Majestatis cives accusat, Cæsar Bavariæ Principi, ut quomodo hæc omnia comparata sint inquirat, imperat, is subdelegatos suos in urbem mittit, sed cives quidam mali feriati non eos solùm, sed & Cæsarem ipsum convitiis proscindere non dubitant. Itaq; cùm monitionibus suis proficere nihil Legati Cæsaris possent, eò tandem res perducta est, ut mandatũ excommunicatorium 7. Aug. die, anni hujus 1607. adversus urbem istam publicatum, ejusq; executio Bavariæ Principi Maximiliano demandata fuerit. Senatus visâ hac severitate, ad pacificationem mandati statim descendit, Abbati promittunt, damnũ à civibus Cœnobio illatum, recompensaturũ, ex tumultus istius autorib. duos, Sebastianũ

Scheu.

M.DCVII. Schenckium & Erasmum Goggellum, Bavariæ Ducis Subdelegatis puniendos permiserat, sic in reliquos etiam diligenter inquisiturum, sub privilegiorum suorum, quinimò vitæ etiam & bonorum omnium amissione, sanctè octavo Septembris die pollicetur. Cæterùm non contentus hac promissione Bavariæ Dux, cùm non posset contumaciam civium pro voto reprimere, Senatus tempore tumultus professus esset, præconem Cæsareum cum Legatis quibusdam aliis tertio Novemb. die, qui ex civibus utrum quod pollicitus Senatus erat, ratum & ipsi habere vellent, quærerent, eò destinavit. Cùm igitur assensum suum suspendentes, nihil eorum, quæ Senatus promiserat, approbare velle viderentur, præco in pratum civitati proximum progressus, mandatum Cæsaris excommunicatorium publicè proclamat, & Bavariæ Dux decem millium peditum, equitum verò septingentorum, coactâ magnâ celeritate exercitum, cum tormentis & curribus aliquot commeatu armisque variis onustis, Rainum, quod unico miliari à Donavverda distans oppidulum est, Monachio destinat. Exercitus enim 11. Decemb. die, ad civitatem progressus, deditionem urbis fieri, ipso meridie per buccinatorem quendam postulat. Mittuntur cives quidam ad Bernshusium equitum Ducem, & vel octo vel ad minimum quatuor dierum, ad deliberandum sibi dari spacium expetunt, impetrant nihil, sed referre suis, cùm saluti suæ prospicere tanto jam tempore cessârint, ne horam quidem amplius ad deliberandum eis permissum iri, jubentur. Illis in urbem reversis, Dux cum equitatu suo, Rainum tormenta allata repetit, peditatu omni trans Danubium ad civitatem relicto. Cum verò Northeimii tormentorum adventum expectans, parari sibi prandium jussisset, septem cives alii, juncto sibi quodam ex castris milite, ad mensam comparent, religionis sibi exercitium liberum relinqui, milites, ut à direptionibus abstinerent admoneri; innocentium rationem haberi; Legatis suis duobus, seu vigilum præfectis, qui civium solummodò in ordinem redigendorum & coërcendorum causâ conscripti fuerint, veniam dari, & excommunicationis fulmine civitatem liberari petunt, urbis deditionem faciunt, & claves advenienti statim Duci traditum iri promittunt. Itaque Dux Bernshusius, misso Rainum Haslangio præfecto, tormenta, quæ jam in itinere erant, reduci curavit, hocque reverso, Ordinum ductoribus, ut introductum in urbem exercitum per domos singulas distribuerent, mandavit. Vt ventum autem ad urbem est, cùm crepusculum jam vespertinum instaret, cives à direptionibus militum sibi metuentes, aperire portas eâ vesperâ renuunt, sequenti tamen die quin admittantur nihil se repugnaturos promittunt, Subirati Bavarici ad stationes suas revertuntur, diem sequentem expectant, qui ut illuxit, adventantes iterum circiter horam matutinam octavam, urbem ingressi sunt, Hoc facto, præsidia Bavarica portis adhibita, & excubiæ à Præfectis Bavaris constitutæ sunt, civibus postmodò, ut delata in curiam arma deponerent, imperatum est, arma illa Rainum deinde transportata, & civibus quibusdam compedes injecti sunt, templo civitatis primario Jesuitis tradito, qui conciones statim in eo habere cœperunt, & processionem inde publicam, festo D. Thomæ die ad Cœnobium instituerunt. His ita peractis milites partim dimissi, partim in præsidiis collocati, & Rainum, VVendingamque translati sunt, ulnis, mensuris ponderibusque Bavaricis in urbem introductis.

Cæterùm cùm urbs hæc in circulo Suevico comprehendatur, conventus statim nomine Principis VVirtembergici, statuum & civitatum per Sueviam, ad 6. Decemb. Vlmam indictus est, ut quomodo huic urbi subveniretur, Ordines maturè consultarent. Accidit autem, ut quum primùm deputati ad hunc conventum, Illustriss. Principis VVirtembergici, & Comitis Oetingensis; civitatum item Eslingensis, Nordlingensis, Hallensis, Hailbrunnensis, Memmingensis, Kemptensis, Lindaviensis, Kauffbeurensis, Eissenacensis, Aulensis, Vlmensis

mensis,&c. Legati, Vlmæ convenissent, advenirent simul etiam Cæsareæ Majestatis Oratores,monerentque Legatos illos, ut cum Donavverdensium causa talis esset,quæ ordinario & legitimo modo dijudicata,excommunicatos Donavverdenses, demandata Illustriss. Bavariæ Principi executioni subjecerit,à consultatione abstinerent, causæ istius sese participes nullo modo facerent,Donavverdenses nequaquam in contumacia sua confirmarent,& demandatam Bavariæ Principi executionem non modò impedirent,sed modis omnibus promoverent. Ad hanc propositionem Statuum & civitatum Suevicarum Legati, habita deliberatione, dolere se respondent, quòd conventum istum contra latam adversus Donavverdenses sententiam & mandatum Cæsareum institutum esse,Cæsar existimet,cùm in mandatis non habeant, ut vel de causa Donavverdica,vel delata in cives istos sententia, sed de eo saltem deliberationem instituant, quomodo Majestatem Cæsaream orando permoveant, ut miseram istam civitatem in gratiam iterum recipiat,& incommoda, quæ ab executione ista ad tractum Suevicum pervenire possunt,prohibeat atque avertat: cùm præsertim constet,quòd licèt perversorum civitatis istius civium patrocinium suscipere nemo debeat,opera tamen danda sit, ut innocentibus supplicatione aliquâ subveniatur,ne & ipsi cum improbis & perversis eodem supplicio pereant,& civitas per executionem istam à corpore Suevico planè abripiatur. Cæterùm cum durante adhuc deliberatione,de occupata jam per deditionem urbe, ad aures Legatorum perveniret nuncius,omnis de sublevanda civitate supervacanea consultatio visa est, itumq; tandem est eò,ut Principum Statuumq; Suevicorum nomine ad Cæsarem & Bavariæ Principem literæ darentur,quibus pro innocentibus ne eodem cum nocentibus involverentur malo, & pro privilegiis immunitatibusque,quibus hactenus tàm in politicis, quàm in Ecclesiasticis rebus gavisa esset,civitati conservandis,tandemque pro deducendo iterum Bavarico exercitu,& civitate in gratiam recipiendâ, intercessio facta est. Ad extremum, ut nihil intermitterent, quod ad salutem & commodum civitatis promovendum facere posse videbatur,literas Consiliarii illi ad Electores Principesq; Germaniæ primarios dederunt,quibus expositâ miserâ civitatis fortunâ, ut in comitiis Ratisbonensibus,ejus memores esse,& uti in pristinum libertatis statum,tàm quod ad politiam,quàm quòd ad religionem attinet, restituatur, diligenter apud Cæsarem per suos ad comitia illa subdelegatos agere & instare velint,Principum superiorumque suorum nomine rogârunt.

ANNO M.DCIIX.

Decimo quarto Januarii, Archidux Matthias Viennâ Posonium versus iter ingressus, 15. eò pervenit,centum fermè curribus & trahis, ac ducentis Buchemii præfecti equitibus comitatus, & à civibus armatis pro more magnificè exceptus, tria peditum signa, quæ in suburbio præsidium agitabant,quingentorum fere capitum,ad arcem usque ita erant disposita,ut per ea Archidux medius ingrederetur: tum omnia tormenta tàm in urbe quàm in arce,magno fragore exonerata, ac multa alia lætitiæ signa edita. Archiducem è curru descendentem, Napragius Episcopus Javariensis egregiâ oratione est alloquutus: priùs verò quàm appulisset, Redajus, duo è Thursonum familia, aliiq; è nobilitate Hungaricâ, Archiduci Heimburgum usque cum sex trahis obviam præcesserunt, eique adventum gratulati, sine ulla mora Presburgum sese receperunt.

Postridie, 16. scilicet Januarii, Forgatius Archiepiscopus Strigoniensis in arcem insigni Hungaricæ nobilitatis globo stipatus, ascendit, Archiducemq; salutavit. 22. Januarii Illishascius cum decem aut duodecim trahis Presburgum invectus est: quem trecenti Haiducci usq; ad urbis mœnia, nonaginta verò eodem vestitu amicti satellites,ad diversorium usq; comitati sunt.

Sequen-

M.DCIIX. Sequenti die, vicesimo tertio Januarii, convocatis Hungarici regni Consiliariis, initium Consultationis factum est, eisque ab Archiduce res quædam gravissimæ ad deliberandum sunt propositæ: cui quidem concilio, quod totum eum diem & sequentem quoque ad meridiem usque tenuit, nemo Germanorum, præter ipsum Archiducem, interfuit. Hungari 25. multâ jam nocte, adpostulata scripto responderunt, quo non sine stomacho & acribus verbis tàm Archiducem quàm Austriæ Ordines commonefaciebant, providerent, ne res in nervum erumperent, ac tempestivè malis ingruentibus remedium adhiberent.

Postridie, qui vicesimus sextus erat Januarii, Austriæ Ordines & Cæsareæ Majestatis Consiliarii Germani concilium habuerunt, & quæstionem ab Hungaris propositam ventilârunt: quæ non absimilis illi videbatur, quâ olim Pharisæi Christum Salvatorem nostrum tentabant: utrum scilicet, tributum Cæsari esset solvendum, vel non? Certè toto eo tempore, quo conventus duravit, tam furiosa Hungari consilia agitâsse dicuntur, ut jam certos homines delegerint, qui ad Turcarum Imperatorem proficiscerentur, auxiliumque ejus, si comitiorum eventus minùs ad voluntatem ipsorum succederet, implorarent. Post multam disceptationem, ex Hungaris & Austriacis dein electi sunt, eorumque consensu decretum in hanc sententiam factum: Vt missis, quæ in controversiam vocabantur conditionibus, omnes Viennensis pacificationis superiori anno conclusæ articuli rati atque inviolati haberentur: in quod tandem utriusque partis Ordines, ne majoribus malis fenestra patefieret, consensit. Quamvis enim Ecclesiastici Ordinis homines acriter initiò quibusdam articulis sese opponerent; tamen Hungarorum victi pertinaciâ, qui non discessuri tantùm, verùm etiam gravius quid molituri videbantur; conditiones & ipsi acceptârunt: ut scilicet tàm in urbibus & oppidis, quàm in pagis & vicis libero Hungari religionis exercitio fruerentur, ipsi verò in defendendis Cæs. Majest. tanquam Regis sui legitimi, provinciis, jure & auctoritate, omnes vires atque adeò ipsam vitam impenderent. His transactis, Archidux Matthias Chiatum Casparem cum literis ad Budensem Præfectum ablegavit, quibus cùm omnium, quæ acta fuerant, faciebat certiorem: Georgium quoque Tursonem & Illishascium in superiorem Hungariam misit, cum mandatis, ut Haiduccos, qui sub signis passim ad rebellionem coierant, ab instituta expeditione revocarent; ac nisi æquis ac justis conditionibus ad pacem ac quietem flecti se sinerent, totius regni vires in ipsos conversum iri, interminarentur. Decretum verò in hoc conventu factum, ita se habet:

Illustrissimi, Reverendissimi, Illustres, Generosi, Nobiles, Strenui & Honesti regni Hungarici Ordines, &c. utriusq; Austriæ tàm ejus, quæ suprà, quàm ejus quæ infrà Ensam est, deputati sive delegati, non tantùm ex iis, quæ partim sermone, partim scripto ab Hungaricæ coronæ Ordinibus exposita sunt, verùm etiam suo ipsorum exemplo, & nimiâ, proh dolor, experientiâ satis superque intellexerunt, quam multis quamque ingentibus miseriis & calamitatibus prædictum Hungariæ regnum & ab hæreditario Christianæ religionis hoste, & intestinis seditionibus ac bellis, multos jam annos pressum, jactatum atque afflictum fuerit, atq; etiamnum jactetur. Quum verò utriusque Austriæ incolis nihil gravius possit accidere, quàm ut eodem in regno novi motus oriantur, atque ita innocens rursus Christianorum sangvis fundatur, atque tàm hæ quàm vicinæ regiones irrecuperabili damno rursus involvantur (quod quidem ut præcaveatur, & ipsius Cæs. Majest. quàm plurimùm interest, & ni fiat, ad subditorum inprimis extremam perniciem atque interitum est redundaturum) iidem Austriæ Ordinum delegati, utriusque tàm superioris quàm inferioris provinciæ nomine declarant & promittunt, se omnia ea, quæ Cæsareæ Majestatis permissu per Matthiam Vicarium ejus inter se aliaq; vicina regna & provincias contracta sint invicla-

M.DCIX.

violabiliter,custodituros,eaq; ut custodiantur & serventur,Hungaricis statibus, quantum quidem ex hac Pacificatione tenentur, auxilium præstituros,quòd DEO inprimis tum Cæsareæ Majestati,tanquam legitimo Regi ac Domino, & Matthiæ Archiduci, tanquam legitimo successori & plenario Gubernatori, eorumque fratribus Archiducibus atq; adeò universæ domui Austriacæ ex æquo & bono reddenda ratio patietur,aut regni hujus ac regionum postulabit necessitas: sperantq; vicissim,laudabiles regni Hungariæ Ordines Viennensi Pacificationi,& super eam datæ Assecurationi staturos & ad ungvem satisfacturos, Austriacisque provinciis & jam & in posterum, quoties requiret necessitas, promissa auxilia suppeditaturos.

In universum deinde tàm Matthias Archidux quàm Hungari atq; Austriaci Ordines pacificatoriam: Decretum,& quasi fœdus fecerunt,cique omnes & singuli subscripserunt. Erat autem hanc in sententiam conceptum.

Nos Matthias DEI gratiâ, Archidux Austriæ, &c. Cæsareæ Majestatis, clementissimi ac charissimi Domini & fratris nostri Gubernator & generalis in Hungaria atq; Austria &c. Et nos Prælati,Domini,Nobiles cæterique Status regni Hungarici,ut & utriusq; Archiducatus Austriæ, Presburgi impræsentiarum congregati,& nostro & eorum, à quibus delegati sumus nomine, Notum facimus omnibus & singulis: Postquam ad sedandos motus & rebellionem, quam Haiducci à Turcis instigati de novo iterum moliebantur, reprimendam, hac in urbe conventum indiximus,eoq; omnia nostra studia & curam direximus, ut tàm Hungariæ regnum quàm vicinæ regiones ac provinciæ ab extremo, à quo non procul absunt,interitu vindicarentur,neq; vel Christianâ republicâ penitùs avellerentur,aut prioribus miseriis, à quibus nec dum respirârunt,rursus objicerentur; consultissimum ad id nobis visum fuisse, si tàm nostro quàm absentium procerum & civium nomine firmissimum fœdus inter nos iceremus, quemadmodum etiam harum literarum virtute icimus, hoc quidem modo, hacq; formâ. Quòd si ob Pacificationem sive Pacis capitulationem(quam ex nostra parte accuratè servare animum induximus)vel hostis vel quivis alius,communis pacis osor ac perturbator, Nos, vel prædictum regnum & provincias, earumvè membra & confœderatos vi atq; hostiliter oppugnaverit, conjunctis viribus atque auxiliis tàm à nobis quàm à confœderatis & sociis nostris commune periculum aut vim depulsuros, atq; eos etiam, qui propter hanc Pacificationem ac Confœderationem periclitati fuerunt, protecturos ac defensuros, sicq; unà victuros aut morituros,&c. In cujus rei fidem & confirmationem literis his subscripsimus, & sigilla nostra appendimus, quæ scriptæ sunt Presburgi Calendis Februarii anno M.DC.VIII.

Quum hoc modo de pace omnes benc jam sperare inciperent: ecce novus intestinus motus exortus, omnia forsan commiscuisset, nisi quum ipsius DEI benignitate & misericordiâ,tàm singulari eorum, quorum intererat modestiâ, & pacis studio, maturè (uti speramus) fuisset sedatus. Quum enim Archidux Matthias accepisset,Cæs. Majestati non omnia, quæ inter ipsum & Status tàm Hungaricos quàm Austriacos acta erant,optimè placere, sed existimare,suæ auctoritatis ac reputationis in quibusdam non eam, quàm par erat,habitam esse rationem: subitò Viennâ ad Neoburgû monasterium 15. Apr. concessit,ad quem se mox quàm plurimi proceres,ii præsertim,qui Viennensi Pacificationi interfuerant & subscripserant,ferè aggregârunt, Quæ res magnam sanè trepidationem in omnibus illis regionibus concivit. Jam enim non paucæ quoq; militum copiæ ad Archiducem Matthiam confluxerant,ducibus Georgio Sigismundo Barone Herberstenio,Georgio Andrea Barone ab Hofkirchen,Georgio Tursone, aliisq; ex eadem familia,Joanne Christophoro à Buchheim,Rudolpho Tieffenbachio,Carolo & Maximiliano à Liechtenstein, Domino in Lemburg: Carolo

M.DCIIX. Serotino,Erdodio,Palfio,Illshafcio,Thoma Nadafto,Turone Ferentio, Valentino Humanajo aliisq; tàm Hungaris quàm Germanis, primariis viris. Inscriptiones quorundam vexillorum his verbis erant conceptæ. Vnius: Cedat virtuti invidia. Alterius: Ad tuendam patriam. Rursum alterius: Fortitudo comes mea. Alterius: Pugno pro patria. Alterius: Sancta Maria ora pro nobis. Alterius: Sancte Michaël ora pro nobis. In multis verò ipsum MATTHIÆ nomen aureis literis inscriptum radiabat.

Interea Cæsarea Majestas,nec ipsa fratris(quem malevolorum atq; inquietorum hominum consiliis ad hos conatus excitatum credebat) optimæ in se voluntati diffidens, ad bellum quidem consilia minimè flexit, suos tamen in omnem eventum cum armis paratos esse jussit; clientes etiam regni Bohemiæ fiduciarios, socios & confœderatos de auxiliis in promtu habendis, & in casu necessitatis præstandis interpellavit. Et Saxo quidem,cui arcta cum Bohemiæ regno ab antiquis temporibus necessitudo, nec non Brandenburgensis Electores Septemviri, Matthiam Archiducem literis 22. Aprilis scriptis, deinde per Legatos etiam amicissimè simul & seriò monuerunt,uti ab omni vi abstineret, ac supremi magistratus (nempe Cæsareæ Majestatis) cui ipsi non uno nomine obstricti sint, sui ipsius ac universæ domus Austriacæ,quæ per intestinũ hoc dissidium in magnum & præsentissimum discrimen vocaretur, rationem haberet.

Progressus autem interea Archidux Matthias cum equitum peditumque viginti millibus Znamum,quod Moraviæ oppidum est, die 24. Aprilis advenit, & à Moravicis Statibus,qui pridie ejus diei similiter etiam cum 400. equis convenerant,splendidè admodum in urbem introductus est. Inde datis ad circulum Bohemicum & ad urbes Pragensium literis,ut duo ex singulis locis Legati Zasloviæ, die 4. Maji habendum,mitterentur,postulavit,additâ promissione,se ibi eo tempore præsentem,consilii sui rationem redditurum, & quid facere in posterum decreverit,Oratoribus exposi turum. Præterea datis etiam ad Electores & Principes imperii literis,caussam ejus,cur expeditionem hanc facere coactus fuerit,aperuit,missoque contractus, die 25 Aprilis, superiori anno supra millesimum sexcentesimo sexto, Viennæ,communi Archiducum consensu facti,exemplo,amicè admodum, ne sese negotio huic immiscerent,sed consilio potius & auxilio illud promovere studerent, petiit.

Sub finem Maji, Legati Archiducis Matthiæ,accepto à Cæsare & regni Bohemiæ proceribus commeatu, cum centum equitibus & quindecim curribus Pragam advenerunt, cumque die vigesimo sexto ad proceres in consilium admissi essent, Carolus Baro Zeratinus, cui id negotii datum erat, salutatis nomine Archiducis proceribus, quid in mandatis haberent, ex scripto satis prolixo Bohemicâ lingvâ prælegi curavit. Hoc facto, cùm expetentibus ita proceribus secessissent, & post horam ferè integram, revocati iterum accessissent, id quidem responsi acceperunt,graviora fuisse & magis ardua, quæ proposuissent, legationis suæ capita,quàm de quibus tam brevi tempore deliberatio suscipi sufficiens potuerit. Consultum igitur visum proceribus esse, ut utriusque partis Legati in patenti propè Debritsium agro convenientes,maturam de capitibus istis consultationem susciperent, & componendo universo negotio, usque ad Cæsaris Archiducisque consensum studerent. Acquiescentes itaque in hoc responso Archiducis Legati, nono Aprilis die ad castra rursus profecti sunt, Oratoribus Cæsareis,undecimo die pòst, cum quadraginta curribus & centum equis eos insequentibus, qui ultrò citroque commeando, tantum apud partes tandem effecerunt, ut negotio placidè & amicè composito, in gratiam redierint, pacificationis autem & transactionis Articuli, die decimo septimo Junii in arce Pragensi, præsentibus Archiducis Legatis, Liechtensteinio, Kintskio, & aliis Præfectis, palàm in Bohemica lingva prælecti sunt, quòd nimi-

nimirum repugnet Cæsar, quò minùs diadema Hungaricum in manus Archiducis tradatur; quòd regnum etiam Hungaricum ei cedere, & subditis præstitum sibi juramentum remittere non recuset. dum modò nullus alius præter Archiducem, in Regem ab Ordinibus istis eligatur: Quòd in proximis imperialibus Comitiis deliberandum proponere Imperii Statibus velit, quid pro tuendis adversùs Turcam, si fortè bellum cum eo diutiùs gerendum sit, finibus, contributionis facere Archiduci debeant: Quòd uti scripta literæque & privilegia, quæ Hungaricum istud regnum concernunt, duorum mensium spacio, Archiduci tradantur, operam dare sedulò velit: Quòd similiter etiam Archiducatum Austriæ à se hactenus possessum, Archiduci cedat, ita tamen, ut debita & æs alienum omne Archidux tàm in Hungaria quàm in Austria, in se recipiat, & de eo recognitionem suo nomine consignatam creditoribus intra annum tradi curet: Quòd operam dare velit, ut literæ & scripta omnia, Austriam tàm superiorem quàm inferiorem concernentia, prædicto temporis spacio ei tradantur, unà cum privilegiorum exemplo, seu (ut vocant) copia, donec de illis quoq; transferendis deliberatio instituatur: Quod Status & Ordines Bohemici tractationem Viennæ in causa pacis cum Turcis & Hungaris constituendæ, habitam, ratam & gratam nomine Cæsaris habeant: Quòd item ad intercessionem à Cæsare factam, non repugnent, quò minùs expectationem & certam in regnum Bohemicum successionem Archiduci promittant, hac tamen conditione, si Cæsarem sine prole mascula, ante Archiducem fatis concedere contingat, si verò hæredes masculos legitimos & minorennes relinquat, quòd eo casu tutelam & gubernationem regni, adjunctis tamen Senatoribus Bohemis suscipere debeat: Quòd Archidux Statibus Bohemicis scripto confirmet, se regnum Bohemiæ Rege aliquando vacuum, more & terminis usitatis expetiturum, juramentum consuetum præstiturum, & privilegiorum omnium, parem cum Antecessoribus suis rationem semper habiturum: Quòd Status Bohemici non repugnent, quò minùs Designati in Bohemiæ Regem titulo Archidux in posterum utatur: Quòd administratio Marchionatus Moraviæ, Archiduci Matthiæ ejusq; hæredibus permittatur, unà cum titulo Marchionis, donec post mortem Cæsaris, provincia ista ad eum iterum revertatur, qui regno Bohemiæ potiturus est. Quòd si verò Archiducem priùs quàm Cæsarem fatis concedere contingat, non repugnent Bohemici Status, quin provincia ista separata, pro libitu sibi patronum & defensorem ad mortem usq; Cæsaris præficiat: Quòd Episcopatus Olmitsensis Bohemiæ Regi in temporalibus huc usq; subjectus, Archiducem in posterum Matthiam, ne confusio caussarum in Moravia fiat, Episcopo interim privilegiorum ejus rationem habente, Superiorem agnoscere debeat: Quòd Cæsar ad intercessionem Archiducis, Silesiis, & sex civitatum Statibus privilegia conservare & novâ privilegiorum accessione, dummodò ea honesta sint augere velit: Quòd ad finium adversùs Turcas defensionem, Status & Ordines Bohemici non plùs, quàm hactenus soliti fuerunt, contribuere debeant, salvâ tamen Archiduci in comitiis & conventibus ea de re agendi potestate & facultate, velut Cæsar etiam eam hactenus habuit, relictâ: Quòd omnium provinciarum, quas Matthiæ Archiduci jam cedat, titulos sibi reservatos Cæsar cupiat: Quòd Archidux Matthias Tyrolensi Comitatui planè renunciet, & partem ejus suam Cæsari cedat: Quòd in conventibus & Comitiis futuris, id agere modis omnibus Archidux velit, ut honestam annuam contributionem ex provinciis, quibus modò cessit, Cæsar accipiat: Quòd omnibus & singulis utriusq; partis personis delicta hactenus perpetrata in genere remissa & condonata esse debeant, solo Berkavio excepto, de quo, ut & de debito seu alieno ære, in proximis Comitiis se acturos Moraviæ proceres receperunt: Quòd armorum depositio ab utraque parte fieri debeat. His ita peractis & ab utraque parte acceptatis, Diadema Hungaricorum, cum pertinenti-

M. DCIIX. nentibus ad illud insignibus aliis, velut sunt gladius Regis Stephani, pomum regni aureum cruce insignitum, duo paria calceorum, vestimentum admodum vetustum, cum Sceptro regio, per supremum regionum Præfectum in castra delata & Archiduci Matthiæ in aperto atq; undique patente campo tradita sunt, qui instructa acie, & sedecim equitum peditumque millibus, in tres cohortes distributis, post accepta insignia, tormentorum scloporumque omnium displosiones ternas fieri jussit, & Legatos Cæsareos omnes splendido convivio excepit. Facta igitur hunc in modum pacificatione, non pauci ex Archiducis castris, maximè verò Hungari, in civitatem, emptum res necessarias, & ex civitate etiam multi in castra Archiducis, ea perlustratum profecti sunt. Interea verò protervi quidam milites, tabernis quibusdam Judæorum, in oppido Pragæ veteri, nocturno tempore perfractis, merces varias magni pretii inde abstulerunt, quæ res magnis tumultibus in civitate caussam dedit, & ut in carcerem milites aliqui conjicerentur, effecit. Pacificationis autem inter Cæsarem Rudolphum & Archiducem Matthiam tale fuit conscriptum & consignatum Instrumentum:

Nos Rudolphus &c. Nos Matthias &c. nosq; cum illustrissima sua Celsitudine confœderati Status utriusq; Austriæ supra & infra Ensam, tenore præsentium literarum fatemur, notumq; facimus omnibus & singulis. Postquam Nos Rudolphus &c. diligenter curas omnes, solicitudines paternas, onera & labores perpendimus, quibus jam ad annos 36. continuos in administrandis tam ipso imperio, quàm hæreditariis nostris regnis, & provinciis persuncti sumus, idque præcipuè semper spectavimus, jamq; hoc ipso spectamus, quomodo alia nostra regna & provincias, & inprimis nostrum utriusque Austriæ Archiducatum, tot tam hostilium quàm præsidiariorum copiarum invasionibus, castrametationibus, deprædationibus & spoliationibus summoperè afflictum atq; exhaustum, DEO bene juvante, in pristinam pacem, tranquillitatem & prosperitatem restituamus & reducamus: inter alia id nobis curæ esse debere intelleximus, ut eidem Archiducatui Gubernator aliquis tanto muneri atque oneri sufficiens, præficiatur. Quam quidem gubernationem chariss. atque amiciss. fratri nostro ac Principi, Matthiæ Austriæ Archiduci &c. commendavimus, qui pro singulari sua erga nos amore & affectu, tum iis, quibus à DEO ornatus est virtutibus, in eo ita se gessit, ut non solùm expectationem nostræ & voto satisfecerit, sed toti etiam Christianæ Reipublicæ salutarem operam præstiterit, dum in defendendis nostris regnis & provinciis nullum unquam periculum subterfugit, nullum unquam laborem recusârit: atq; inde cum immortali sui nominis gloria, mirificâ universi, per Austriam inprimis, populi studia & favorem erga se consequutus est.

Ac primùm Nos Rudolphus, ex prædictis aliisque caussis gravissimis, libera ex voluntate, nec coacti, nec inviti, scientes volentes, matura præviâ deliberatione Archiducatum nostrum Austriæ utriusque supra & infra Ensam, cum omnibus eis terris, superioritatibus, dominiis, regalibus, redditibus, bonis Cameralibus, aliisque omnibus, quæ Nos & prædecessores nostri in sæpè dicto Archiducatu possedimus atque usurpavimus, plenariè fratri nostro Matthiæ, ejusque liberis & posteris legitimis masculis, transportavimus, cessimus, ac tradidimus, hocque ipso transportamus, cedimus & tradimus: cumque in finem omnes Austriæ Status, Prælatos, Barones, Dominos, Nobiles & civitates juramenti olim cùm imperium capesseremus, nobis præstiti, nexu solvimus: eosque solutos pronunciamus, ita ut ab iisdem prædicto nostro fratri fidelitatis juramentum aliaque, quæ ad inaugurationem pertinent, secundùm privilegia, libertates & consuetudines illarum provinciarum exigere & præstare (respectivè) liceat; idque virtute diversarum cessionum & commendationum, vigesimo quinto Junii præsentis anni, factarum, quæ omnia Nos Matthias,

nosque

nosque Provinciarum delegati fraterno animo ac humili cum gratiarum actione acceptavimus, idque apocha eodem die à nobis scripta & in tabulas relata, publicè & solenniter testati sumus. M.DCIIX.

Secundò, Nos Rudolphus promittimus, intra duorum mensium spacium Nos omnia scripta & acta, quæ ad rerum Hungaricarum & Austriacarum expeditionem pertinent, ex Cancellariis nostris & Librorum apothecis in fratris nostri Matthiæ manus tradituros, ac tradi facturos. Quod verò attinet ad literas quasdam Viennæ jam in cistula quadam inclusas, & a fratre nostro Matthia expetitas à nobis, quum non nostra solùm, sed omnium etiam fratrum nostrorum Archiducum res heic agatur, cùm iis hac de re deliberabimus, interea verò vidimatas (ut loquuntur) singularum copias ei faciemus.

De requisitis ab imperio ad Hungaricos limites tuendos contra hæreditarium hostem auxiliis, Nos Rudolphus Imperator promittimus, Electores ac Status imperii interpellaturos, utque proximis comitiis certum quid definiatur, operam daturos.

Loco verò hujus tàm in Austriæ Archiducatu, quàm Hungarico regno, (quæ etiam singulari publico instrumento est scripta & confirmata) cessimus, Nos Matthias partem nostram Comitatus Tirolensis & anteriorum Austriæ regionum, cum omnibus regalibus, redditibus &c. fratri ac domino nostro Imperatori Rudolpho, ejusque liberis ac posteris legitimè natis tradimus, omni actionis vel juri in eum portò renunciantes, &c.

Debita, quibus tam Hungaricæ quàm Austriacæ regiones gravatæ sunt, Nos Matthias in nos recipimus, hac sub promissione (modò illa secundùm ordinem & jus ad eas sint devoluta) Nos intra anni spacium omnes syngraphas & tabulas nostro nomine signari, fratri verò ac domino nostro Imperatori suo nomine consignatas remitti ac restitui curaturos. Econtrà Imperator operam dabit, ut ea, quæ Hungarici regni & cessarum Provinciarum subditis in Imperio & aliis adhuc ab ipso retentis regnis ac provinciis debentur, bonâ quoque fide exsolventur.

Omnes injuriæ offensæ, quâ publicè, quâ privatim, perpetuâ oblivione deleantur, neq; earum nomine ulla lis cuiquam ullo tempore intendatur: omnibusque licitum sit ubicunque in prædictis regnis & provinciis tutò habitare, commerciaque exercere, &c. Quod verò ad privatas quasdam personas attinet, contra quas Archidux particulares actiones habere indicavit, eos tamen, modò id, quà par est obedientià, requirant, in gratiam recipere paratum se ostendit: Nos Imperator hac in oblatione acquiescimus, nec dubitamus, quin Archidux & frater noster ei omni ex parte sit satisfacturus.

Harum denique compositionum, cum omnibus earum punctis, articulis, & actis, syngraphæ, à nobis Imperatore Rudolpho & Archiduce Matthia, & regnorum ac ditionum nostrarum deputatis conscribentur ac in totum expedientur & confirmabuntur: adque hæc omnia rata habenda Hispaniarum Regem, Electores Imperii, ac cæteros Austriæ Archiduces Matthiæ Archiduci requirere fas erit, &c. Actum die Mercurii post festum Joannis Baptistæ, 1608.

Calendis Julii dato receptui signo & motis castris Rex Matthias decessit, itinere suo unà cum præcipuis Consiliariis Lintium versùs directo, & copiis universis in tres partes, ut eò meliùs transire per regiones possent, distributis. Sub decessum verò militum, nobilis quidam Bohemus Cottovusius nomine, militari scientiâ insigni præditus, cui in expeditione hac ab Hungaris & Haiduccis, damni plurimum illatum fuerat, Partovitsium cum sexcentis sclopetariis, & multis rusticis excurrit, transitus ibidem, abscissis & dejectis in sylva arboribus invios fecit, & in adventantes Hungaros loco oportuno tanto fervore movit ut trucidatis circiter nongentis, quidam cum multa equorum, curruum bono-

M.DCIIX. rumque aliorum præda, captivi abducti sint. Hoc facto exacerbati Hungari, segetes passim conculcare & in domos pagosvè incendia facere cœperunt, verùm delato ejus rei ad Regem nuncio, ipse, per supremum equitum Magistrum Herbensteinium, Hungaris & Haiduccis, ut à conatu isthoc suo non solum abstinerent, sed & excitata incendia ipsimet restingverent sub gravissima pœna demandari curavit.

Mense Majo Romæ Melinus Cardinalis, nuncius à Pontifice in Germaniam mittendus designatus fuerat, decreto ei mille & quingentorum coronatorum proventu menstruo, & septies mille coronatis in viaticum numeratis. Is igitur paulò pòst, comitantibus eum ad portam Angelicam usque viginti cum insigni equitatu Cardinalibus, iter ingressus, 9. Julii die Pragam cum centum & quinquaginta equitibus advenit. Huic præcipui Cæsaris Consiliarii & aulici cum octuaginta curribus & trecentis equis, ad dimidium miliare in occursum profecti sunt, cumque in aperto cum campo splendidè admodum excepissent, in currum Cæsaris collocatum, ad ædes Archiepiscopi, ubi ab omni sumptu liber viveret, traduxerunt.

Viennæ interea, ut de adventu Regis Matthiæ auditum, ingens ad eum pro dignitate excipiendum & introducendum præparatio facta est. Cùm igitur 14. Julii circa vesperam, unà cum fratre Maximiliano Archiduce & tribus millibus equitum advenisset, Hungaricus eum Archiepiscopus, qui cum Trautsamio Comite, multisque Consiliariis & ministris Cæsareis, per pontem Taborensem in occursum ei profectus fuerat, inter octo Germanorum militum signa, & mille quingentos in acie quasi constitutos equites, satis longâ, & eleganti oratione excepit, idem postea Austriacorum Statuum nomine faciente Trautsamio, & Consiliariis Cæsaris dextræ manus porrectione ei congratulantibus. Hoc facto conscensis iterum equis, Rex eousdem cum Archiduce Maximiliano, donec duæ Viennensium equitum turmæ, ducentis singulæ equis constantes, præmitterentur, substiterunt, postea præmissis mille & quingentis equitibus Buchemicis, & prædictis octo Germanorum militum signis, Consiliarii Cæsaris, & post illos Rex ipsemet cum fratre Archiduce & universo comitatu suo progressi sunt; Ponte Taborense, in quo tres portæ triumphales ex variis arborum ramis & frondibus eleganti artificio constitutæ & insignibus variis ornatæ fuerant, superato, ter mille cives Viennenses, eleganti habitu & armis instructi multa adventantes tormentorum & sclopporum displosione exceperunt. Vt ad Henckelii portam cujus, ut & aliarum descriptionem mox subjiciemus, perventum est, piscatores duodecim more ethnico rubro & albo induti habitu, in Danubio ad rubram turrim, hastiludium exercuerunt. Senatus verò Viennensis; receptum sub umbellam à sex Senatoribus gestatam, Regem equitantem, ad S. Stephani templum deduxerunt. In itinere Judæi cum Decalogi volumine, juxta diversorium aurei anseris constituti, variis gesticulationibus & ceremoniis lætitiam aliquam suam declarârunt. Vt ventum ad S. Stephani est, Clericorum & Ecclesiasticorum cœtus, descendentem ab equo & flexis genibus preces suas peragentem Regem, exceptum, sub umbella in templum traduxerunt, ubi peractis sacris, tormentorum in propugnaculis urbis constitutorum displosio facta est. Postea egressum iterum ex templo, & equo insidentem Regem, sub umbella in arcem Viennenses per portas aliquot triumphales traduxerunt, Erant plateæ passim virentibus arborum ramis floribusq; oxornatæ, porta verò nondum planè perfecta, ut & qua in arcem itur, præter ornamenta varia, gentilitia domus Austriacæ aliorumque Statuum insignia spectanda exhibebat. Vt ventum in arcem est, repetitâ in propugnaculis tormentorum displosione, cùm octo illa, de quibus suprà dixi, militum Germanorum signa, quæ ad arcis aream disposita erant, bombardas & sclopeta sua dicto citiùs exonerâssent, ingenti cum

leti-

lætitia domum suam quisque repetiit. Illud hic me moratu dignum, silentio non prætermittendum duxi, quòd toto hoc regii istius ingressus tempore, quidam nodo, vel supremo fastigio turris ad S. Stephanum insistens, vexillum militare è suis manibus perpetuò jactârit & vibrârit. M.DCIIX.

Portæ triumphales, per quos Regi transeundum erat, numero decem fuerunt, prima ad initium pontis Taborensis à Christophoro Strausio, ut & duæ in medio pontis, ubi vectigalia colliguntur, & tertia ad finem pontis positæ, ex ramis & frondibus arborum virentibus omnes constabant, & pictis imaginibus eleganter ornatæ cernebantur. Tertiam, vivis Mariæ virginis, Bacchi & Neptuni imaginibus exornatam, Lazarus Henckelius ita constituit, ut Maria quidem cum assidentibus sibi puerulis, versiculos aliquot Latinos proferret; ad Bacchum & Neptunum ex tubulis sive siphunculis quibusdam, vinum album & rubrum promanaret; Diadema regium in caput sese transeuntis Regis demitteret, & sequentes in ea versiculi legerentur:

Hactenus afflictos tutatus es impiger Hunnos,
Vicistiq; feros sæpius ense Getas.
Nunc cape pro meritis transmissam à fratre coronam,
Ac rege Rex populum pro ratione tuum.
Ipse DEUS cœptis aderit, dabit ipse perennem,
Pacem ac in terris gaudia multa tuis.

Quintam & sextam Lubecensium negotiatorum ministri statuerant, vivis imaginibus ornatas, à quibus carmina quædam Latina in honorem Regis recitata sunt. Portam septimam Senatus populusque Viennensis ad fossam civitatis constituerat, nullis quidem vivis imaginibus ornatam, præter duos angelos in medio portæ conspicuos, qui octo fermè annorum pueri fuerunt, Latina quædam carmina recitantes, Inscriptio hujus portæ talis fuit; MATTHIÆ SERENISSIMO ARCHIDUCI, DOMINO SUO CLEMENTISSIMO S. P. VIENN. adjunctis hisce versiculis:

MATTHIA Austriacis speciosum sidus in oris.
Optatam referens post fera bella togam.
Austria funesto toties quassata tumultis,
Te rogat incepta ut tempora pacis eant.

Ab altera parte inscriptio talis legebatur: Matthiam, Hungariæ Regem expectatissimum, subnixa salutat Hungaria, cum subjectis versiculis:

Insignite venis titulis regalibus Heros,
Quæ tibi pro partâ præmia pace dabo?
Obsequium, cives, turres & mœnia dono
Regi atq; Archiduci, ô Marchio magne, tibi.

adjectâ simul acclamatione tali; LIBERALITATE & MANSVETUDINE. Octavam portam aulici negotiatores liberi ad forum carbonarium statuerant, vivis maximâ parte imaginibus ornatam, quæ suavissimo concentu Musico adventantem Regem exhilarârunt, adscriptis apophthegmatibus; Pax summa laborum; Corona pacis, justitia & pax osculata sunt; Concordia insuperabilis. Nonam ex lapidibus excitatam, concentus itidem Musicus condecoravit, sed ita tamen, ut nemo in ea conspiceretur. Decima porta ad arcem posita erat, eleganti admodum opere, absque tamen vivis imaginibus, ornata & sequentibus versiulics condecorata:

Cur toties Turcas iteratâ strage fugâsti?
In promptu emblema est, adamat victoria curam.
Cur tibi nunc duplici cinguntur tempora lauro,
Victor ovans? vigilem generosa trophæa reposcunt.

M.DCIIX. His portis Parnassus etiam quidam accessit, à judice civitatis præ foribus ædium suarum ad fossam civitatis excitatus, in quo cum tali inscriptione:

SERENISSIMO ARCHIDUCI AUSTRIÆ MATTHIÆ, BOHEMIÆ REGI DESIGNATO, tres vivæ imagines, BENIGNITATEM, FORTITUDINEM & FELICITATEM designantes, constitutæ Latina quædam carmina prætereunti Archiduci occinebant, vino albo & rubeo & duobus rubulis sive siphunculis largiter profluente.

Ex Hybernia Comes Tironius rebellium caput, una cum filio suo Barone Dangannonio & universa familia; nec non Comes Tirconellus profugerunt. Tironii hujus patrem è fabri ferrarii uxore natum quidam tradunt, quæ filio prospicere cupiens, è nobili quodam eum prognatum asseveravit. Filium vero Elisabetha Regina Comitatus dignitate ornavit, hoc modo ad retinendos in officio Hybernos eum magis obnoxium reddere sperans. Tirconellum, qui Comitis Kildarensis filiam, Anglici Thalassiarchi è filia neptem in uxorem duxerat, modernus Rex ad Comitatus dignitatem evexit: sed uterque Catholicæ religionis, ut quidem præ se ferebant, studio, novis rebus studere non cessabat. Quum verò Regem portus omnes, atque oppida munire, idque agere animadverterent, ut Hyberniam à seditionibus & motibus intestinis purgaret, sublatis omnibus caussis; in Galliam trajecit, atque inde priusquam id ab Anglico Oratore impediri posset, in Artesiam contendit, ac Binsii salutato Archiduce, religionis ergo ad Aspricollem virginem profectus est, ubique hospitaliter & magnificè, Bruxellis maximè à Marchione Spinola, Roderico Lasso, & Gastone Spinola splendidè exceptus. Caussam fugæ suæ prætexebat, Catholicæ religionis studium, periculum etiam, quod in Angliam sibi ob controversias quasdam de jurisdictione civili ad forum evocato sibi intelligeret. Auditâ horum Comitum fugâ, Jacobus magnæ Britanniæ Rex publico edito libello caussas has refutare ipse non dubitavit: cujus sententiam tantò libentiùs ponimus, quando libellus ille ab excellentiori manu ipsius scilicet Regis (uti à fide dignis accepimus) conscriptus est & formatus. Ac primùm, Tironium, ait, & Tirconellum Comites jam profugos nullis majorum imaginibus aut nobilitate, nullis virtutum ornamentis commendatos, tàm à se quàm superiori Regina ad hanc dignitatem evectos, aliisque, quibus cùm nec genere, nec quavis aliâ re comparandi sint, prælatos fuisse, sed tantùm ob caussas quasdam ad regni Statum pertinentes. Deinde, Sole, inquit, meridiano clarius esse, prædictos Comites nullam aliam ob caussam in fugam se dedisse, quàm quòd malæ eos conscientiæ metus morderet atque exagitaret. Quamvis enim fugæ suæ religionis caussam prætexant (cujus velo nimis quàm multi hodiè ad nequitiam suam & scelerata consilia abutantur) addito alio non minùs vano prætextu, metu scilicet parum æqui in controversiis quibusdam judicii, & imminentis inde sibi periculi: hæc tamen omnia tam fictitia tamque levia esse, ut nullâ egeant refutatione. Et quidem ad nequitiam & perfidiam eorum ostendendam nullis aliis argumentis opus esse, quàm quæ non ita pridem & superiori tempore perpetrârint. Nam & à Domina & Regina sua defecisse, & patriam auro venalem habuisse, ac Reginæ suæ hostibus prodidisse multaque ejusmodi perpetrâsse, ut vix in hominum numero, sed pro Naturæ monstris habendi. Hæc quamvis toti mundo, ut dictum est, pateant; se tamen facere non posse, quin falsos eorum prætextus refutet atque amoliatur. Principiò igitur, se fide Rege dignâ sanctè affirmare, nunquam sibi in mentem venisse, ullum eis religionis caussâ negocium facere aut litem intentare. Vt quid enim religionis caussâ eis molestiam exhiberet, qui cædem nequaquam pro maleficio, nec matrimonium pro consuetudine sive laudabili more ex gentium jure, nec pro viro bono eum habeant, qui non de cædibus, rapinis & violentiis magnificè possit gloriari? Imprudenter ergò ac stultè

ſtultè planè facturum (ſuo quidem judicio) qui hominibus omnis religionis expertibus religionem imponere, aut conſcientiis, quas nullas habent, imperare conetur. Quod verò ad alterum illud attinet, metum ſcilicet, ne Regem in controverſiis ſuis parum æquum judicem experirentur, illud negare non poſſe omnia, quæ habeant, ex regia & mera liberalitate eos obtinere, poſt nefariam ſcilicet proditionem, ob data aliquot pœnitentiæ indicia, in gratiam receptos, ſe nihilominùs eorum rebus quàm cujuſquam ex omni competitorum numero, fauturum fuiſſe, niſi iis in rebus, quas ad augendam ſuam ipſorum dignitatem, & alios multò meliori loco natos opprimendos, & regiæ dignitatis ac juris imminutionem moliri eos intellexerat, dum nulli dependentiæ ſive clientelæ fiduciariæ ſe ſubjectos ferunt. Sed neque ipſos inficiari poſſe, rebellionis paulò ante fugam rurſum à ſe ſparſa ſemina; quin & exteris Principibus regnum invadendum ac diripiendum, ſuamque operam, modò eâ uti vellent, obtuliſſe; has inter cæteras perlatâ quoque conditione, ut regno occupato, & ab Anglorum imperio liberato, omnes, qui in Hybernia ex Anglorum proſapia genus trahere deprehendentur, internecione deleantur. Sed & totum hoc promiſſum atque oblationem minimè, uti ſperârant, ab exteris Principibus acceptatum, ſed exploſum fuiſſe. Firmiter ergò ſperare, tantùm hanc ſuam declarationum apud alios Reges, Principes & Status pondus habituram, ut tàm fœdis creaturis, earumque, ſi quas fortè contra ipſum evomuerint, calumniis minimè fidem ſint habituri, ſed tanquam rebelles infidelitatis & ſummæ ingratitudinis reos, habituri atque deteſtaturi.

Hæc ſumma eſt ab ipſo Rege dictati & conſcripti libelli: an verò & quid Tironius & ſocii aliquid reſponderint aut reſponſuri ſint, nobis nondum conſtat. Tironius quidem jam Romam cum uxore & liberis appuliſſe, & quidem à regiis paſſim per Italiam miniſtris, aliiſq; Principibus, tandemq; ab ipſo Pontifice liberaliter exceptus eſſe fertur. Rex verò conſciis quibuſdam è nobilitate Hybernica in vincula conjectis, & in Angliam abductis, miſſis novis dejectibus, portus omnes, arces & oppida multò quàm unquam antè diligentiùs munivit. Hujus nihilominus anni æſtate nova rebellio à Tironianis reliquiis eſt excitata, & urbes, & arces aliquot ab iis direptæ atque incenſæ: ſed quòd nullis exteris auxiliis ſubniterentur, plus metus ab ipſis fuit quàm periculi: quem tamen & ipſum ex Anglia miſſa ſubſidia compreſſerunt.

Carolus Sueciæ Rex, non Regi ſolùm, ſed & ſenatoribus Polonis, per literas, ſe in Regem à Regni proceribus non ſolùm electum, ſed & inauguratum eſſe ſignificaverat, paratumque ſe oſtenderat, ſi velint, pacem cum eis honeſtâ conditione facere. Cùm igitur ejuſdem ſententiæ ſenatores etiam Sueciæ literas ad Poloniæ ſenatores dediſſent, ipſi Cracoviæ ſub initium Septembris congregati, ſequentes ad ſenatores Sueciæ literas direxerunt. Acceptis literis veſtris, inquiunt, an ad eas reſpondendum eſſet, dubitatum eſt; ita enim ſcriptæ erant, ut ad irritandos potiùs animos, quàm ad negotii compoſitionem pertinere videantur, verùm ne taciturnitate ſuâ ea agnoſcere & probare videremur, quæ vos contra Regem, Dominum noſtrum clementiſſ. noſq; ipſos immeritò literis illis congeſſiſtis, reſcribendum paucis putavimus. Et Regem quidem Sueciæ, nos nullum alium quàm Sigiſmundum Regem veſtrum & noſtrum agnoſcimus, qui naturali & æquiſſimo jure, poſteaquam in locum Sereniſſ. parentis ſui Joannis Sueciæ Regis, cujus immortalia erga Regnum illud beneficia orbi Chriſtiano nota ſunt, ſucceſſiſſet, diademate Regio, more ſolenni inſignitus, Rexq; appellatus, delatis ad ſe omnibus regiæ dignitatis ornamentis, juramento à vobis tanquam ſubditis ſuis, de præſtanda fide & obedientia recepto, juſtum ac legitimum imperium in vos adeptus eſt, ut nec quiſquam alius illo vivente, in locum ejus ſurrogari potuerit, nec Rex veſter à vobis ſine gravi non ſervatæ fidei

nota

M.DCIIX. nota deferi. Quare cùm ob eam caussam Sereniss. Sigismundo Regi nostro ac vestro, Regios Regni Sueciæ titulos justissimè deferamus, idque universi orbis judicio comprobetur, immeritò sanè à vobis accusamur, quòd iisdem titulis Carolum vestrum non compellaverimus, qui quo prætextu Regnum alienum regiæ Majestati, Domino vestro naturali, omni jure, vobismetipsis fatentibus, debitum invaserit, cùm res ipsa loquatur, verbis id ostendere supervacaneum fuerit. Illud sanè mirum nobis videtur, vos in re adeò manifesta ita ultrò errare, ut funesti istius belli nobis caussas & initia imputetis, quod ut longè aliter se habere ostendamus, pauca, quæ superioribus annis acta sunt, vobis in memoriam revocamus. Cùm Carolus non obscura de occupando regno Sueciæ consilia agitaret, vosque ipsi, quos nondum ille in societatem suorum consiliorum pertraxerat, opem & auxilium contra illius conatus imploraretis, Rex noster de vestra erga se fide persuasus optimè, nullis externis armis munitus, sed solito aulico suo comitatu ac ordinariis præsidiis instructus, paucis Germanorum & Hungarorum cohortibus adscitis, in Sueciam trajecit, eo animo, ut vestris potissimum consiliis & consentientibus voluntatibus, paternum & hæreditarium illud Regnum pacaret, & novarum rerum cupidos ad officium revocaret. Qua in re cùm pro innata clementia, Rex benignus sibi agendum censeret, ac Carolus ipse aliud mente volvens, aliud præ se ferens, se in potestate regiæ Majestatis fore ostenderet, subitò adventu classis auctus, iisque Suecis, qui militari sacramento fidem suam Regi obstrinxerant, pretio vel minis corruptis, arma in regiam Majestatem vertit. Vestram eo tempore fidem desideratam fuisse, vos ipsi diffiteri non potestis. Jam quid amplius de vestra erga se fide Regi sperandum, quantumque Carolo regni occupandi cupiditate accenso fidendum esset, facilè tum jam apparebat, & sequentis temporis eventus manifestè comprobavit: Vt primùm enim Rex finibus regni illius excessit, arces, quæ regiis præsidiis tenebantur, à Carolo occupatæ, morte crudelissimâ affecti nobilissimi senatores, qui datam regiæ Majestati fidem servaverant, alii in vincula conjecti ac fortunis omnibus exuti, cæteri metu crudelitatis desertâ patriâ solum vertere coacti sunt. Carolus ipse ruptis sangvinis & fidei juribus, palàm, id quod dudum mente conceperat, ad occupandum regnum animum adjiciens, conscripto exercitu, oppressis regiæ Majestatis fidelibus subditis Suecis, cùm primùm de caussæ suæ æquitate, datis utrinque Commissariis disceptare se velle significâsset, inopinatò in Livoniam trajecit, bellum nullâ denunciatâ hostilitate nobis intulit, provinciam altâ pace fruentem, & nihil minùs quàm hostile quid metuentem invasit, arces præsidiis destitutas occupavit, homines innoxios, imbelles & inermes, plerosque sacris & altaribus adscriptos, ac fœminas etiam, rarò & inter barbaros tantùm audito exemplo in servitutem abduxit. Hæc cùm à vobis vestroque Carolo profecta sint, cumque nos ad nostra armis tuenda, non nisi gravissimis & acerbissimis injuriis à vobis lacessiti, penè inviti accesserimus, vobismetipsis suscepti funesti istius belli Christianique sangvinis effusi culpam imputetis necesse est. Nobis satis superque bellorum est, quæ contra hostes Christiani nominis gerimus, cum Christianis pacis & bonæ vicinitatis jura libenter amplectimur, & quantum in nobis est, tuemur. Hinc factum est, ut cùm nobis nuper significâssetis, vos belli istius æquis utrinque conditionibus dirimendi desiderio teneri, ac de captivis commutandis Christiano more transigere velle, nos æquis conditionibus propositis, vobis responderimus, Commissariosque nostros ad locum utrique parti non incommodum designaverimus, ac ut captivi omnes utrinque dimitterentur, quemadmodum à vobis postulatum fuit, assenserimus. Qua in re quàm sincerè nobiscum egeritis res ipsa declarat, nam & sub istis de paciscendis induciis tractatibus, præter fidem datam exercitum in Livoniam traduxistis, arcem Dinæmundensem, quod nobis his

bis his ipsis diebus nunciatum est, proditione occupâstis, jamque bello ex integro resumpto hostiles conatus contra nos exeritis, & ut suprà dicta captivorum permutatio numero definiatur, totque vos nostros dimittatis, quot à nobis vestros acceperitis, cæteri verò precio redimantur, velle videmini. Bellum quidem præter fidem à vobis datam, illataque provinciæ nostræ arma, DEI qui justæ causæ favere solet, arbitrio permittimus. Ad captivorum verò permutationem quod attinet, non vos latet superioribus annis complures homines vestros in potestatem Regiæ majestatis redactos fuisse, quos etsi justo bello captos detinere, ac ut in rebelles animadvertere potuisset, cùm vos imbellem turbam præter omnem militarem consuetudinem detineatis, tamen pro innata clementia & Christiani Principis officio, sine ulla pretii exactione liberos esse jussit, barbarum & Christiano Rege indignum id esse existimans, homines captivos alienæ temeritatis pœnas dare. Quare cùm à nobis vestri ii tantùm detineantur, quos suscepti belli ratio ea conditione esse voluit, æquum est, ut pro iis viritim nostri omnes præter militarem consuetudinem detenti dimittantur. Cæterùm ad locum à vobis ad permutandos captivos assignatum quod attinet, cùm à Commissariis nostris, hoc præsertim anni tempore quod imminet, is commodè adiri non possit, dedimus in mandatis iisdem, ut aliquem Colbergam ditionis Illustrissimi Principis Pomeraniæ mittant, quò vos etiam vestrum, si placuerit, ablegabitis, ut fide Illustriss. Principis Pomeraniæ securitate præstitâ, de re tanti momenti; locoque statuendorum captivorum, utrique parti non incommodo, nec suspecto, propositis utrinque rationibus, ab iis aliquid certi statui & decerni possit.

Archiducem Matthiam novum Hungariæ Regem quomodo ex Bohemia reducem Magistratus Viennensis exceperit, quomodoq; sub pulcerrima umbella rubro holoserico aureis filis undiq; acu picto amictus, inter publicas acclamationes & congratulantium voces in arcem processerit, paulò antè dictum est. Cùm autem finitis festivitatibus, de iliis jam, quæ ad regni Hungarici constitutionem & Regis coronationem pertinent, deliberatio institueretur, & verò ab Evangelicis per Austriam Statibus, Lintii maximè & aliis in locis exercitium religionis, secundùm Augustanam confessionem reformatæ, ministris in Ecclesia conciones publicas habentibus, restauraretur, Leopoldus quidem Archidux & Episcopus Passaviensis, Viennam profectus, cum Nuncio Pontificis Mellino, Cardinale Forgatsio, & Viennensi Episcopo, crebra apud Regem sollicitatione, ut exercitium illud rursus abrogaretur, templa occluderentur & conciones publicæ inhiberentur, mandatum impetrârunt. Res ea novos statim per Austriam motus, novasq; turbas peperit. Status enim Evangelici, habito statim consilio, Regi novo sacramentum dare, & fidelitatis, juramento se obstringere, unanimi consensu, donec libertatem religionis obtinerent, recusârunt, irritoque fœdere, publicarum concionum, & Augustanæ religionis exercitium, cum vitæ fortunarumque omnium jactura asserere, & ab interdicto isto vendicare statuerunt, subditos suos omnes arma habere parata jubentes, ut postulante ita necessitate, vel tricesimus, vel decimus, vel quintus in bellum prodire posset. Cæterùm cùm misso ad Regem supplice, cui centum misso ad Regem supplice, cui centum & octuaginta Satrapæ nomina sua dederant, libello, responsi nihil acciperent, sed à proposito suo recedere, & ad præstandum Regi juramentum absque ulla tergiversatione comparere juberentur, Hornam 14. Septembris profecti, datis ad reliquos Status & Ordines Pontificios literis, si non expectatâ turbarum compositione & transactione, juramentum præstituri sint, de secuturis inde malis omnibus, coram DEO & universo mundo excusatos se futuros testati sunt, moxque conscripto, ne ex improviso ad Hornam opprimerentur, exercitu rebus suis providere modis

omni-

M.DCIIX. omnibus cœperunt. Rumore autem inde ad vicinos Bohemiæ & Moraviæ Ordines perlato, cùm illi quidem quieti esse, & tutandis finibus invigilare juberentur, hi pro Austriacis Statibus apud Regem intercedentes, non defuturos, sese ipsorum necessitatibus testati sunt.

Posonii in Hungaria Illishascius in Palatinum electus, & Matthias in Regem, 14. Novembris die publicè proclamatus est. Die autem 19. qui Elisabethæ sacer est, coronatio ejus Posonii in templo San. Martini, sequenti ritu peracta est: Principiò Diadema regium curru Regio ex arce ad templum cum magno Senatorum & Procerum regni Hungariæ comitatu, decem item Regnorum vexilla complicata, delata sunt, cistulam panno Attalico inaurato opertam, quatuor Senioribus Hungaris curru allevantibus & in sacrarium templi deferentibus. Equo deinde Matthias Rex unà cum Maximiliano fratre, habitu Hungarico advectus, & sacrarium ingressus, ad dimidiam ibi horam, donec à duobus Episcopis ad altare produceretur, substitit. Tum verò vexilla illa decem totidem Hungari, Diadema Palatinus, sceptrum Regium Erdeodius, pomum Regni Forgatsius, gladium S. Stephani, olim Hungariæ Regis in vagina ex holoserico rubro reconditum Turso, Pacem (quam vocant) Tsechius, crucem Budianus gestabat, officium Cardinalis Forgatsius faciebat, ministrantibus ei Episcopis & Antistitibus, à quibus etiam sub initium officii oleo Rex inunctus fuit. Dum Epistola & Evangelium legeretur, Diadema Regi Cardinalis imposuit, populo omni, vivat Rex Hungariæ, acclamante. Cæterùm Diademate insignitus Rex, strictum gladium ex Sigefridi Colonitsii, Marschalli manibus accipiens, in äëre ter super Ecclesiasticos, ad crucis formam vibravit, & sacram synaxin ex Cardinalis manu percepit. Peracto officio per elevatum nonnihil tramitem panno constratum, ex sancti Martini ad discalceatorum templum progressus pecuniam post se dispergi in populum curavit. In hoc templo, perlecto S. Evangelio, viginti octo Equites à Rege facti sunt; Inde Diademate & habitu Regio insignitus etiamnum Rex, per S. Michaëlis portam urbe egressus, & equo ad elevatum nonnihil pegma quoddam panno obductum vectus est, in quo juramentum Hungaris præstitit, & ab ipsis sibi vicissim præstitum accepit. Tandem equo in paratum ad hunc usum, colliculum quendam ter insiliens, gladium tribus vicibus ad crucis formam vibravit, & in arcem reversus, cum Maximiliano Archiduce, Cardinale Forgatsio, Nuncio Pontificio & Palatino, peculiari mensâ discubuit, Proceribus Hungaris aliis, quorum ad septuaginta numerabantur, ad sex mensas alias discumbentibus, & prandium summâ lætitiâ peragentibus. Inter communem & promiscuam plebem boves sex, & sexaginta vini urnæ, inter Haiduccos verò boves quatuor, & centum vini urnæ distributæ sunt. Non pauci autem, qui colligendis pecuniis & panno à pegmate abstrahendo studebant, digitis manibusque truncati & mutilati lamentabilem rei memoriam inde reportârunt.

Uratislaviæ, quæ Silesiæ metropolis est, cùm in natalitiis Christi feriis, monachus quidam, in monasterio ad San. Albertum, contumeliosè admodum de Lutheranis pro concione locutus esset, furore quasi percitum operariorum & opificum commune vulgus, bigis ad monasterii portas fortiùs adactis, vicesimo septimo Decemb. die, irruunt; statuas disjiciunt, subvertunt altaria, fenestras frangunt, libros, vestimenta sacra, calices & ornamenta alia, discerpunt, lacerant, comminuunt & diripiunt, monachis sese partim occultantibus, partim fugâ subducentibus. Non substitisset hic quidem tumultus, sed ad monasteria alia etiam promanâsset, verùm Magistratu turbam seriò avocante, & in autores primarios diligenter inquirente, seditio sedata & consopita est.

ANNO

ANNO 1608. decimo septimo Octobris die, ad commemoratas suprà procerum Poloniæ literas, Sueciæ regni Senatores, Stocolmiæ congregati, hunc in modum responderunt: Quanquam, inquiunt, vestræ literæ adeò diffusæ & copiosæ sint, ut modum literarum penè excessisse videantur, eò tamen potissimùm spectant, ut clementiss. Regem nostrum, quem nos Ordinesque Regni universi, in regni Sueciæ Regem elegimus electumque diademate Regio, solenni more insignivimus, vos neque Regem agnoscere, neque regio nomine ac titulo compellare velle aut posse ostendant: nobis verò Serenissimoque Regi nostro, juramenti, quo Sigismundo Regi vestro quondam devincti fuimus, fideiq; violatæ crimen & dedecus intentent. Quod ut planum faciatis, comminiscimini, quosdam ex nobis, cùm Sigismundum in regnum accivissent, fidem in se desiderari passos fuisse. Proditionem deinde nobis objicitis, quasi durantibus induciis, contra datam fidem, Dunæmundam arcem vestram vobis eripuerimus. Hæc omnia magno verborum apparatu à Polonis prolata, simplici rerum, uti gestæ fuerint narratione, refutare sese posse asserunt. Principiò igitur non ire se inficias dicunt, Regi Sigismundo, tanquam patris sui defuncti, tàm jure successionis, quàm vi pactorum hæreditariorum, proximo hæredi, Regni Sueciæ gubernacula à se delata esse, seque Vpsaliæ, cùm partæ salutis annus ageretur 1594. jurejurando fidem & obedientiam suam ei adstrinxisse, quo tempore ipse vicissim se senatoribus cunctisque Regni Sueciæ Ordinibus eâdem jurisjurandi religione devinxerit. Se quidem fidem Sigismundo tum datam, quàm diu ipse in fide Ordinibus datâ permansit, integrè & sincerè servâsse, postquam verò juramenti sui immemor, Ordines & Regnum suum bello persequi, & omnia salutaria consilia atque admonitiones spernere Sigismundus cœpisset, sperare se, neminem fore, qui vitio Ordinibus vertat, quòd ad ea, quibus usi sunt hactenus, media descendere, eumque, à quo toties hactenus deserti fuerint, deserere coacti sint. Non negare se, fuisse quosdam, qui contra Regem suum Carolum, Sigismundi Regis opem & auxilium implorârint, verùm eos non multò pòst perfidiæ proditionisque suæ justas luisse pœnas; ex suo autem numero quenquam Sigismundi opem implorâsse, precibusque eum sollicitâsse, ut externo milite, ad hæreditarium Regnum vastandum proficisceretur, Regemque suum Carolum & alios innocentes opprimeret, hostiliterque persequeretur, probari à Polonis nunquam posse, quin id potiùs verum esse, Sigismundum, cùm nondum iter esset ingressus, per literas, tàm Regem Carolum, quàm se, cohortatos esse sedulò, ut omni hostili conatu deposito, pacificus clemensque Rex, paternum suum regnum adiret, & tàm Regem suum Carolum, quàm se omnes, à vi & injuria, interveniente idoneâ & sufficiente cautione, securos præstaret; se eo casu fidem dedisse, neminem fore, qui non eo, quo deceret modo, advenientem excepturus esset: classem præterea necessariam ad excipiendum transvehendumque Sigismundum Regem, pro dignitate tum personæ Regiæ tum utriusque Regni, Regem Carolum ei obtulisse, modò de tempore & loco, quo mittenda esset, tempestate admoneretur. Sigismundum verò nullo alio responso dato, patentibus solùm literis, gratiam & securitatem Regni Ordinibus, Rege Carolo planè excluso & præterito, promisisse, ut Carolo quidem quid sibi à Sigismundo Rege expectandum, quoque is animo in se esset, obscurum esse minimè potuerit. Sigismundum porrò hasce suas literas paulò pòst secutum esse, non solis aulicis suis (ut Poloni scribant) ministris comitatum, sed aliquot millium probè instructorum militum ex Germanis, Hungaris, Scotis, Polonisque collectorum exercitu tanto, ut ab eo tempore, quo palàm hostes Suecorum Poloni esse cœperunt, castra ipsorum majorem non habuerint, stipatum. Finnones præterea Livonosque per nuncios suos evocâsse, ut ab altera parte Regem suum Carolum adorirentur. Mirum M.DCIIX.

M.DCIIX. igitur sibi videri, Polonos in re adeo manifesta ultrò ita errare, ut Sigismundum solo aulico suo comitatu Regnum Sueciæ adiisse, nullo pudore affirment, cum is id fecisset, eodem, quo, cùm ad Regni coronam accipiendam, solis aulicis suis ministris stipatus accessit, modo fuisset exceptus. Sigismundum porrò, dicant, priusquam in Sueciam iter susciperet, Lubecæ aliisque in civitatibus maritimis, Suecos, commerciorum caussâ ibi commorantes, unà cum mercibus suis arresto detinendos curâsse, & rerum necessariarum, frumenti præsertim, cujus tum temporis magna in Suecia fuerit penuria, invectiones, in regnum prohibuisse. Cùm deinde in Regnum appulisset, quamvis arcium munimentorumque aditus ei omnes patuerint, & quos Carolus Rex Calmariæ præfecerat, debito cum honore, ut legitimum suum Regem exceperint, neque quisquam fuerit, qui ei resisteret, ipsum tamen hostilem animum suum mox prodentem, eos comprehensos, contra datam fidem in custodiam dedisse, & in Poloniam deinde missos, per biennium in vinculis detinuisse. Publicatis item edictis Regis Caroli ministros hospitio à quoquam excipi vetuisse, quinimo ubicunque inventos capi, captosque extremo supplicio affici jussisse, postea ubi cum exercitu Stecceburgum movisset, Carolum quidem Regem, crebris literis & internunciis, uti peregrinum, quem adduxerat militem, exauctoraret, eos, quorum consiliis depravatus esset, a se segregaret, denique ad proxima comitia manere seriò juberet, sollicitasse, addità promissione, quòd hoc facto, in Ducatum suum redire, ibique tantisper se continere, dum Comitiis indictis, Regni Ordines convenirent, tum coram Regni Ordinibus, gestæ, absente Rege, Reipublicæ rationem reddere, accusatoribus, si qui essent, respondere, hisque eventum, à Regni Sueciæ Ordinibus, sententiam ex præscripto Legum suarum ferentibus expectare, vellet, sed surdo narrâsse fabulam, usque enim adeo Caroli Regis odium, Sigismundi animum occupâsse, ut nullas quamvis æquas & tolerabiles, caussæ componendæ, conditiones, non solùm non admiserit, sed etiam Regem Carolum cum comitatu suo, facilioris colloquii & reconciliationis tentandæ caussâ propius accedentem, gladiis, tormentorumq; globis exceperit. Steccenburgo deinde Lincopiam contendentem Sigismundum, Carolum Regem subsecutum esse, ad amicam reconciliationem se denuo obtulisse, & ne optimè in se animatum fugeret monuisse, verum Sigismundum omnia ea floccipendentem, sprevisse. Et quanquam tentandæ compositioni dies fuerit constitutus, Joannem tamen Veyerum, nullâ ejus habitâ ratione, excubitores Caroli Regis in castra se recipere aliquoties compulisse, ut ita tandem, pace se frui non posse animadvertens Carolus Rex, arma sui defendendi caussa sumere coactus fuerit, quorum is fuerit exitus, ut prælio commisso Sigismundum cum suis loco cedere tergaq; dare necesse esset, caussæ æquitati prælii eventu ita respondente, ut quæ Carolo Regi destinârat Sigismundus, eadem ipse pateretur. Sigismundum porrò cùm hac via rem non successisse animadverteret, à vi ad preces conversum, ut ab armis abstineretur Carolum Regem rogâsse & impetrâsse. Quamvis enim res in eum locū jam fuerit deducta, ut Sigismundus in Caroli Regis potestate esset, durius tamen eum nihil in illum statuere voluisse, sed extemplò ut arma deponerent, suis imperâsse, & cum Sigismundo hoc modo transegisse, ut, nisi pacta conventa pacificationis servaret, Regni Ordines juramento & fide, quâ ipsi devincti essent, soluti, neque Regem ipsum ampliùs agnoscere, neq; obedientiam ei ullam præstare deberent. Cæterùm Si-Sigismundum, simulatq; hæc ab illo promissa fuerunt, præter omnium Suecorum expectationem, clàm è Regno se subduxisse, & naves, tormentis omniq; apparatu bellico instructas, quibus Stoccolmiam, quò se rectà iturum Lincopiæ promiserit, deduceretur, secum abduxisse, Calmariam non postremum Regni Sueciæ ad fines Daniæ propugnaculum, peregrino milite firmâsse, & virulentum, quod adversus Suecos conceperat, nec tamen in effectum dare potuerat

odium;

M.DCIIX.

odium, nullo non inimicitiæ genere adhibito, in eos effudisse. Jam ex vobis, inquiunt, cognoscere libet, an, quæ nos spe futuræ aliquando emendationis, summâ patientiâ tot annos sustinuimus, vos quoque tàm diu æquis animis vobis ferenda existimetis. Nobis profectò illud persuasum est, Sigismundum, si eadem in vos commisisset, jam pridem à Regni vestri gubernaculis fuisse submotum. Est in recenti adhuc memoria Henricus Valesius, cui è Polonia in Galliam reverso, cùm Poloniæ regnum sibi absenti, non minori curæ ac sollicitudini, quàm si coràm adesset, futurum promitteret, tamen, quòd Regno clàm excessisset, neque relicto hæreditario suo regno, ad præstiturum à vobis tempus redire, & coràm Reipubl. præesse ei liceret, protinus fide ac obedientiâ renunciatâ, ad novi Regis electionem descendistis, præter hanc enim nullam vobis fuisse Regni ei abrogandi caussam, legationes & literæ, ea de re ultrò citroque missæ, evidenter demonstrant. Quæ etiam vobis cum Rege vestro proximis annis hisce, contentiones intercesserint, ex universo orbi sunt notissimæ. Verùm quæ vos ad id caussæ impulerint, in disceptationem vocare nolumus, ne aliena curare, iisque, quæ ad nos nihil attinent, nos immiscere videamur, quòd si à vobis quoque observaretur, res vestræ simul ac nostræ longè meliori loco consisterent. Verùm enimverò licèt regnum Sueciæ nullâ re Poloniæ cedat, nihiloque magis quàm Poloniæ regnum Rege carere possit, se tamen dicunt, longè aliter erga Regem Sigismundum se gessisse, cùm enim hostilia quæque in se Regnumque suum molitus esset, ut vi suæ ipsius obligationis, nullo ei fidei obedientiæque vinculo obstricti ampliùs tenerentur, non continuò tamen se Regno eum deturbâsse, sed iteratis literis, ut ad Regni habenas, ex præstiti juramenti præscripto moderandas, omniaque in integrum restituenda reverteretur, ab eo petiisse, id si faceret, pristinarum injuriarum memoriâ depositâ, Regem eum ac Dominum suum agnituri, fidemque & obedientiam debitam ei præstituri, quin & hoc, ut si in Sueciam redire, & Regnum coràm administrare integrum sibi non sit, filium suum eò mitteret, rogâsse, eodem in eum, quo in Regem animo se fore promittentes. Hæc ita gesta esse, ipsa Comitiorum diversis temporibus & locis, Jenecopiæ, Anno 1599. eodemque anno Stoccolmiæ, & demum Lincopiæ anno 1600. eo nomine celebratorum acta, typis in lucem edita, clarè demonstrare. Sigismundum verò, quibus vel litera vel verbo respoderet, indignos Ordines Sueciæ censuisse, qui sui in ipsum studii animique propensi eam reportârint gratiam, ut ad novos motus seditionemque Finnones concitârit, & quò potentiores essent, externa ipsis auxilia subministrârit, quin & naves, quas è Regno abduxerit, ad Elfsburgum ex inopinato occupandum, milite armisque probè instructas miserit, unde damnum regni Sueciæ incolis non mediocre illatum fuerit. Cùm igitur ad hunc modum erga se cæterosque fideles suos in regno Sueciæ subditos, Sigismundus se gesserit, manifestum inde fieri, non se, ut Poloni scribunt, ab eo defecisse, sed ipsum, Regnum illud deseruisse, belloque palàm illato ad ea media amplectanda Ordines compulisse, quibus contra vim ejus hostilem se Regnumque suum defenderent. Cæterùm etsi modò memoratæ causæ tales sint, tantique momenti & ponderis, ut omnibus Christianis Principibus à partium studio alienis, eas probari, & à criminibus falsò sibi objectis satis superque se liberare posse confidant, plures tamen adhuc esse ejusque ponderis, ut earum vel minima imperio cuivis Principi abrogando sufficiat. Primò enim Sigismundum aviti testamenti desertorem fuisse, cui tanquam fundamento hæreditarium Regni jus innitatur. Deinde absque Ordinum consensu, hæreditario regno relicto, peregrinum, magno hujus regni detrimento, gravissimisque conditionibus suscepisse; provincias donatione alienâsse; cum externis Principibus perniciosos Regno contractus iniisse, absque Caroli Regis præcipuorumque Regni mem-

M.DCIX. brorum consensu, quorum tamen consiliis, ut regnum gubernaret, jurejurando se adstrinxerat; & eorum, quæ ad Regni salutem incolumitatemque pertinent, curam omnem atque sollicitudinem abjecisse. Inauguratione Upsaliæ peractâ, cùm non omnia ad ejus nutum & voluntatem fierent, Ernesto Vejero aliisque nonnullis, militem collectum magno numero in Regnum adducere, quo Suecos ad imperata facienda compellerent, mandâsse. Cùm autem neque hac ratione rem ex sententia successuram, animadverterit, è Regno planè discessisse, nullâ formâ relictâ, ad quam Regnum se absente, administraretur, arcis atque urbis Stoccolmensis præfecturam homini Pontificiæ religioni palàm addicto commisisse, aliis arcibus nonnullis, homines infames nullique rei gerendæ idoneos præfecisse, Papicolis sua conventicula, liberumque Religionis usum concessisse, quæ omnia juramento ab ipso præstito palàm & è regione adversarentur. Mandata adhæc suis dedisse, ut, nisi Carolus Rex iis omnibus, quæ ipse vellet, assentiretur, præfectosque ipsius & Officiarios pro arbitrio & libidine in Regno sese gerere, juramentum regium violare, leges Regni pactaque hæreditaria ad Regni detrimentum perniciemque infringere, ac innocentes injustè opprimere pateretur, unde intestina in Regno dissidia facilè existere potuerint, quemadmodum in Finlandia acciderit, ubi Sigismundi permissu multa innocentium agricolarum millia trucidata sint, tum equitibus peditibusque coactis Carolum Regem hostiliter persequerentur. Horum omnium veritatem, dicunt, non in nuda rei gestæ narratione solisque verbis consistere, cujusmodi ea sint, quæ Poloni scribant, sed literis ac sigillis, si opus sit, comprobari posse. Porrò quemadmodum abundè demonstrârint, non Carolo Regi & Ordinibus Suecis, vel amissi regni caussas, vel funesti istius belli initia imputari posse, sed Sigismundo ipsi, qui regnum ultrò reliquerit, & bellum nullâ provocatus injuriâ susceperit; ita ex actis etiam ipsis planum jam facturos sese asserunt, Polonos quoque ipsos, huic bello caussam præbuisse, seque gravi ab ipsis injuriâ affici, cum ipsis non admonitis provincias Polonicas invasisse, & arces nullo præsidio firmatas occupâsse dicuntur. Principiò igitur jubent Polonos sibi in memoriam revocare, quod anno 1596. per Stanislaum Dsialinscium, Stanislaum Cycouscium, Nicolaum Sapieham, Legatos & Oratores suos, Carolum Regem aliosque complures atrocissimorum criminum, perjurii, læsæ Majestatis & aliorum, quæ nunquam probari possint, ob conventum Sudercopiæ habitum, reos egerint, tum enim Legatos illos orationem suam minis conclusisse, quibus nisi à proposito Succi desisterent, Regi Sigismundo Polonos non defuturos, injuriæque vel minimæ ei illatæ vindicandæ caussa, libertatem, fortunas, vitamque ipsam impensuros, minatos fuisse. Quamvis autem sententiam Polonorum, Legati verbis lenierint, ex tota tamen oratione perspici potuisse, nullam aliam fuisse, quàm ut aut Sudercopensis conventus decreta abolerent, urgente hoc ipsum Sigismundo etiam, aut Rege & Polonis hostibus Succi uterentur. Eo igitur ipso hostilitatem non obscurè sibi denunciatam fuisse, cùm tamen neque Polonos id facturos putârint, neque uti facerent caussam ullam dederint. Quòd enim Regis Majestatem atque autoritatem eo à se violatam existiment, quòd Carolus Rex, regnique Sueciæ Senatus, libertate à majoribus acceptâ, veterique Regni consuetudine usi, Rege Sigismundo absente, Ordines Sudercopiam convocârint, id sanè fundamentum nullum habere. Eam enim autoritatem à multis seculis, omnes Regni Præsides ac Gubernatores habere, ex unione inter tria ista borealia Regna, Margaretha Regina imperante facta, manifestum esse. Præterea constare etiam Regni Dapiferum, non tantùm Ordinum cogendorum potestatem, Rege absente, necessitateque urgente, sed etiam aliis in rebus omnibus, parem cum ipso

Rege

Rege autoritatem habuisse, velut hoc ipsum aliorum quoque temporum res gestæ ostendant. Eam conveniendi, deque Reipublicæ negotiis deliberandi libertatem, præcipuum remedium esse, quo confusiones, ne in Rempublicam irrepant, impedire, & si irrepserint, tolli rursus & aboleri queant, cujusmodi confusiones ob intempestivum Regis discessum, pravamque gubernationem, tum temporis in Regno Sueciæ extitisse ac propemodum invaluisse, certum sit. Lacedæmonii, inquiunt, Ephoros suos habebant, habent etiamnum alia regna sua Parlamenta & concilia, quæ, ut nostis, nihil aliud sunt, quàm stata quædam comitia. Et vos ipsi eâ libertate in rebus momenti multò minoris usi, nec eam vobis eripi ullo modo passi estis. Cùm enim Anno 1591. tumultus quidam Cracoviæ esset excitatus, nobilitas multorum Palatinatuum Chmiolinsciæ, Rege inconsulto & invito convenit, eique per literas significavit, se ad frequentiorem deliberationem, cui Lithuanica etiam nobilitas interesset, Radomi denuò decrevisse convenire. Quamobrem ignorare nos fatemur, cur quod vobis, in re vestra, justum æquumque visum fuit, id ne à nobis fieret, per Oratores vestros prohibendum censueritis, nisi fortè vos solos antiquæ libertatis Regni vestri defensores & vindices salutari, reliquos verò mancipia esse cupiatis. Porrò quæ in Sudercopiensibus comitiis decreta fuerint, ea affirmant regio juramento, legibus Sueticis, Gustavi Regis, inclytæ memoriæ testamento, pactisque hæreditariis inniti, & ad regni, Rege Sigismundo absente, salutem atque incolumitatem pertinuisse, ut ex responso Legatis Polonorum tum temporis dato, obscurum esse nemini potuerit, quo tamen conventu opus non fuisset, si ante suum è regno discessum, de Reipubl. per absentiam suam administrandæ ratione, curam aliquam, uti debuerit, Sigismundus suscepisset. Eo autem nomine, quod patriæ suæ libertatem & salutem curæ sibi esse voluerint, minas nullas sese expectâsse, à Polonis præsertim, quos fœderis societate sibi conjunctos putârint. Nec tamen in minis, quas Legati eorum nomine fecerant, subsistendum sibi putâsse, quin imò quæ promissa tum temporis fuerint, ea liberalissimè & ad ungvem eos præstitisse omnia, ita quidem, ut si maximè comminationum Polonicarum sensus, Suecis tum fuisset obscurus, nunc certè reipsâ factoque ita expressus sit, ut manibus contrectari queat. Polonos enim ad regnum Sueciæ depopulandum, Regem Sigismundum magno cum exercitu in regnum adduxisse, & rebus omnibus necessariis adjuvisse. Illud enim eos non excusare, quòd culpa in Sigismundum collata, cum sine consensu auxilioq; suo in regnum Sueciæ profectum esse prætendant, satis enim constare, permissu & ope eorum, eam profectionem, vel potiùs expeditionem à Sigismundo fuisse susceptam, cui Vicecancellarium etiam suum atque belli ducem Farensbecium, qui rei militari præesset, comites adjunxerint. Polonos insuper peregrinum etiam militem, ab eodem etiam duce suo collectum, in Finlandiam, seditiosis & rebellibus Finnonibus auxilio misisse, arcem Viburgensem regni Sueciæ limitaneam præsidio munivisse, cumque anno 1600. literis è Comitiis Lincopensibus ad eos datis, intra primum & ultimum Maji diem certiores fieri voluissent Sueci, hostibusnè an amicis Polonis uterentur, alioqui fore, ut alio modo rem aggrederentur (bellum enim apertum, quàm pacem insidiosam maluisse) tabellarium in vincula conjectum ultra annum detinuisse, atque semestri primùm exacto Suecis respondisse, verbis tam ambiguis, ut de pace longè quàm anteà incertiores facti sint. In Livonia multò antè quàm Carolus Rex pedem poneret, publicis edictis incolas contra Carolum evocâsse, ut mirum sit, qui belli hujus initia & caussas sibi imputare, arcesque nec opinantibus Polonis ereptas esse, scribere non erubescant. Cùm itaque plenissimè demonstratum sit, inquiunt, Sigismundum sua ipsius culpa hæreditario hujus regni jure excidisse, ipsumque & nos nullâ injuriâ lacessitos, bellum nobis intulisse, æquum profectò est, ut in eo

M.DCIIX. ornando regni Succiæ titulo imposterum abstineatis, Serenissimum Principem ac Dominum nostrum, Dn. Carolum Nonum, Suecorum, Gothorum, Vandalorum, Finnonum, Careliorum, Lapponum, Cajanorum, Esthonumque in Livonia, &c. divinâ providentiâ & consentientientibus omnium Ordinum votis, jureque successionis, Regem constitutum talem quoque agnoscatis, debitoque regiæ Majestatis titulo compelletis, à falsis criminationibus, quibus Serenissimum Regem nostrum, & nos incessitis, quæque animis tantùm irritandis inserviunt, vobis temperetis, tandemque aliquando cogitationem suscipiatis, quemadmodum DEO primùm, deinde Serenissimo Regi nostro, regnique Sueciæ Ordinibus, moti a vobis belli, sangvinisque effusi culpam expietis, & veterem inter hæc regna amicitiam atque conjunctionem, vestrâ culpâ collapsam, restituatis. Quod nisi feceritis, divini numinis vindicta certò certiùs tandem vos corripiet. Quod ad criminationem de arce Dunæmundensi induciarum tempore, contra datam fidem Polonis erepta attineat, eam tanquam â veritte alienissimam, ad cæteras eorum injurias sibi illatas se referre, nullâ enim literâ probari posse, Carolum Regem aut regni Ordines, ullas cum Polonis pactos esse inducias. Illud quidem & se scripsisse & aliis scribendum mandâsse, se à pacis & induciarum tractatione non esse alienos, si earum tractandarum caussâ, ad commodum aliquem in imperio Romano, aut alibi locum, Commissarii utrinque mitterentur, interea autem, dum Commissarii convenirent, deque induciis aut pace certi aliquid concluderent, pars utraque suis rebus, quod ipsi quoque fecerint, consuleret. Nullâ itaq; perfidiâ aut proditione, cujus falsò à Polonis accusentur, sed divino auxilio, militumque suorum virtute, & bellicis machinis, arces sese expugnâsse & Polonis eripuisse, cùm animadverterint, eos malâ fide rem gerere, moræque tantùm trahendæ caussâ inducias quærere, dum res ipsorum, intestinæque in Regno dissensiones componerentur. Se quidem etjamnum à pacis aut longiorum induciarum tractatione minimè abhorrere, & propterea Carolum Regem, simul atq; Ducis exercitus Polonici petitionem cognovisset, plena cum potestate in Livoniam ablegâsse Commissarios suos, Illustres, Magnific. Generos. & Reverendos, Magnum Brahe, Comitem in Visingsberg, liberum Baronem in Ridboholm & Axholm, Regni Sueciæ Consiliarium & Archimarschallum; Nicolaum Bielke, liberum Baronem in Salestad, Ducatus Ostrogothiæ Legiferum; M. Petrum Cenicium, Episcopum Streagnensem; M. Laurentium Paulinum Gothum, Episcopum Scharensem; Ottonem Morner Castellanum Aboënsem, & Philippum à Scheiding, Castellanum Narnensem. Itaque si ejus cupiditas vos tenet, inquiunt, agite, vestri quoque compareant, periculum facturi, quousque res deduci queat. Sin minùs, culpa, ut hactenus, ita deinceps quoque omnis penes vos sit. Se quidem præpotentem DEUM, justæ suæ caussæ, contra vim omnem hostilem, non defuturum sperare. De captivorum permutatione ad Commissarios quoque Polonorum scripsisse, & ut petitioni eorum satisfacerent, hominem quendam è suis, nobili loco natum, Colbergam misisse, qui cum eo, quem Poloni ad eundem locum ablegaverant, de loco & tempore mutandorum captivorum agat atque decernat.

ANNO

ANNO M.DCIX.

M.DCIX.



LTIMO Januarii die, cùm regni Bohemiæ Status Pragæ conventum agerent, & verò Religionis exercitium in universo regno liberum permitti sibi à Cæsare modis omnibus efflagitarent, Cæsar ipsis scripto occluso & obsignato in hanc sententiam respondit: salvâ conscientia suâ, in religionis negotio nihil indulgere se eis & permittere novi posse: sperare autem, Ordines similiter nihil novi petituros, sed pactis & scriptis veteribus, diuturno jam usu receptis ac confirmatis acquieturos: sententiam tamen & voluntatem suam esse, ut Sacerdotes, pro illis, qui sub utraq; (ut vocant) specie, cœnam participant, à Pragensi Archiepiscopo, ordinentur, ne de defectu eorum conqueri quisquam possit. Deinde, ut eis, qui ad illos sub utraque pertinent, in templis eorum, qui sub una sunt, maximè si accessum aliquem ad ea habeant, defunctos suos ad campanarum pulsum, sepelire liceat. Quod ad Picardos, qui de fraterna concordia sese nominant, attinet, eis à religionis suæ exercitio, quod in occultis latibulis peragant, planè abstinere & vel eis sub una, vel eis sub utraque se adjungere debere, ut communibus ceremoniis & sacerdotibus fruantur, cùm eorum religio in Bohemiæ quidem regno nunquam hactenus approbata fuerit. His acceptis literis Ordines, assecurationis à Maximiliano Cæsare, Anno 1575. sibi factæ, literas, aliasque, quas propriâ manu ad Suendium in hanc ferè sententiam scripsisset, quod non permittere velit, ut alicui in Bohemiæ regno vis aliqua ob religionis & conscientiæ caussam inferatur, Cæsari exhibuerunt, addito simul libello supplice in hanc sententiam conscripto, quòd confessio sua in verbo DEI satis fundata sit, & propterea nequaquam pro hæretica, multò verò minùs pro nova haberi debeat. Esse eandem, dicunt, quæ Maximiliano, felicissimæ memoriæ, Cæsari, anno 1575. à parentibus suis, quorum adhuc aliqui in vivis sint, exhibita, ab eoque publicè & privatim admissa fuerit, facta Ordinibus (sine ullo religionis sub utraque discrimine) sufficiente de ea assecuratione, & contra eos, qui eam tanquam juramento suo regio & constitutionibus regni contrariam calumniaturi essent, vindicatione. Esse eam itidem totam Augustanæ confessioni in usu convenientem & consentaneam, quæ in Imperio tanquam toto corpore, admissa, regno Bohemiæ tanquam primario Imperii membro, denegari non possit. Literas illas & pacta vetera, cum omnibus inde dependentibus transactionibus, anno 1567. sublata fuisse: quod verò de illis in constitutione regni adhuc reliquum sit, id non obligare Ordines ad hoc, ut fidem suam aliquis ad alterius nutum componat, sed tantùm ad conservandam Christianam dilectionem, & concordiam mutuam fovendam, ne pars una ab altera opprimatur, sed utraque cultui divino & religioni suæ tranquillè invigilet. Quemadmodum autem Maximilianus Cæsar, liberali pactorum, absque ullo alicujus hominis respectu, relaxatione & sublatione, nihil vel juramento suo regio vel conscientiæ contrarium fecit, ita Cæsaream etiam Majestatem, Ordinibus sub utraque, confessionem & religionem suam absque ullo vel Pontificis Romani vel alterius cujusquam respectu, liberam relinquere, salvâ conscientiâ & juramenti sui regii sanctitate illæsâ, quàm optimè posse, cùm præsertim ipsum jus naturæ requirat, ut cùm Ordines hujus regni in cæteris pares & æquales sint, in hoc etiam capite, quòd animarum salutem concernit, non impares & inæquales censeantur. Facere hoc ipsum ad conservandam dilectionem, concordiam & tranquillitatem publicam. Responsum item in superioribus, anni 1608 Comitiis, Ordines à Cæsarea Majestate, de capite Religionis negotium concernente, hoc ipso conventu, ante omnia dijudicando & componendo, accepisse, ita quidem, ut ad alia propositionis Cæsareæ capita deliberanda accedere, nisi hoc ipso priùs discusso & composito, Ordines, religione tamen interim in eodem, quo ante Comitia fuerit statu permanente, nullo modo teneantur. Cùm igitur inde appareat, Ordinum hanc circa Religionis nego-

M.DCIX. negotium petitionem honestam & piam esse, Cæsareamque Majestatem religionis libertatem, Ordinibus permittendo, Consistorium item & Academiam Pragensem ipsis restituendo, contra juramentum à se præstitum & conscientiam suam facere, ut voti sui compotes fiant, majorem in modum rogant, protestantes simul si nihil obtinere queant, & re infectâ discedere cogantur, se culpam ejus rei non Cæsari, sed illis, qui apud Cæsarem, ne quid proficere hac honestâ suâ petitione possint, technis suis efficiunt, imputaturos.

Die 12. Martii, cùm non cessarent Moravici proceres, Austriacorum negotium summo studio promovere, pacificatio tandem & transactio inter Regem & Evangelicos Status, Leopoldo Archiduce, Nuncio Pontificis, Episcopo Viennense & aliis frustra repugnantibus, facta est, cujus capita hæc ferè fuerunt. Religionis exercitio proceres passim in arcibus, pagis & castris, ut in urbanis ædibus liberè pro se & suis fruantur. Tribus Ecclesiis, Inzersdorffensi, Tribelsvinceliæ & Hornalsensi concionandi exercitium liberum relinquatur. Reliqua templa occlusa, à tribus Romano Catholicis & tribus Evangelicis personis, pro cujusque partis documentis & probationibus, iterum aperiantur, exercitium religionis in illis peragatur. Consiliarii & ad alia officia deputati, ex utriusque religionis hominibus in posterum legantur. Hæreditaria verò officia in antiquo suo statu permaneant. In civitatibus & oppidis electiones personarum ad officia & munera publica sustinenda, à magistratu & civibus fiant, non expectato de illis, ut hactenus factum ab aula responso. Templum in posterum nullum occludatur, sed cuique parti sua tranquillè utenda relinquantur. Concionatores in civitatibus & oppidis eligendi potestatem cives habeant, illisque ægrotos visitare, & cœnam Dominicam ipsis administrare liceat. Juramentum fidelitatis ab Evangelicis, eadem quâ à Pontificis factum ratione, sed non adhibitis tamen Romanæ Ecclesiæ ritibus, sublatâ omni unione & confœderatione, præstetur. Odia, simultates & inimicitiæ, utrinque remittantur, & perpetua oblivione sepeliantur. VVolfgango ab Hoffkirchen, Voultsogio & aliis, qui ob non præstitum fidelitatis juramentum ab officiis remoti fuerant, in gratiam iterum receptis & in loca sua restitutis civitatibus & oppidis supra Anisum, religionis exercitium in suburbibus & xenodochiis habere permittatur.

Post Spinolæ & cæterorum, qui ab Hispaniarum Rege & Archiducibus ad pacem vel inducias tractandas delegati erant, discessum; Franciæ & magnæ Britanniæ Regum Legati nihilominùs ab Ordinibus instanter petierunt, ut actionem continuarent: quòd illi tandem, licèt valdè difficulter, permiserunt. Sic ergo primùm in Montibus ad Somam; inde Antverpiæ prædicti pacificatores 9 Aprilis rursus convenerunt; quorum nomina hæc sunt: Ambrosius Spinola, Marchio de Venafro, Eques aurei velleris, intimus Consiliarius, & generalis belli Capitaneus regiæ Majestatis: Joannes Richardotus, Eques, Dominus in Barly, Consiliarius Status & supremus secreti Consilii apud Archiduces Præses: Joannes Mancicidor, bellicus Consiliarius, & Secretarius regiæ Majestatis: R.P.D. Joannes Naius, generalis Commissarius Ordinis S. Francisci in Belgio: Ludovicus Verreycken, Eques, Audientiarius, & primarius Archiducum Secretarius. Ab Ordinibus deputati fuerunt, Gulielmus Ludovicus Comes à Nassau, Gubernator & Præfectus generalis Frisiæ, Groningæ, Ommelandiæ, Drenthæ, &c. Valranus Dominus à Brederode, & Viana, Præfectus castri Vltrajectensis, Dominus in Armeyen & Clutingen: Cornelius à Gendt, Dominus à Lonen & Meynerswvick, &c. præfectus & judex imperialis territorii & civitatis Neomagensis: Joannes ab Oldenbarnefeldt, Eques, Dominus in Tempel & Rodeneys &c. Advocatus & custos Sigilli & carthophylax Hollandiæ & VVestfrisiæ: Jacobus à Maldert, Eques, Dominus in Heyes, nobilitatem Selandiæ repræsentans, & Consiliarius Statuum ejusdem; Gerardus de Renesse, Dominns ab A, Strefkercken, Nevv-

Nevvfleckerlandt, &c. Gellius Hillama, I. V. D. Consiliarius Frisiæ: Joannes Slot, Dominus in Sallick, Satrapa dominii Vollenhoënsis, & Castellanus in Cunder: Abel Conders ab Helpen, Dominus in Fan & Cantes, Consiliarius Groningensis, &c. Hi omnes Franciæ & magnæ Britanniæ Legatorum interventu (erant hi Petrus Janninus, Eques, Dominus à Chagey & Montieu, Christianissimo Regi à consiliis intimis, Præses, & extraordinarius ejusdem apud Ordines confœderatos Belgii Legatus: Elias de la Place, Dominus in Russy, Vicecomes de Michault, Camerarius ejusdem Regis & judex in Vitry le Francois, ordinarius Regis ad eosdem Ordines Legatus. Angli verò erant, Richardus Spenserus, Baro in VVormeleython, &c. magnæ Britanniæ Regi à Camera, & Consiliis: & Rudolphus Vuivodus, Eques, jam dicti Regis ad confœderatos Ordines Legatus ordinarius) horum, inquam, interventu Antverpiæ in curia de pace sive induciis (quum pacis tractatio nimis difficilis videretur) iterum tractari cœptum est, & post multas disputationes, & ultrò citroque missas tractationes tandem induciæ in duodecim annos, utriusque partis consensu factæ & conclusæ, & decimo quarto Aprilis Antverpiæ publicâ voce præconis, & cum tubarum clangore, promulgatæ sunt, triginta tribus conditionibus sive Articulis comprehensæ. M. DCIX.

I. Primò Serenissimi Archiduces tàm regiæ in Hispania Majestatis quàm suo nomine cum Ordinibus unitarum Provinciarum, tanquam liberis & sui juris Provinciis & Statibus, in quos nihil ipsi prætendunt, agere parati sunt, uti etiam eadem formâ præsentem cum eis contractum fecerunt, in sequentes conditiones.

II. Vt per duodecim proximè sequentes annos fidæ & inviolabiles sint & serventur induciæ, quibus durantibus annis cesset hostilitas, inter omnes & singulos R. M. Archiducum, & dictorum Ordinum subditos, nullo loco, tempore aut personâ exceptis.

III. Vt pars utraque possideat id, quod jam possidet, neque durantibus induciis minima ex parte turbetur: hocque tàm de oppidis & arcibus, quàm de territoriis, pagis & villis intelligatur.

IV. Subditi & inquilini utriusque partis posthac quàm diu induciæ duraverint, bonam amicitiam, correspondentiam & vicinitatem inter se mutuò servabunt, neque quis cuiquam vetus damnum aut odium exprobrabit, aut vindicare præsumet; sed mutua commercia sine impedimento liberè utrinque exercebunt. Id tamen de commerciis vel negociatione regia Majestas intelligi vult & extendi ad illa tantùm regna, provincias & loca, quæ ab ea in Europa possidentur, & ad quæ aliorum quoque Regum & Principum subditi negociandi causâ commeare solent: ab iis verò regnis, insulis & locis, quæ extra Europam sub ejusdem Regis imperio sita sunt, Ordines eorumque subditi abstinebunt, neque eò commerciorum causâ proficiscentur, nisi de expresso Regis consensu. Quod verò attinet ad alia regna, insulas & loca, quæ in Indiis & alibi proprios habent Dominos, & Hispaniarum Regi subjecta non sunt, licebit Hollandis confœderatis iis omnibus in locis commercia sive negotiationem ubicunque eis à Domino loci permissum fuerit, exercere, neque propterea regii Vicarii, Officiarii & ministri cuiquam sive Hollando negociationem ibi exercenti, neque cuiquam Regi, Dynastæ aut populo, Hollandis id permittenti, negocium & molestiam facessent.

V. Quum etiam tempore satis longo opus sit, intra quod præsens hic contractus iis, qui in peregrinis & remotis extra Europam regionibus versantur, notificetur, conclusum est, quod ad hos attinet, induciarum præsentium initium post annum demum ab hodierno die sumendum atque intelligendum esse: post quod omnia hostiliter acta & ablata resarciri & restitui debent.

VI. Sub-

M.DCIX. VI. Subditi utriusque partis non graviora vectigalia, aut portoria aut alia onera solvent, quàm ipsi ejus loci ubi illa solvuntur subditi, aut cæteri amici, vicini & confœderati, qui minimùm solent.

VII. Ordinum subditi in regionibus regiæ Majestatis & Archiducum imperio subjectis eâdem securitate & libertate gaudebunt, quæ magnæ Britanniæ Regis subditis in pace nuper facta concessa fuit, ex vi & tenore eorum articulorum, qui singulariter & in secreto cum Castiliæ Comestabili facti & conclusi sunt.

VIII. Ex iisdem neque mercatores, gubernatores, aut patroni navium, aut ipsum nautarum vulgus, neque eorum naves, pecuniæ, mercimonia, & bona ex ullo generali aut speciali mandato: belli aut odii caussâ, aut etiam sub prætextu regni aut oppidi alicujus eorum servitio defendendi, arrestabuntur. Sub quo tamen non comprehenduntur ea Arresta, quæ per ordinariam viam, debitorum aut aliâ quapiam de caussâ fient, in quibus communis juris ordo servabitur.

IX. Quòd si res ipsa doceat, vectigalia in Belgicis regionibus nimis per bellum aucta fuisse, adeò, ut inde gravia damna & detrimenta negotiationi mutuæ existant: ad requisitionem unius aut alterius partis Commissarii deputabuntur, qui communi consilio omnia ad moderationem quondam redigant; neque tamen si inter eos concordia iniri non possit, propterea induciæ violatæ existimari debent.

X. Si fortè sententia aliqua contra quemcunque, cujus defensionem nemo suscepit aut suscipere ausus fuit, in civili aut criminali caussa lata sit; ea in personis condemnatis, quàm diu induciæ duraverint, executioni mandari non debebit.

XI. Durantibus induciis nemini literæ de Marca (ut vocant) vel Repræsalia aut alia Arresta, causâ non cognitâ, indulgebuntur, nisi in ejusmodi caussis, in quibus illa ex vi Cæsarei juris permissa sunt.

XII. Neutra pars ad alterius portum appropinquabit cum tali numero navium aut classiariorum, qui suspicionem aliquam generare possit, sine ejus, sub cujus imperio portus ille situs est, permissu: nisi fortè quis tempestate aut aliâ necessitate constrictus terram petere necesse habeat.

XIII. Omnes ii, aut hæredes eorum, quorum bona belli vel partium odio arrestata & confiscata fuerunt, durantibus induciis eorundem possessionem propriâ auctoritate, non requisito magistratu, apprehendere rursus poterunt, & iis uti frui, etiamsi illâ confiscatione, donatione, aut alio quóvis modo ad eorum ad quos jure ea pertinent, incommodum vel damnum alienata fuerint; hac tamen lege, ut quàmdiu eorum bonorum usumfructum percepturi sunt, ea neque gravent neque imminuant, aut de iis secundùm suum beneplacitum disponant, nisi ad eam rem expressum consensum ab Archiducibus aut Statibus unitarum provinciarum (respectivè) impetrârint.

XIV. Eo quoque jure sive indulto gaudebunt Principis Auraicensis hæredes, ac præsertim quoad jus, quod habent in salinas quasdam Burgundici comitatus, quarum ususfructus unà cum sylvis & aliis pertinentiis eis restituetur. Quod verò ad processum sive controversiam de castello Bellino in curia Machliniensi contra regium procuratorem olim à dicto Principe institutum attinet, promittunt Archiduces bonâ fide se intra anni spacium, sine ulla longiori mora, ad instantiam prædictorum hæredum & processus continuationem, ut sententia justa feratur, procuraturos.

XV. Si à procuratore vel à judice Fiscali bona confiscata vendita fortè fuerint, ii, ad quos ea jure & ex vi contractus hujus pertinent, usura ejus summæ pro qua illa vendita fuerunt, sive eo, quod interest, contenti erunt, uno scilicet

è denis

è denis fenis numo ; qui à possessoribus dictorum bonorum durantibus induciis fideliter solvetur; si autem illi in mora fuerint, proprietariis è fundis ipsis & summâ capitali satisfiet.

XVI. Si verò ejusmodi bona judicialiter à magistratu vendita sint, ad exonerandaeorum, quorum illa fuerunt, antequam confiscata fuerant, debita, iis eorumque hæredibus, aut ad quos ea jure pertinent, redimendi ea facultas concedetur: sic tamen, ut intra anni spacium à conclusione prædicti contractus precium ab eisdem restituatur & solvatur; elapso verò hoc constituto termino, iisdem ea retrahere aut redimere non permittetur. De redemptis verò hoc modo bonis pro lubitu suo statuere ac disponere, sine novi impetratione mandati vel indulti, iisdem fas erit.

XVII. Hæc tamen Redemtio sive Retractio locum non habebit in domibus sive ædibus oppidorum, ex suprà dicta caussa, distractis & venditis, propter magna incommoda & detrimenta, quæ ejusmodi restitutio eis, qui eas jam possident & inhabitant, allatura esset, utpotè in quibus mutandis, restaurandis & reædificandis immensi facti interea sunt sumptus: quorum omnium rationes inire difficilè nimis & longum foret.

XVIII. Quod verò ad reparationem sive meliorationem attinet aliorum bonorum, quorum Redemptio sive Retractio ex vi hujus contractus permittitur; judices cujusque loci in rem præsentem venient, & habitâ inspectione, factisque probationibus, quod justum fuerit, pronunciabunt: interea verò apud eos, qui meliora à se facta illa demonstraverint, bona sive prædia hypothecæ loco manebunt; nec tamen emtoribus ad sibi ipsis satisfaciendum, jus Retentionis concedetur.

XIX. Si fortalitium aut aliud aliquod novum opus ab alterutra parte ex permissu Dominorum ejus loci, ubi Restitutio ex vi hujus contractus fieri debet, erectum aut factum fuerit: Domini sive proprietarii eorum locorum eo quod ordinarii judices deberi ipsis judicaverint (si partibus inter se non conveniat) contenti erunt.

XX. Quod ad bona Ecclesiastica cujuscunque generis in unitis provinciis sita, sed ad Ecclesias, collegia, cœnobia, pias domos sub Archiducum imperio pertinentia, attinet; ea quidem quæ à 1. Januarii anni 1607. nondum vendita fuerunt, restituentur, eorumque possessionem iis, quorum sunt, non requisito magistratu, apprehendere fas erit, & eorum usumfructum quàm diu induciæ duraverint percipere, non tamen de iis pro lubitu suo disponere, aut statuere: quæ verò antè jam dictum diem vendita fuerint, aut à Statibus alicujus provinciæ aliis solutionis loco tradita & assignata; ea Provincia, à qua illa vendita aut assignata sunt, usuram (decimum sextum quemque scilicet nummum) universi precii solvet. Idem planè a parte quoque Serenissimorum Archiducum ad eundem modum fiet.

XXI. Qui bona confiscata ex vi hujus contractus restituere cogentur, non tenebuntur unà cum illis nondum solutos reditus reddere, aut alia prædidictis bonis privato nomine imposita gravamina sustinere: ac si quis eo nomine conventus aut in judicium vocatus fuerit, immunis & liber pronunciabitur.

XXII. Eodem modo ex vi hujus contractus nemo quidquam in ea bona, quæ vel vendita, vel meliora à quoquam facta fuerint, præter id, quod jus & æquitas postulat, ad quod illa obligata fuerint, postulare præsumet.

XXIII. Sententiæ sive res judicatæ contra eos, qui legitimum agnoverunt judicem, & ab eodem vocati, in judicio comparuerunt, & auditi & defensi sunt, legitimè latæ, ratæ habebuntur, neque quisquam iis contradicere volens, nisi per ordinariam juris viam, admittetur.

XXIV. Tam

M.DCIX. XXIV. Tàm Sereniſſimorum Archiducum, quàm illuſtrium Ordinum nomine, homines apti & idonei conſtituentur, qui iis in locis, oppidis & caſtellis, quæ proprietariis ex vi hujus contractus, durantibus his induciis poſſidenda reſtitui debent, juſtitiam & politiam adminiſtrent.

XXV. Bonorum mobilium in fiſcum redactorum uſusfructus ante tractatus hujus concluſionem, percepti à nemine poterunt repoſci.

XXVI. Omnes mobilium bonorum actiones, quæ vel ab Archiducibus aut Statibus unitis ante 1. Januarii anni 1607. ad utilitatem particularium debitorum remiſſæ fuerint, utrinque extinctæ manebunt.

XXVII. Tempus à primis ferè belli motibus, nempe ab anno 1567. ad præſentem uſque elapſum, inter eos, qui à diverſis partibus ſteterunt, nullam præſcriptionem inducere aut cauſſari poterit.

XXVIII. Qui durante bello in locis neutri parti addictis vel obnoxiis vixerunt & adhuc vivunt, hujus quoque tractatus beneficio gaudebunt, & quocunque voluerint commigrandi, ad priſtinum domicilium revertendi, ibique tutò & ſecurè degendi licentiam habebunt: ita tamen, ut ſecundùm cujuſque regionis, oppidi & loci leges & jura vitam inſtituant & agant: neque eam ob cauſſam, quòd ſcilicet alibi etiam quocunque in loco aut regione habitaverint, lis eis intendetur, aut bonis eorum manus injicietur.

XXIX. Quàm diu induciæ præſentes duraverint, nulla nova fortalitia ab alterutra parte in quacunque Belgii provincia extruentur.

XXX. Domini & Comites Naſſovianæ familiæ, quàm diu præſentes induciæ duraverint, neque ob debita ab Auraicenſi quodam Principe ab anno 1567. uſque ad obitum ipſius contracta, ut nec ob reditus non ſolutos ex eis bonis, quæ fiſco hactenus applicata fuerunt, ullo modo vel quoad perſonas, vel quoad bona eorum appellari, conveniri, aut turbari poterunt.

XXXI. Si fortè (quod abſit) ab homine aliquo privato aut ſingulari, abſq; juſſu aut conſenſu regiæ Majeſtatis, Sereniſſimorū Archiducum, aut illuſtrium Statuum, contra præſentes has inducias tentatum fuerit, damnum quidem eo in loco ubi contraventio facta fuerit, reſarcietur, ſi tamen incuriæ auctores ibi deprehendantur, ſin minùs, ad eorum patriam & domicilium recurrendum, deque damni ſatisfactione agendum: extra prædicta verò loca ab omni contra eos actione, aut tàm in perſonis, quàm in bonis perſecutione abſtinendum erit. Neque ob talem cauſſam alterutri partium fas erit arma rurſus arripere, & inducias violare aut tollere: ſi tamen alicui apertè vis & injuria facta eſſet, eique juſtitia denegaretur, ei uſitatis in ejuſmodi caſu, Repræſaliorum ſcilicet, Arreſtorum & ſimilibus remediis uti licebit.

XXXII. Omnes Exhæredationes & diſpoſitiones, partium aut belli odio factæ, caſſæ & irritæ habebuntur, perinde ac ſi nunquam factæ eſſent.

XXXIII. Omnes ſubditi & inquilini tàm ſub Archiducum quàm Ordinum imperio, cujuſcunque ſtatus aut conditionis fuerint, ſucceſſionis in hæreditatibus tàm ex Teſtamento quàm ab inteſtato, ſecundùm cujuſque loci jura & ſtatuta, adeundis, capaces & ad eam habiles pronunciantur: ac ſi fortè ante hoc tempus aliqua ad aliquem devoluta eſſet aut delata hæreditas, ei illa ſalva atque integra erit, & fruenda concedetur.

XXXIV. Omnes in bello utrinque capti, ſine lytro liberi dimittentur.

XXXV. Quo verò præſens hic contractus in omnibus & ſingulis exactiùs ſervetur & cuſtodiatur; tàm regia Majeſtas & Sereniſſimi Archiduces, quàm illuſtres Ordines pro ſe quiſque promittunt, ſe pro ſua quemque virili, & in ſua quemque ditione omnibus viribus eò incubituros, ut maria omnia, flumina, itinera, viæ, piratis & prædonibus purgentur, & libera ac tuta habeantur, utque latro-

latrones & piratæ à se deprehensi, severis suppliciis sine ulla conniventia afficiantur. M.DCIX.

XXXVI. Iidem pollicentur & recipiunt, nihil se contra præsentem hunc tractatum sive contractum, aut in ejus præjudicium facturos, aut directè vel indirectè, ab aliis fieri passuros; si quid verò contrà factum fuerit, id se sine ulla recusatione aut mora restauraturos. Et quò meliùs atque exactiùs omnes suprà positi Articuli inviolati serventur, & regia Majestas cum Serenissimis Archiducibus tàm suo quàm successorum nomine, & illustres Ordines sese obstringunt, & ad majorem vim hujus contractus, omnibus juribus, legibus & consuetudinibus, omnibus denique ullo modo præsenti contractui repugnantibus, renunciant, eaque à se abdicant.

XXXVII. Præsens hic contractus ab iisdem, regiâ nempe Majestate, Archiducibus & Ordinibus, approbabitur & ratificabitur, & literæ ratificatoriæ inter dictos Serenissimos Archiduces & illustres Ordines, in debita forma intra quatriduum expediuntur, & ab una parte alteri tradentur. Quod verò ad regiæ Majestatis Ratificationem vel Approbationem attinet; dabunt operam, Archiduces, hocque ipso sese obstringunt daturos se operam atque effecturos, ut intra trimestre ea itidem in debita forma à regia Majestate impetretur, & Ordinibus tradatur, sic ut Ordines & eorum subditi tutò ac securè omnibus hujus Contractus beneficiis & fructibus gaudere atque uti frui possint.

XXXVIII. Contractus hic omnibus in locis, ubi mos est, publicè proclamabitur & promulgabitur; & quàm primùm Ratificatoriæ literæ inter Archiduces & Ordines mutuò traditæ fuerint, omnis sistetur & in posterum cessabit hostilitas.

Acta hæc & conclusa sunt in curia Antverpiæ, 9. Aprilis anno 1609. & à suprà dictis Dominis Legatis, arbitris & deputatis subscripta.

Induciæ hoc modo factæ & à Comite Mauritio & Ordinum deputatis (qui frequentes interea Bergopsomam ultra septuaginta confluxerant, & de iis, quæ à suis monebantur, quotidiè consultabant) approbatæ; primùm Antverpiæ, uti suprà dicere cœpimus, 14. Aprilis, magnâ totius populi lætitiâ præconis voce his ferè verbis patriâ lingvâ conceptis, publicatæ sunt.

Notum sit omnibus & singulis, quòd ad DEI omnipotentis honorem, ad quietem & tranquillitatem totius Christianæ Reipublicæ, inprimis verò Belgicarum provinciarum, firmæ, sinceræ, & inviolabiles induciæ in duodecim proximè sequentes annos, inter regiam in Hispaniam Majestatem & Serenissimos Archiduces, supremos nostros Principes ab una, & illustres Ordines Unitarum provinciarum ab altera parte, tàm mari, quàm terrâ, pro omnibus & singulis eorum utrinque subditis, cujuscunque status aut conditionis illi fuerint, factæ sunt, hoc modo: ut intra prædictum tempus omnis vis utrinque abstineatur; subditis verò ab utraque parte liberum sit mutua commercia exercere, regiones alterius partis imperio subjectas adire, in iis pernoctare, commorari, ad eas domicilium rursus transferre, & bonis suis cuilibet, sine ullo impedimento uti frui, uti latiùs patet ex articulis conceptis, propediem divulgandis. Quocirca præfatorum Serenissimorum nostrorum Principum nomine omnibus & singulis subditis, severè ac seriò mandatur, ut prælibatas inducias inviolatas servent, neque vel minimum quid contra eas tentent. Quòd si quis contra eas quid præsumpserit, is sciat se eam pœnam, quâ pacis infractores & turbatores affici solent, non evitaturum.

His perlectis, & ingenti tubarum clangore, nec non dulci Musicæ harmoniæ concentu edito, majora tormenta tàm in arce quàm oppido, ut & in navibus bellicis, exonerata sunt, tum variæ passim inter cives & peregrinos epulæ instructæ & genialiter celebratæ: inter quas publicum unicum deputatis in

O curia

M. DCIX. curia fuit præbitum, ubi convivis Hispaniarum, Franciæ & magnæ Britanniæ Regnm, itemque Archiducum & Comitis Mauritii salus plenis faucibus fuit propinata.

Vespere ejusdem diei maxima totius urbis campana (quod aliàs rarò fieri solet) pulsata est, & tonitrua è machinis majoribus iterata. Sub primum noctis crepusculum, civium tribus è publicis suis ædibus, ut & alii cives per compita passim & plateas ignes passim in publicæ lætitiæ signum excitârunt; sic ut tota urbs ignibus collucerer, ac nox in diem mutata videretur. Confluebant quoque inter se vicini, & per lætitiam convivia agitantes, alter alteri amicos haustus propinabat, DEO gratias agentes, quòd tandem illum diem præter spem adspexissent, quo cum Vnitarum provinciarum subditis, non lingvâ tantùm & ratione, sed sangvine etiam & affinitate sibi conjunctis, rursus vivere, commercia exercere, per eorum regiones & opida iter facere, ibique commorari liceret. Ex Hollandia quidem & Selandicis Insulis tanta multitudo populi Antverpiam quotidiè confluebat, ut naves vectoribus non sufficerent. Middelburgo quidem uno die inter viginti & triginta naves Antverpiam contendentes numeratæ sunt; quamvis non passim omnes intromitterentur, quòd quæ ad liberos commeatus & ejusmodi spectant, nondum constituta essent. È Bommelano oppido Sylvamducis tam frequens quotidiè turba commeabat, ut perpetua quædam videretur processio. Antverpienses verò cives rursus in proximos pagos, Marchionis Leydam, Burgerhoutum, Berchomum, &c. sese catervatim conferebant, alii ut animum recrearent, alii ut vetera, sed jam belli injuriâ vastata & collapsa domicilia refici curarent, conductis passim magnâ mercede operariis.

Ordines quoq; Vnitarum provinciarum, DEO pro restituta pace agendas gratias censuerunt; eoq; supplicationum & jejunii diem per omnes sibi parentes provincias indici ac publicari jusserunt, circummisso sequentis argumenti passim ad omnes Ecclesias & Magistratus tàm urbium quàm vicorum mandato.

Quandoquidem DEO Opt. Max. pro immensa sua & inexhausta misericordia tandem complacuit, post tàm diuturnum, damnosum & cruentum civile bellum, per 40. ferè continuos annos summis viribus utrinque gestum, præter omnem omnium hominum spem & opinionem, utriusq; belligerantis animas ita disponere ac regere, ut ad faciendas in annos duodecim, & servandas terrâ ac mari inducias, omnesque hostiles sistendas in posterum & tollendas actiones tàm Hispaniarum Rex & Archiduces, quàm Vnitarum, harum provinciarum Ordines induci se passi sint; ex his verò induciis spes sit fore, ut honesta tandem, firma ac certa pax existat, ad conservandas harum regionum libertates, jura & privilegia (qui præcipuus scopus semper fuit, ad quem Ordines collineârunt, & ob quem etiam tanta cum patientia exitum hujus belli tanto jam tempore exspectârunt) modò nos divino hoc beneficio dignos nos exhibeamus, idque gratâ mente à divina Majestate agnoscamus & comprecemur, pro eo debitas ei gratias agamus, ac DEI verbum non recipiamus tantùm & amemus, verùm etiam secundùm ejus normam vitam nostram omnesque actiones instituamus: Eam ob caussam Illustrissimis ac Potentissimis Dominis Ordinibus generalibus Vnitarum provinciarum, divinum hoc & maximum beneficium pro ea, quâ sunt erga DEUM & patriam pietate, probè ac sapienter expendentibus necessarium visum est, ut per omnes Confœderatas provincias in omnibus urbibus, oppidis & pagis, ad 6. diem Maji supplicationes habeantur, isque dies jejuniis & precibus transigatur, ac DEO pro tàm immenso beneficio in concludendis his induciis præstito, gratiæ agantur, ejusque divina misericordia imploretur, ut is in posterum quoque eandem gratiam omnibus & singulis his provinciis exhibere, in eis divinum suum quotidiè magis ac magis propagare,

ac eas-

ac easdem omni prosperitatis & benedictionis tàm temporalis quàm spiritualis cumulare,tandem verò optatissimam pacem largiri, ac sub bene constitutæ Reipublicæ forma,provincias omnes in firma concordia atque amicitia incolumes ac florentes conservare,& omnes,quæ contra earundem salutem aut felicitatem vel clàm vel palàm suscipi possunt, machinationes eludere atque avertere clementissimè dignetur. Requirimus ergo,postulamus, volumus ac mandamus, ut diem hanc supplicationum & jejunii maturè publicetis ac promulgetis, jubeatisque, ut omnes ac singuli toto eo die pietatis operibus vacent, ab omnibus verò laboribus, ludis, conviviis & ejusmodi rebus abstineant, quibus sanctum hoc institutum prophanari posset: sub gravi pœna in eos, qui contra deliquisse deprehensi fuerint constitutâ. Datum Hagæ-Comitis vigesimo secundo Aprilis anno 1609. M.DCIX.

Confectis hoc modo in Belgio duodecennalibus induciis, Galliarum & magnæ Britanniæ Regum Oratores sive Legati in Hollandiam reversi, & magno ubique plausu excepti; ab Ordinibus deinde, datis lautiis omnibusque expensis solutis, liberaliter accepti, & torquibus aureis donati, ad Reges suos redierunt.

Interea Serenissimi Archiduces omnem diligentiam, in impetranda Hispaniarum Regis super induciis Confirmatione vel Ratificatione, adhibuerunt; quæ tandem ex Hispaniis allata, & à dictis Archiducibus per Audientiarium Verreikium ad Ordines Hagam-Comitis missa est, in hanc sententiam concepta.

Viso induciarum à Serenissimo nostro fratre & sorore Alberto & Isabella Archiducibus, tàm suo quàm nostro nomine, cum Unitarum provinciarum Ordinibus de nostro consensu factarum argumento & articulis, omnibusque diligenter perpensis; Nos quantum ad nos attinet, prædictas inducias laudamus, approbamus & confirmamus, mandamus insuper ut toto illo constituto tempore perfectè ac plenè eæ serventur: speramus autem vicissim à præfatis Ordinibus, durantibus his induciis, Catholicos qui inter ipsos sunt, bene tractatum iri. Promittentes & assecurantes, in fide & verbo Regio, omnia nos punctualiter facturos, neque quidquam contrà molituros, in cujus rei fidem sua Majestas præsentibus subscripsit, & regium suum sigillum apposuit. Datum Segoviæ 7. Julii 1609.

Yo el Rey

ex jussu Regis Domini nostri

Andreas de Prada.

Ex orientali India sub initium Septembris anni superioris reversus classis Hollandicæ Architalassus Cornelius Matelifius, relictâ in portu Selandico navi suâ, gemmis, aromatibus & serico, aliisque magni pretii mercibus oneratâ, Hagam-Comitis ad Mauritium profectus est, rerum Indicarum statum ei quàm primùm expositurus, quòd abundè etiã cùm in cœna ei assidere jussus esset, præstitit, inter alia significans, plures subinde per Indiam Reges amicitiam & familiaritatem Hollandorum expetere, seq; duos à Sionis Rege Legatos secum attulisse, à quibus salutem & munera accepturus esset. Viri isti duo sequenti die, qui 14. Septemb. erat, ad Mauritium prodire jussi, ut in conspectum ejus venerunt, in genua statim procedentes, complicatas manus fronti admovebant, capitibusq; suis terram ter contingentes ad passus aliquot proserpebant, surgere deinde jussi demissis in terram capitibus, donec manus ipsis præberet Mauritius taciti stabant, tum verò per sedecim annorum puerum Batavum, qui ad annos sex in regione ista fuerat, lingvamque eorum didicerat, Mauritio significabant, se à Rege suo terram istam perlustratum, missos esse, qui amicitiam & familiaritatem Regis Mauritii (sic enim eum, more suæ gentis nominare omninò volebant) modis omnibus expeteret, & in confirmationem testimoniumque bene-

M. DCIX. voli sui erga eum animi, munera quædam ei offerenda misisset. Erant autem hastæ quædam missiles arundineæ præacuto & affabre facto ferro formidabiles, bombardæ duæ nostratibus, quibus fomites incendiarios adhibemus, similes, quarum altera quatuor pedes longa, trajiciendis & conficiendis Elephantibus apta dicebatur; gladii item duo vaginis ex lamina aurea constantibus inserti; Flabella duo movendo aëri accommodata, & duæ cistulæ, probè obseratæ atque occlusæ, quibus literæ Regis & annuli duo aurei pretiosissimis gemmis exornati asservabantur. Hæc quidem munera erant Principi Mauritio oblata, quæ ille accipiens, se paratum fore cum suis, omnem Regi isti benevolentiam declarare testatus est, cumque liberaliter eos per dies aliquot habuisset, muneribus quibusdam aliis instructos Amstelrodamum deduci jussit, ut primâ occasione ad Regem & Dominum suum reverterentur. Rex alioquin iste potentissimus perhibetur, qui quatuor vel quinque sibi subjectos Reges alios habeat, & in bellum cum trecentis armatorum millibus, bis mille Elephantes secum ducendo, procedere possit, amicitiam colit cum vicino Chinæ Rege, cujus regionem ad Septentrionem contingit, unde spem habent Hollandos fore, ut ad Chinæ regnum Regis hujus interventu aditus ipsis aliquando patefiat.

Durante adhuc pacis tractatione, Gonzaga Dux Mantuæ, ex aquis Spadanis in Belgium venit, salutatisque Bruxellæ Serenissimis Alberto & Isabella Archiducibus, in Hollandiam trajecit, & primò Dordracum appulsus, sequenti verò die Roterdamum & Delphos profectus, Lugdunum Batavorum versus iter suum statim direxit. In itinere inter Delphos & Lugdunum à Spinola, Comite Mauritio, Guilielmo & Henrico Friderico Nassoviis, exceptus atque salutatus est. Inde cùm spacia aliquot in Mauritii curru cum prædictis Dominis sedens confecisset, Lugdunum præproperavit, deducente eum Henrico Nassovio, cæteris verò Hagam-Comitis reversis. Postea unius tantùm diei morâ Lugduni factâ, lustrataque Academiâ, per Harlemum, Amstelrodamum contendit, ad inspiciendam ejus urbis magnificentiam & navalem apparatum. Harlemum inde reversus, hilariterque à Magistratu exceptus, ibi pernoctavit. Sequenti verò die per Falcoburgensem pagum, ubi celeberrimæ tum equorum agebantur nundinæ, secundùm maris littus, Hagam-Comitis venit, Spinola, Comite Mauritio aliisque eum magno curruum numero obviam ei progressis. Transactâ ibi eâ nocte, & salutatis cum Auraici Principis vidua, Mauritii matre, tum Regum quorundam Legatis, conscensa Mauritii celoce in Brabantiam rediit, ita ut nullibi subsisteret, sed cursim Hollandiam paucorum dierum spacio ferè totam perlustraret.

Eodem tempore quadringenti circiter Galli milites, Amstelrodamum appulerunt, in Livoniam ad Suecorum castra profecturi, quos plures adhuc propediem subsecuturi dicebantur. Rigam enim tum adhuc obsidebat Carolus eamque extructis & occupatis non procul ab urbe munitionibus quibusdam valde affligebat. Sed & portum idem octodecim navibus obstruxerat, è quo cùm Hollandicæ & Anglicæ aliquot naves frustra jam diu egrediendi occasionem expectâssent, tandem naves aliquot incendiarias, vento & flumine secundo contra Suecorum classem egerunt, è qua correptis aliquot incendio, cæteræ fugâ sese inde abripuerunt, atque ita evadendi Hollandicis navibus locum reliquerunt. Paulò pòst obsidentes Suecos, Corcovitsius Polonorum Dux aggressus, cum commeatum ipsis interclusisset, Rigenses obsidionis molestia magna ex parte liberavit. Accessit & tempestas, quâ non paucæ Suecorum naves afflictæ & perditæ fuerunt, cumque ad Narvam regiones suas invasisse Poloni dicerentur, obsidionem, ut suis auxilio veniret, solvere, coactus tandem Rex Carolus fuit, præsidio interim firmo admodum Dunamundæ & aliis in munitionibus relicto.

De Co-

De comitiis Bohemicis, Pragæ vicesimo octavo Januarii die inchoatis suprà dictum est. Nihil autem Romano-Catholici intentatum eo tempore reliquerunt, quo Status Evangelicos & in summum odium apud Imperatorem inducere, & inter se separare & disjungere atque omnia illa, quæ superiori anno in publicis itidem Comitiis Imperator Evangelicis Statibus in religionis negotio promiserat, irrita facerent. Cùm igitur non auderent, cum Evangelicis Statibus verbo DEI congredi, confessionemque eorum ex verbo DEI palàm oppugnare, proferebant sanè contra eam in medium, vetera quædam jam pridem abrogata & antiquata Comitia, victique tum aliorum authoritate, tum Cæsaris Maximiliani, piæ & sanctæ memoriæ, assecuratione, persuaserunt Imperatori, Regni jura & Regis juramentum, ad illos saltem sub utraque, specie, ut vocant, communicantes, extendi, quorum Sacerdotes ab Archiepiscopo Pragensi ordinarentur, & quòd Romanum Pontificem pro capite Ecclesiæ agnoscerent, inque omnibus cum eo consentirent, excepto calicis in cœna Dominica usu, qui tamen usus iisdem veluti per Interim, hoc est, per conviventiam aliquam, ad certum tempus concessus fuerit, juramentum, quo Consistoriani Sacerdotes Pragenses Archiepiscopo obligantur, pro confirmatione proferentes. Hanc juris provincialis & juramenti Regis interpretationem cùm ægrè ferrent Bohemi, utpotè nihil eorum neque in jure provinciali, neque in juramento, Regis reperiri videntes, prolatis Imperatori evidentissimis suis documentis. & delectis aliquot viris ad Imperatorem missis, verba faciente ex præscripto, Germanica lingva, Comite Joachimo Andrea Schliccio, petierunt, ne sua Cæsarea Majestas fidem illis adhiberet, qui ad Status Evangelicos disturbandos, tàm iniquè & jura provincialia & juramentum Regis interpretarentur. Juramentum enim Regis & subditorum, esse res reciprocas, ita ut uno ruente atque subverso, & membris & capiti (quod DEUS avertat) metuenda ruina sit. Cæterùm Imperatore Status, ad supremos Religionis Pontificiæ Regni Officiales remittente, cùm nihil quicquam categorici responsi extorquere ab illis potuissent, re deliberatà, cùm viderent Status Evangelici in quanto periculo vitæ, honoris & bonorum, cum uxoribus, liberis subditisque versarentur, pro proscriptis quasi jam haberi cœpti, protestationem in publicis Comitiis exhibent, diem sibi in curia novo Pragensi, quartum Maji nominantes, quo convenirent, & de rebus ad negotium hoc pertinentibus deliberarent. Verba tum faciebat VVenceslaus Budovitsius Baro Bohemus, protestationemque hanc factam dicebat ad bonum Cæsaris & publicam totius Regni tranquillitatem promovendam, tum ad informandum, ne Rex & Regnum ob iniquos illos Consiliarios in extremum periculum conjiciantur. M. DCIX.

Solutis primo Aprilis die Comitiis, Status Evangelici mirâ celeritate Legatos suos ad Hungariæ Regem, Electoresque & Principes Imperialios ablegârunt, intercessione eorum apud Majestatem Cæsaream in obtinendo libero religionis suæ, quæ cum Augustana confessione per omnia consentiat, & Maximiliano quondam Cæsari exhibita fuerit, exercitio, juvari sese expetentes, & ad Regem quidem, Matthiam, Henricus Matthæus, Comes Turonensis, Rudolphus Stubenbergius, Nicolaus Vratislaus de Bubna, Nicolaus Bertscoroscius & Julius Pergerus, Primas novo Pragensis: Ad Electorem Palatinum Ducem VVirtembergicum & Marchionem Anspachensem, Georgius VVartenbergius, Gulielmus VVentzelius de Rapau, VVentzelius Stiastimus Costitsius, Henricus VVudevitsius, Martinus Hermodinius, & Paulus Smidolinus; Ad Electorem Saxoniæ Joachimus Andreas Comes à Schlick, Fridericus à Bilau, Johannes Abrahamus Sollhausius, Casparus Lucius, & Joannes Kirchmejerus, veteris Pragensis judex Cæsareus; Ad Electorem Brandenburgensem & Ducem Brunsuicensem Albinus Comes à Schlick, Christianus de Ruppau, Joannes Gui-

M. DCIX. nes Guilelmus Vtſeſovitius, Caſparus Coplitſius, & Andreas Burchardus Pragenſis Primas, profecti ſunt.

Die viceſimo quinto Martii Joannes Guilielmus Dux Juliacenſis, Clivenſis & Bergenſis, inteſtino quodam morbo laborans, cùm pauló antè, venatione ſeſe oblectaſſet, ſubitanea ferè, ſed placidâ tamen morte extinctus, magno cum ſubditorum dolore, & ob ſucceſſionem, cùm hæredes poſt ſe nullos reliquerit, metu, obdormivit. Statim enim non Coadjutor ſolùm Colonienſis patentes literas & inſignia ſua paſſim in pagis affigi curavit, quæ Juliacenſes tamen & Bergenſes Officiarii removeri iterum, ne quid in legitimorum hæredum præjudicium fieret, juſſerunt, ſed & quinto Aprilis die Illuſtriſſimus VVolffgangus Guilielmus Comes Palatinus Rheni, Princeps Neoburgicus, Duſſeldorpium magnâ celeritate, poſſeſſionem iſtarum regionum apprehenſurus advenit, qui, cùm Brandenburgici Electoris delegati paulò antè eò jam adveniſſent, poſſeſſionemque ibi, ut & in civitatibus quibuſdam aliis apprehendiſſent, rogantibus ita Juliacenſium Statuum Primoribus, ne tumultus aliquis in urbe oriretur, in arcem Benradiam, donec conventus aliquis generalis inſtitueretur aulicis quibusdam eum comitantibus conceſſit.

Inde poſtmodò duodecimo Aprilis die, datis ad Conſiliarios Juliacenſes literis, non dubitare, ſe profitetur, quin quid de ſua in principatum Juliacenſem, Clivenſem & Bergenſem prætentione, Duſſeldorpii, Dinslaci & alibi ipſis coràm ſignificârit, recenti adhuc teneant memoriâ, ſperare etiam ſe, non de ſuo ſolùm erga principatum iſtum & omnes ejus ſubditos favore fideliquе affectu, ſed & de matris ſuæ ad ſucceſſionem jure legitimo, argumentorum ſatis inde colligere eos potuiſſe, pro pleniori tamen eorum informatione intermittere non poſſe, quin iſtius, legitimo modo ad ſe primogenitum, à matre ſua derivati juris, ex veris fundamentis deductionem, Conſiliariis Ordinibusque exhibeat, petere igitur, ut cognitâ inde & perſpectâ cauſſæ ſuæ æquitate, conventum generalem pro componendis omnibus diſſenſionibus quàm primùm inſtituant, & nihil interea in matris ſuæ ſuique juris præjudicium à quoquam fieri permittant, perſuaſum ſibi omninò habentes, ſe nemini quicquam præjudicatum aut præreptum, nihilque, niſi quod ad pacem tranquillitatemque & ſalutem regionum iſtarum faciat quæſitum velle, quin & honeſtam legitimamque cauſſæ ſuæ promotionem favore ſuo in fidelibus Conſiliariis proſecuturum eſſe.

Interea Legati Brandenburgici patentes, Duſſeldorpii & in omnibus aliis Juliacenſis Ducatus locis, literas affigentes, Electorem Brandenburgicum cohæredem nullum admittere in ſucceſſionis ſocietatem poſſe proteſtati ſunt, verùm eo cognito Neoburgicus inſignia itidem ſua cum patentibus literis paſſim illis conjungi curans, poſſeſſionem ſimiliter apprehendit. Cæſar autem dum hæc ita fierent, miſſis ad Conſiliarios Juliacenſes literis, uti cum relicta defuncti Ducis vidua Rempublicam adminiſtrarent, & neutram partem in poſſeſſionem, donec de eorum jure plenius cognoſceretur, admitterent, ſerio imperavit.

In Auſtria cùm Statuum Evangelicorum petitioni ſatisfactum eſſet, Regi Matthiæ à trecentis perſonis viceſimo quarto Apr. die juramentum fidelitatis, præſtitum, factaque frequenti tormentorum diſploſione ſplendidiſſimum convivium celebratum eſt, hæreditaria officia, perſonis illis, ad quas à multis annis ſpectârunt, in eo adminiſtrantibus.

Eodem die Hanſeaticæ quæ vocantur Civitates ſcriptum aliquod pro defendenda & à quorundam importunis clamoribus vindicanda ſuâ ſocietate in lu-

in lucem ediderunt. Principiò autem tametsi recordari non possint, quòd alicui ad suum illud à multis annis hactenus continuatum foedus, ejusque statum laudabilem vel odio prosequendum, vel verbis asperioribus dehonestandum & criminandum, occasionem ullam dederint, multò minùs verò unquam ab initio Collegii sui, quod ad annos jam quadringentos per gratiam DEI perstiterit, ad ullas immoderatas actiones, utpote ad conspirationes, factiones, seditionesque alias, operam suam contulerint, sed in terminis honestae, salutaris & irreprehensibilis societatis semper sese continuerint, ita quidem ut ad praesentem usque diem nec Imperator Romanus, nec Princeps quisquam alius de ea conqueri jure potuerint, comperisse tamen sese dicunt, inconsideratos quosdam & leves reperiri scriptores, qui ad captandam peculiarem apud alios gratiam, societatem istam suam malitiosè criminari, & vetitam conspirationem illicitamque factionem nominare nihil vereantur, unde Principes etiam aliqui ex praeconcepto adversus primarias quasdam societatis istius urbes odio, conventus à societate ista pro comparandis necessariae defensionis mediis aliquando habitos, ad seditionem & tumultus alios excitandos comparata conventicula nominare, ipsos verò conventum agentes Senatores, conjurationis alicujus in Caesareae Majestatis Circuloque Saxonico Praefecti contemptum vergentis & ad pacis publicae perturbationem, subditorumque adversus ordinarium suum Magistratum periculosam inflammationem & exacerbationem directae, dum de constituendis sibi externis quibusdam belli praefectis deliberârint, in publicis programmatis insimulare non dubitârint. M. DCIX.

Se quidem necessarium non putare de veteris sui honesti, DEOque & toti mundo notissimi Collegii statu disputationem jam instituere; multò minùs verò de necessitate conventus sui, rebusque, de quibus in eo actum, rationem invidis suis reddere, ne tamen objectiones istae suspicionem aliquam de conventu isto suo in honestorum virorum animis movere possint, testari se affirmant, ignotum sibi non esse, quòd tàm aurea Caroli IV. constitutio. Anno 1356. facta, quàm ipsum etiam jus civile, omnes inhonestas conjurationes & conventicula improba, sub amissionis omnium privilegiorum Caesareorum poena, rejiciant, detestentur & damnent, certos autem esse se, neminem fore, qui confoederationes ejusmodi inhonestas se fovere, aut conventicula illicita agitare, unquam sit demonstraturus. Collegium enim suum ante & post constitutionem istam Caroli IV. (qui in specie illud etiam confirmârit) à Romanis Imperatoribus, Regibus, Electoribus, Principibus & Repuspublicis ferè Christianis omnibus, per Hispaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Daniam, Norvvegiam, Suetiam, Poloniam, Moscoviam, Florentiam, Austriam, Burgundiam, Venetias, Genuam, &c. pro honesta, utili & laudabili societate habitum semper, & multis privilegiis immunitatibusque donatum esse. Quinimò Romanos Imperatores id egisse semper & procurâsse sedulò, ut foedus illud Hanseaticarum civitatum sartum tectumque conservaretur, & nullum ab eo membrum avelleretur, velut ex indefesso Caroli IV. circa Brunsuicensem civitatem, quae ab Hanseaticis rejecta & ex Collegio earum exclusa tum fuerat, in integrum iterum restituendam studio, anno 1377. adhibito appareat. Ex Alberto Cranzio & aliis constare, quomodo Friderici Tertii Imperatoris tempore, cùm Coloniensis civitas, ad tempus ex Hanseaticarum numero ejecta esset, & circa restitutionem ejus difficultates variae existerent, Imperator ille, datis unâ cum Coloniense Electore ad Collegium Hanseaticum literis, restitutionem illam anno 1475. promoverit. Simili modo inquiunt, cùm exorta anno 1562. inter Bremensem Rempublicam & Collegium Hanseaticum

M.DCIX. dissensione, non solùm incolis civibusque ejus commercia denegarentur, sed ea etiam ex numero civitatum Hanseaticarum exterminaretur, restitutionem ejus tàm Ferdinandum quàm Maximilianum Imperatores unicè sibi commendatam habuisse. Anno 1566. Maximilianum II. Imperatorem, cùm ad eum relatum esset, dissidium aliquod inter Hanseaticas civitates, unde distractionis periculum Societati huic metueretur, exortum esse, ipse verò quantum inde ad communem Rempublicam damni redire posset, haud intempestivè perpenderet, pro testando benevolo suo erga Collegium istud affectu, ad concordiam socios admonere, omnemque benevolentiam ipsis per literas offerre, nullo modo intermisisse.

Primarios porrò Principes & Status Imperii, partim pro se & subditis suis, partim pro suis in specie civitatibus, amicitiam & conjunctionem Collegii sui modis omnibus expetiisse; Ericum Ducem Brunsuicensem & Lunæburgensem, caussa civitatum quarundam suarum ad Collegium Hanseaticum pertinentium, legationem anno 1566. ad societatem destinasse, & plenariam privilegiorum fruitionem pro civitatibus suis expetiisse. Julium Ducem Brunsuicensem & Lunæburgensem, anno 1572. à præcipuis quibusdam Collegii membris, Lubecensibus nimirum & Dantiscanis in societatem sese recipi petiisse. Edsardum Frisiæ Orientalis Comitem, anno 1579. civitatem Embdensem in societatem Collegii Hanseatici recipi, per Legatum petiisse, seque non solùm ut Embdenses conventui semper interessent permissurum, sed & quod in eo decerneretur ratum habiturum pollicitum esse. In recenti adhùc omnes memoria tenere, quàm paternè modernus Cæsar, non solùm Collegii sui adversus Anglos querelas audierit, sed etiam pro recuperandis suis in Anglia, à quatuordecim Regibus confirmatis immunitatibus, abrogandisque monopoliis omnibus, mandatum anno 1597. mensis Augusti die primo publicârit, cumque adventantes Angli ex Imperio, mandati istius vigore proscriptos & exterminatos se viderent, & verò innocentiam aliquam prætendentes, executionem mandati aliquandiu suspenderent & retardarent, pro negotio isto inter Elisabetham Angliæ Reginam, & civitates Hanseaticas componendo, illustres ex præcipuis Imperii Statibus Commissarios, cum Consiliariis quibusdam suis, Bremam (ubi institutam tractationem mors Reginæ interruperit) destinârit. Multos præterea Imperatores, Electores, Principes & Status Imperii, quin & potentissimos quosque per Europam Principes, societatis istius conventum, primariis haud rarò legationibus suis dignatos fuisse, velut ex recessibus Imperialibus de annis 1542. 1544. 1548. 1555. 1556. 1576. 1582. &c. itemque ex actis Collegii istius, maximo de anno 1578. ubi Lubecæ in conventu Hanseatico Cæsaris simul Hispaniæq; & Poloniæ & Sueciæ Regum Legati adfuerint, videre sit. Quinimò Legatos etiam societatis suæ, in Comitiis haud rarò Imperialibus, Cæsaris item Regumque, Electorum & Principum aulis, benignè admissos liberalissimè habitos fuisse, velut non ita multis adhuc elapsis annis, ab Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Daniæ, Suetiæque Regibus, & magno Moscoviæ Duce etiam factum sit, ut manifestum inde non solùm existat, quòd pro inhonesta & illicita conspiratione societas ista nunquam habita fuerit, sed & immemorabilis temporis, ac multò magis tot seculorum decursus, qui omne juris impedimentum removet, & non tantùm idem, sed plùs etiam quàm pactum, Contractus, Privilegium, aut quævis legitima concessio operatur, Privilegiique à Principe ex certa scientia concessi vim & vigorem obtinet, pro isto suo Collegio pugnet, illudque à criminationibus suprà dictis facilè vindicet.

Tametsi verò Societas ista non vetus, sed novum aliquod fœdus esset, neminem tamen, cui justicia cordi sit: inventum iri dicunt, qui non pro licita & honesta confœderatione illud habeat, cùm doceri quidem non possit, alium

confœ-

confœderatas illas civitates præfixum sibi finem scopumque habere, quàm ut se & alios in commerciis honestis tueantur, & pacem publicam modis omnibus conservent, quæ confœderationes quidem tam naturali quàm Cæsareo Saxonicoque jure approbentur, cùm omnia jura permittant & approbent colligationes, quæ fiunt ad aliquod bonum, puta ad defensionem, quemadmodum multis id probet Joachimus Mynsinger, Imperialis quondam Assessor & Ducatus Brunsuicensis Cancellarius atque Archicamerarius, Cent. 6. observ. 2. ubi inter alia scribit, in judicio Imperialis Cameræ anno 1553. fœdus inter Episcopos VVirtzburgensem & Bambergensem, Civitatemque Noribergensem, adversus Marchionem Albertum initum, ex hac caussa & ratione pro licito habitum fuisse, cui quidem etiam verba Constitutionis Caroli Quarti adstipulentur, quibus prohibitio & pœna ad malitiosas & inhonestas conspirationes expressâ restringitur, fœdera verò conservandæ pacis publicæ caussa facta inde eximuntur, unde diversa adhuc Imperialis Cameræ rescripta extent, quibus Societas illa Confœderatio, civitates verò ipsæ, confœderatæ laudabiliter nominentur.

Cæterùm absurdum esse dictitant, quòd ab invidis suis prolatum sit, Societatem istam suam commercia solùm, non verò necessitatem defensionis vel commerciorum vel ipsarum inprimis urbium concernere, cùm præterquam quòd contrarium ex ipsa juris permissione appareat, tàm veterum quàm recentum Historicorum, utpotè Pauli Jovii, Johannis Bodini, Thuani, Crantzii, Chytræi, & aliorum libri fœderum & bellorum, ab Hanseaticis quondam civitatibus adversus Reges & Principes varios, interdum etiam non sine expressâ Cæsarum Romanorum permissione, gestorum, historiis sint refertissimi. Sic enim Majores suos anno 1363. cum Duce Mechelnburgico & Holsatiæ Comite, adversus alios, fœdus fecisse, illudque anno 1368. acceptis pro majore sui assecuratione aliquot à Duce isto & Comite munitionibus, renovâsse. Simile etiam fœdus anno 1384. inter Reginam Norvvegiæ, nobilitatem Danicam & Hanseaticas civitates omnes factum esse, in quo inter alia decretum fuerit, ut expugnatâ fortè domo aliquâ piraticâ, civitates eam usque ad refusionem expensarum in potestate sua retinerent. Quin & Daniæ Norvvegiæque Reginam istam Margaretham ipsammet anno 1386. unà cum Alberto Suetiæ Rege, Comite Holsatiæ & aliis, Lubecæ in congregatione Hanseatica coràm præsentem adfuisse, & de rebus variis consultâsse. Vnde factum, ut fœdus illud inter eam & Hanseaticas civitates initum, bis, anno nimirum 1399. & anno 1400. renovaretur: Anno item 1410. speciale aliquod fœdus inter Reginam istam, ejusque filium Regem, & quinque civitates Hanseaticas iniretur. Cùm paulò antè Albertus Rex Suetiæ, unà cum filio suo, à Margaretha Daniæ Regina in captivitatem abductus fuisset, Hanseaticas civitates in caussa ista non parùm laborâsse, tantumque anno 1395. effecisse, ut Albertus ille cum filio à Regina in Legatorum Hanseaticorum manus fidemque traditi, in Germaniam educerentur, paterque Rostochii, filius autem VVismariæ, ad controversiæ omnis compositionem usque, in liberali custodia continerentur, quo tempore quidem etiam Stoccolmia, Suetiæ Metropolis, in fidem Hanseaticarum civitatum permissa fuerit. Duas ex suo Collegio civitates, anno 1396. Lunæburgensem civitatem adversus Duces istos sublevâsse, suppetiasque ipsi tulisse, donec factis primò trium annorum induciis, controversia postmodum omnis composita & sublata fuerit. Sigismundum Cæsarem anno 1418. missis ad Collegium Hanseaticum Oratoribus, militem suum, quem pro mari Balthico à Piratis purgando tum emiserat, modis omnibus juvari, & ut eò id meliùs fieret, fœdus cum Frisiis Orientalibus iniri, petiisse. Eodem anno civitates Hanseaticas unà cum Principibus aliquot, difficilimum bellum, quod ab Erico Daniæ,

M. DCIX. Daniæ, Sueciæ & Norvvegiæ Rege contra Henricum Slesvicensem, & Henricum Holsatiæ Comitem gerebatur, ita componere conatos fuisse, ut partem illam, quæ judicio arbitrum stare recusatura esset, conjunctis viribus oppugnarent. Guilelmum Brunsuicensem & Lunæburgensem Ducem anno 1430. pro cognato & amico suo Marchione Misnense auxilium ab Hanseaticis civitatibus petiisse, & utiliter etiam impetrâsse. Anno 1456. Christiernum Daniæ Regem in conventu Rostochiensi ab Hanseaticis civitatibus coram petiisse, ut missis in Sueciam ad Carolum Regem Legatis, bellum, quod inter eos tum gerebatur, componere tentarent. Ex Annalibus Saxonicis constare, quomodo Landgrafius Hassiæ, cùm anno 1461. Einbeccensem civitatem oppugnare voluisset, illud propter majorum suorum auxilium intermiserit. Constare item ex Annalibus istis, quomodo anno 1462. civitates Hanseaticæ, inito cum Hildesheimensi Episcopo & Duce Bernhardo, contra Fridericum Ducem Brunsuicensem & Lunæburgensem, fœdere, rem eò perduxerint, ut Moringa arx hypothecæ loco pro illatis damnis permitteretur. Cùm paulò pòst, anno 1466. bello inter Guilhelmum Victoriosum, ejusque filios, Guilhelmum Juniorem & Fridericum Duces Brunsuicenses & Lunæburgenses, & hæreditarias Hanseaticas urbes, recrudescente, ad arma iterum ventum esset, Joannem quidem Archiepiscopum Magdeburgensem, & Fridericum Marchionem Brandenburgensem Electorem, se interposuisse, & Quedlinburgi anno 1467. præsentibus Henrico & Otthone Ducibus Brunsuicensibus & Lunæburgensibus, Friderico Comite Orlamündensi, Günthero Comite Mansfeldensi, Vdalrico Comite in Reinsteinio, Günthero Comite Mulingense, Gotfrido Comite Holacense, Henrico Domino in Gera, Gotschalco Domino in Plesse, multisque Archiepiscoporum, Electorum, Imperialium & aliarum urbium Legatis, periculosum istud bellum, auditâ parte utraque composuisse, ita quidem, ut arx civitasque Moringensis, in potestatem Electoris, à civitatibus Hanseaticis traderentur. Anno 1468. gravissimum quadriennale bellum inter Anglos & Hanseaticas civitates exortum esse, quoad Caroli Burgundiæ quondam Ducis, aliorumque Principum operâ postmodò compositum, ab Historicis etiamnum Trajectensis Concordiæ nomine celebre fit. Anno 1476. Henningum Episcopum Hildesheimensem, Guilielmum Seniorem, ejusque filios Guilielmum & Fridericum fratres, Duces Brunsuicenses, Johannem item Comitem Spigelbergensem, pro se & communi nobilitate Homburgica, Gotschalcum Dominum in Plesse, pro communi nobilitate Göttingensi, Burchardum Dominum in VVarburg, pro se & nobilitate Hildesheimica, Henricum Knichen, & Hermannum Hogerum nobiles, cum Hanseaticis Brunsuicensis territorii civitatibus, fœdus ad 20. annos pepigisse. In Annalibus porrò Saxonicis reperiri etiam, quomodo, cùm Anno 1485. Bertholdus, Episcopus Hildesheimens. & Heinricus Dux Brunsuicensis, arma adversus Hildesiam civitatem cepissent, Brunsuicenses cum sociis Hanseaticis aliis, necessitatibus civitatis istius, de frumento & rebus ad annonam pertinentibus aliis ei prospiciendo subvenerint, donec sub finem anni 1486. controversia ista finita, & pax civitari restituta fuerit. Paulò pòst exortum inter Hanseaticas civitates & Galliæ Regem bellum, Daniæ & Scotiæ Regum studio compositum esse. Cùm anno 1492. & sequentibus, Henricus Senior, & Henricus Iunior, Duces Brunsuicenses & Lunæburgenses, Brunsuigam urbem ingenti exercitu oppugnarent, Telamonium Ornatumontanum quendam autorem esse, quòd Collegium Hanseaticum, Hildesheimensibus mandârit, civitatem istam militibus & rebus necessariis aliis sublevare, idque ab ipsis ita etiam, donec ab Ernesto, Archiepiscopo Magdeburgense, & Joanne Electore Brandenburgensi, controversia ista Brunsuigæ anno 1494. componeretur, factum esse. Fridericum primum Daniæ Regem anno 1525. cum civitatibus Hanseaticis fœdus facere voluisse,

luisse, idemque eodem anno etiam Lubecæ Magistrum Teutonicum Borussiæ petiisse. Ferdinandum Imperatorem anno 1558. Livoniam Hanseaticis civitatibus commendâsse, & uti Magistrum Teutonicum auxilio suo juvarent, imperâsse. Anno 1581. Franciscum Alansonium, Galliæ Regis fratrem, confœderationem cum Hanseaticis civitatibus inire petiisse, & ad componendas, quæ cum Anglis etiamnum ipsis intercedunt contentiones, operam suam Collegio Hanseatico obtulisse. Potentissimos certè non semel Principes, pacem cum aliis Principibus, post diuturnas controversias tractantes, societatem Hanseaticam proprio motu & sponte suâ tractationi inclusam & adnumeratam voluisse, quemadmodum ex Archiducis Maximiliani, tanquam electi Poloniæ Regis, cum Statibus quibusdam Regni ejusdem anno 1587. institutâ tractatione, maximè verò ex pacificatione inter Galliæ, & Hispaniæ Reges anno 1598. itemque inter Hispaniæ & Britanniæ Reges anno 1604 facta, videre sit.

Non posse se igitur videre, inquiunt, quam ob caussam vitio sibi, sola ista generalis Præfecti, & quorundam militiæ Ducum designatio atque constitutio verti possit, cùm non novi ea exempli, sed semper usitata fuerit, facileque demonstrari possit, peculiares sæpè ex societate ista sua, civitates, non Comites tantùm & nobiles alios, sed & Principes in bello exercitatos, qui in procinctu semper essent, sibi præfectos elegisse & constituisse. Notum certè ex constitutionibus Imperialibus esse, provisionem ejusmodi, non licitam solùm & concessam, sed expressè etiam mandatum esse, ut quilibet tàm Electorum, quàm Principum & aliorum in Imperio Statuum, quin & exterorum Magistratuum, semper non solùm ad ingruentem subitò vim excipiendam & propulsandam injuriam, sed & ad auxilium aliis ferendum parati deprehendantur, ut in Recessibus Imperii de anno 1555. & 1564 videre sit. Nec obstare, quòd in hisce & aliis Recessibus de Executionis ordine pro pace publica conservanda præceptum & dispositum legitur, cùm præparatio ista, ad quam faciendam quilibet Imperii Status obligatur, primus gradus defensionis sit, quàm auxilium postmodò totius alicujus Circuli, quinimò vicinorum etiam si opus sit populorum sequi debeat, ut ex Recessibus Imperii similiter videre sit. Cæsarem ipsum, Electoresque & Principes cum aliis Statibus Imperii, periculosa subinde tempora respicientes, ut præter pacis publicæ determinationem, extraordinarium etiám remedium adhiberetur, & interdum mille & quingenti, interdum mille & ducenti equites ad annos aliquot pro pace & tranquillitate publicâ eò meliùs conservanda, communibus sumptibus sustentarentur, salutariter constituisse. Confidere igitur se neminem fore, qui vitio ipsis vertat, quòd periculosis hisce temporibus, quibus non solùm in finibus Imperii bella passim gliscunt, sed reperiuntur etiam, qui constitutionem de conservanda pace publica, cursumque justitiæ parvi pendentes, in contrarium omnia finem, nempe ad prohibitionem necessariæ defensionis detorquere conantur, ordinario & licito remedio utentes, ad defensionem sese contra injustam vim & insperatam oppressionem præparare non intermittant. Naturalem certè defensionem civitatibus non esse denegandam, nec verò ex ejusmodi ad defensionem præparatione, aliquam subditorum adversus Magistratum suum concitationem & seditionem concludi, Hanseaticisque civitatibus imputari posse. Tametsi enim in programmate quodam affirmetur, apud Lubecenses scripta ejusmodi in publicum nuper emissa esse, ex quibus satis appareat, Societatem id sibi propositum habere, verè tamen se testari, quod factâ diligentissimâ inquisitione, tale quid reperire non potuerint, promittere etiam se in Autores ejusmodi scriptorum, si nominentur & convincantur, tantâ severitate animadversuros, ut non delectari se ejusmodi rebus notum & manifestum omnibus & singulis fiat.

Cæte-

M.DCIX. Cæterùm quòd sociæ & confœderatæ civitati Brunsuicensi, cùm pendente adhuc lite, ex improviso & præter omnem spem oppressa, vario armorum genere ad menses quinque gravissimè affligeretur, ea ratione, quâ de jure quidem naturali & civili, Constitutionibus item, Ordinationibus & statutis Imperialibus, quin Christianâ etiam charitate, id facere teneantur, suppetias aliquando ferre non dubitârint, eamque pro membro Collegii sui etiamnum habeant, in eo nullum quidem finem alium propositum sibi habuisse, quàm ut juri & justitiæ cursus suus conservaretur, & nemo per vim in eo impediretur, cùm præsertim in Brunsuicensibus nihil unquam aliud animadverterint, nihilque etiamnum animadvertant, quàm quòd justitiam non solùm admittere quàm optimè possint, sed eam etiam modis omnibus sibi administrari expetant. Societatem certè nihil magis in votis habere, quàm ut controversiis ejus loci sublatis & compositis, ad tranquillitatem omnia restituantur, sperare etiam, Cæsaream Majestatem, Electores omnes & plerosque imperii Principes, quos literis suis non semel, maximè verò in posterioribus Ratisbonæ habitis Comitiis, in caussa hac submissè compellârint, hoc sibi testimonium daturos, quòd nihil aliud unquam suâ intercessione quæsierint, quàm ut dissensione omni, vel amicè vel ex juris præscripto sublatâ, diffidentia etiam omnis respectivè tolleretur; Quin &, cùm Cæsarea Majestas in caussa defensionis Brunsuicensis, editionis item privilegiorum & recessuum Hansæ, unum atque alterum edictum anno 1606. ad societatem promulgâsset, non intermisisse eam ex Collegio & conventu suo Lubecensi se apud Cæsarem per literas purgare, & ita declarare, ut abundè satisfactum ejus Majestati non dubitent. Protestari igitur se formâ, quâ id fieri possit & debeat optimâ, quòd nihil contra Cæsareæ Majestatis autoritatem, auream Caroli IV. constitutionem, & executoriam Imperii ordinationem, nihil item in contemptum & æmulationem Saxonici circuli ejusque generalis præfecti fecisse, multò minùs verò aliquam conspirationem, seditionem, pacis publicæ perturbationem, subditorum adversus Magistratum suum exacerbationem & vicinorum offensionem hac sua Præfecti externi Ducumque belli peritorum constitutione quæsivisse aut spectâsse, coram supremo judice, iniquè secum, dum talia Collegio suo imputantur agi, seq; DEO, Cæsareæ Majestati, Imperiali Cameræ, Electoribus, Principibus & Statibus Imperii, &c. omnium suorum factorum rationem reddere paratos semper fore testantes.

Matthias Rex 17. Maji die, cum trecentis equitibus Lintium adveniens, à Statibus, qui octo equitum turmas, & quindecim signa peditum in occursum eum miserant, splendidè admodum acceptus & per tres portas, honoris ergò ipsi positas, ubi juramentum à Statibus acciperet, cum insigni comitatu traductus est, quo feliciter peracto, ludi equestres exhibiti, celebrataq; convivia sunt, & Rex iter iterum ingressus, Viennam 27. Maji reversus est. Austriaci interea Ordines, exercitium Religionis magno zelo, maximâ hominum multitudine Hernalsium, ubi conciones subinde magnâ solennitate, adhibitâ tàm instrumentali quàm vocali Musicâ, dolentibus interea & frementibus Pontificiis, habebantur, confluente, continuârunt.

Die 14. Maji mandatum à Cæsare in Ducatu Juliacensi publicatum est, quo tametsi in jure civili & constitutionibus Imperii expressè mandatum sit, ut nemo, quicunque ille sit, qui prætensionem aliquam in bonis aliquibus habet, illa proprio ausu per vim invadere & occupare, sed legitimo modo per ordinariam juris sententiam acquirere & ad se transferre debeat, relatum tamen ad se variis ex locis esse, quomodo defuncto Joanne Guilelmo Duce Juliacense, non solùm varia aliqui in Principatu isto attentent, sed etiam absque ulla legitima caussæ suæ cognitione, regionum & aliorum ad Ducatum istum pertinentium bonorum possessionem ausu proprio apprehendere & sibi vindicare conentur. Cùm igitur

igitur inde incommoditates variæ non in Ducatu isto solùm, sed toto etiam Imperio existere facile possint: sui vero officii sit, avertendis ejusmodi, periculis advigilare sedulò, mandare se; & imperare omnibus, qui vel successionis & hæreditatis, vel alio quocunque jure in Ducatu isto aliisq; ad eum pertinentibus, sive mobilibus sive immobilibus bonis prætendere aliquid voluerint, uti ad ulteriorem suam cognitionem usque, ab omni vi externa abstineant, omnia in statu isto, quo vel vivente Duce Iuliacensi fuerunt, vel à Cæsare, tanquam feudatario & immediatè supremo judice constituentur, relinquant, & nihil novi ibi moliantur, se nisi quid in locis istis hactenus de facto attentatum sit, pro illegitimo & de jure nullo omninò ex potestate sua Cæsarea habere & habendum declarare. Ne autem, de denegata sibi justitia conqueri fortè aliquis possit, sed omnes potiùs, cuilibet se quod suum sit tribuere, promptum paratumque esse intelligant, citationis simul edictum mandato huic suo annectere se voluisse. Citare igitur & vocare omnes, prætendere aliquid in Ducatu isto volentes ex officio & potestate Cæsarea, velleq; & jubere, ut spacio quatuor mensium vel per se vel per alios, procuratores suos, in aula sua Cæsarea compareant, & sententiam juris ordinariam in caussa sua expectent, scientes sive compareant sive non, quod justum fuerit, in negotio hoc omninò decretum iri.

Evangelici in Bohemia Status, cùm in nullo, quæ à Cæsare hactenus acceperant, responsorum acquiescere possent, breve aliquod scriptum 3. Iunii die, ad manus Cæsaris transmiserunt, cujus hæc summa fuit: sperâsse se quidem omninò futurum, ut non solùm tàm frequentium ab illustribus personis factarum pro se intercessionum, sed & in superioris anni Comitiis, & publicato nuper mandato Cæsareo factæ sibi promissionis, ratione habitâ, responsum ad petitionem suam in puncto religionis, tale tandem acciperent, in quo acquiescere tutò possent. Cùm autem hoc nondum factum sit, DEO se id quidem & tempori committere, culpam nequaquam Majestati ejus, sed inquietis tam Ecclesiasticorum quàm politicorum quorundam ingeniis imputantes. Cæterùm cùm ludibrio ab adversariis suis haberi ampliùs nolint, multò minùs verò a promissione Majestatis ejus regia, quæ passim jam innotuerit, dimoveri sese patiantur, formulam voluisse in lingva Bohemica conceptam, juxta quam assecurari in religionis puncto cupiant, Majestati ejus jam afferre & exhibere, exceptari eam, & Ordinum petitioni tandem aliquando satisfieri, humilimo studio petentes. Quod si verò id (Majestate ejus Cæsarea, majorem inquietorum Ecclesiasticorum & perversorum Consiliariorum, quàm fidelium Regni Statuum & subjectorum suorum rationem habente) fieri non possit, se in decreto quidem Comitiorum anni 1608. & postremo Cæsaris edicto acquieturos: factâ autem solenni protestatione, cùm non solùm in vicinis regionibus, maximè verò in Bavaria, varias ad bellum præparationes fieri, sed & consultationes passim (Majestate Cæsareâ, fidelibusq; ejus Consiliariis insciis) adversus Evangelicos Status agitari, relationibus certis acceperint, quæ in Regis quidem regniique universi perniciem tendere possint, defensionis negotium suscepturos, operamque daturos, ut militibus armisque instructi, & Regem suum & seipsos, regnumq; adeò universum, adversus inopinatam hostium externorum vim & insultationem defendere atq; tueri quàm optimè possint.

Interea dum hæc ita fiunt, Legati ab Electore Saxoniæ, equis quadraginta instructi, Pragam pro Statibus Evangelicis, & permittendo eis religionis exercitio, apud Cæsarem intercessuri, advenerunt. Sequentibus mox etiam Ordinum Silesiæ Legatis, qui & sibi religionis libertatem confirmari petentes, operam suam & auxilium promptissimum Statibus Bohemicis, si necessitas ita postularet, promiserunt. Status porrò Bohemici, cùm responsum de die in diem frustrà ex-

M.DCIX. ſtra expectarent, converſa ad promovendum defenſionis negotium conſultatione, ingentem equitum peditumq; copiam publicatis Ducum Præfectorumque militiæ nominibus, conſcripſerunt, & in urbem introduxerunt. Tandem igitur 11. Julii die, inſtantibus diligenter & urgentibus Legatis Saxonicis reſponſum ex ſententia ſua, acceperunt, traditis ipſis à Majeſtate Cæſarea literis in hanc ferè ſententiam conſcriptis:

Notum ſe facere & teſtari ad æternam rei memoriam, poſtquam omnes tres Regni ſui Bohemici Status, qui corpus & ſangvinem Chriſti Ieſu, ſub utraque ſpecie in Cœna participant, ſubditi ſui dilecti, in Comitiis, anno 1608. in arce Pragenſi habitis, id humili obſervantiæ ſtudio petierint, uti confeſſionem ſuam, Auguſtanam ab aliquibus dictam, & Maximiliano Cæſari, ſuo feliciſſimæ memoriæ parenti exhibitam, ab eoque Ordinibus permiſſam, retinere, & religionem ſuam liberè exercere ſibi permitteretur, ipſe verò tum propter negotia alia, quorum causâ Comitia iſta inſtituta fuerint, quæque procraſtinationem & dilatationem nullam pati potuerint, petitionis iſtius approbationem & ratificationem ad hæc uſque Comitia differre, conſultum judicârit: Ordines iſtos & Status jam denuò congregatos, petitionem iſtam ſuam repetentes, indeſinenter, adhibitis etiam illuſtrium quarundam perſonarum interceſſionibus ſatisfieri ſibi cupiviſſe, & uti quâ ratione tàm ſub una quàm ſub utraque ſpecie communicantibus ſuis ſubditis in Regno Bohemiæ conſuleretur, deliberationem cum Conſiliariis ſuis inſtitueret, tandem effeciſſe. Cum igitur voluntas ſua ſit, ut inter omnes, omnium trium Regni Bohemiæ Status ſubditos, tàm ſub una, quam ſub utraque ſpecie communicantes, his & futuris temporibus, pax & amicitia, pro amplificando regno iſto conſervetur, utraq; pars religionem ſuam, unde ſalutem æternam conſequi ſeſe poſſe ſperent, liberè & abſque ullo impedimento exerceant, & receſſui Comitiorum de anno 1608. mandatoque ſuo non ita pridem publicato (quo ordines iſtos ſub utraq; communicantes & confeſſioni iſti ſubſcribentes pro fidelibus ſuis ſubditis, ad quos jura & immunitates Regni Bohemici pertineant, agnoverit, & etiamnum agnoſcat) per omnia ſatisfiat, de communi Conſiliariorum aliorumque Officiariorum Regni iſtius conſilio, decernere ſe, ut & ſub una & ſub utraque ſpecie communicantes, concorditer & amicè invicem vivant, & pars altera alteram, nec injuriâ afficiat, nec calumniis proſcindat, propoſita ſecus facientibus, quæ in jure municipali expreſſa ſit, pœna. Deinde cùm ſub una ſpecie communicantes libero per omnia religionis ſuæ exercitio in Bohemiæ Regno fruantur, poteſtatem ſeſe facere & velle, ut ſub utraque etiam ſpecie communicantes, Status nimirum Evangelici omnes, cum omnibus, qui Confeſſionem Bohemicam, Maximiliano quondam Cæſari, parenti ſuo, in Comitiis publicis anno 1575. celebratis, & ſibi jam denuò exhibitam, amplectuntur, religionis ſuæ exercitium ubiq; & in omnibus Regni iſtius locis habeant, & abſq; ulla alicujus turbatione, donec univerſalis in univerſo regno religionis unio & diſſidiorum omnium compoſitio conſtituatur, retineant. Præterea hanc etiam Evangelicis Statibus præſtare benevolentiam, quòd Pragenſe Conſiſtorium Inferius, illis permittat, poteſtatemque illuc juxta confeſſionem ſuam conſtituendi faciat, ut Sacerdotes ſuos tàm in Bohemica quàm in Germanica lingva ordinare, & Eccleſiis ſuis abſq; ullo Pragenſis Archiepiſcopi impedimento, præficere jure optimo poſſint. Quin & Academiam Pragenſem, quæ à multis annis ad Status ſub utraq; pertinuit, illis ſe reſtituere, factâ ipſis poteſtate, eam iterum aperiendi, doctis & eruditis ſuæ Confeſſionis viris exornandi, honeſtis legibus condecorandi, & certos ex ſuo conſortio defenſores tam Conſiſtorio quàm Academiæ præficiendi, quos ſibi à Statibus deſignatos, & electos ipſe, ſine ulla vel cunctatione & mora, vel alia quàm Statibus acceperint,

rint,

rint,instructione & informatione,in officio isto confirmare,& pro legitimis defensoribus declarare velit,ita tamen,ut si interveniente forsitan graviorum quorundam negotiorum impedimento, id duarum septimanarum spacio facere non possit,defensores sibi nihilominùs maneant & demandati sibi officii munere æquè,ac si confirmati in officio isto fuissent, fruantur: quin & uno atq; altero ex eorum numero demortuo,alios in eorum locum Statibus sufficere,& si præter ea,quæ jam tenent & possident templa, plura adhuc alia, scholasvè aliquas pro instituenda juventute erigere & ædificare velint, facere id ipsis, tàm in urbibus quàm in oppidis & pagis,liberè & absque ullo impedimento liceat. Quandoquidem porrò etiam in aliquibus Regni Bohemiæ civitatibus utriusq; religionis homines, hoc est, tàm sub una, quàm sub utraq; specie communicantes conjunctim habitent,mandare se & velle,ut pro pace & tranquillitate conservanda,pars quælibet religionem suam liberè colendo, & Sacerdotibus suis obtemperando,alteram partem nullo modo vellicet vel conturbet, multò minùs verò sepulturas in templis & cœmiteriis,cum campanarum pulsu & sonitu peragere prohibeat,aut aliquem cujuscunq; status & conditionis sit,sive in civitatibus sive in oppidis & pagis habitet,à religione sua avertere & per vim in sua castra suamq; sententiam pertrahere satagat. Se enim id spectare unicè, ut pax & tranquillitas conservetur,& amor mutuus inter omnes tres Status vigeat, quo fine quidem pro se & hæredibus suis, subsequentibusq; Bohemiæ Regibus,hæc omnia Statibus Evangelicis,ad quos communis etiam ista pax,quam vocant religionis,tanquam ad principale Imperii membrum pertineat, frustra vel politicis vel Ecclesiasticis personis quibuscunq; repugnantibus, inviolabiliter perpetuis temporibus servatum iri, in fide & verbo regio affirmet & polliceatur ita quidem,ut nullum mandatum contrarium,vel à se vel ab ullo hæredum & successorum suorum adversus Status Evangelicos publicetur vel publicatum ab aliquo,ratum & validum habeatur,cùm præsertim omnia etiam adversus Status istos sub utraq; specie communicantes,publicata hactenus edicta,invalida, annihilata & sublata omninò hisce literis pronunciet, nec quicquam eorum,quæ dum confirmationem hujus articuli quærerent, facta à Statibus Evangelicis sunt,in malum ipsis cedere & vitio verti à quoquam in æternum velit. Mandare igitur omnibus cum imperio passim in Bohemia constitutis,ut trium istorum Statuum,omniumq; Confessionem istam Bohemicam amplectentium patrocinium & defensionem suscipiant,& nec molestiam ipsis circa religionis suæ exercitium creent, nec ab aliis creari patiantur, se enim & futuros Bohemiæ Reges in omnes contra has Majestatis suæ literas (quas ad futuram memoriam actis Comitialibus publicis inseri velit)delinquentes,sive Ecclesiastici illi sint sive Politici,tanquam in pacis publicæ perturbatores gravissimè animadversuros.

Hæc literarum Majestatis, quas vocabant, summa fuit, quam publico programmate breviter comprehensam, ad arcem decimo tertio Julii die affigi Cæsar curavit,ut omnibus notum fieret, articulum hunc religionis, qui inter propositiones horum Comitiorum, primum obtinuerat locum, ex Statuum Evangelicorum sententia conclusum, atque ita petitioni eorum satisfacturum omninò esse.

Interea Legatis Silesiis libertatem religionis Ordinibus istis permitti, summâ contentione adnitentibus, Status Bohemici milites suos, quorum prope Roggensanium lustrationem instituerant, dimittere, donec petitioni Silesiorum satisfactum esset, modis omnibus, prolixo simul, quibus gravamina Statuum exposita erant,libello Cæsari oblato, recusârunt.

Circa hoc tempus Archidux Leopoldus, Argentinensis & Passaviensis Episcopus, ignoto omnibus habitu & insperatâ celeritate, Pragâ adveniens à Iuliacensis arcis Præfecto, in arce magna cum lætitia & crebra tormento-

M. DCIX. rum displosione admissus est, literas afferens à Cæsare in hanc sententiam conscriptus, quòd cùm propter diuturnam infirmitatem & ægritudinem Ducis Iuliacensis, & pericula regionibus istis imminentia alia, ad Guilielmi quondam Ducis Iuliacensis, ejus Consiliariorum, & aliarum personarum illustrium admonitionem anno 1591. & sequentibus, non semel per Legatos & Commissarios suos pro conservanda in Ducatu justitiâ, inspectionem suam vivente adhuc Principe interposuerit, necessarium omninò sit, & idem hisce temporibus, eo è vivis sublato, faciat, cùm præsertim variæ prætensiones & contentiones in Ducatu isto jam existant, & querelæ de eis ad se, tanquam unicum ejusmodi controversiarum judicem quotidiè proferantur. Se quidem publicato 24. Maji die mandato, quid fieri de regionibus istis voluerit, additâ legitimâ omnium, prætensionem aliquam in Ducatum istum habentium in aulam Cæsaream citatione disposuisse, Commissarios etiam quosdam ad loca ista eam ob caussam ablegâsse, verùm enimverò cùm non isthoc solùm citationis edicto, sed & factâ anno 1595. coram Commissariis & Legatis suis Cæsareis, conventione, comitiorumq; Iuliacensium anno 1599. habitorum recessu, neglectis & posthabitis, possessionis istarum regionum commodum, in Majestatis suæ, Imperiiq; totius præjudicium apprehendere, aliisq; præripere non dubitent, necessarium se omninò putare, suam in loca ista legationem personæ alicui præminentiori & illustriori committere. Itaq; cum Reverendissimo & Illustrissimo Archiduce Leopoldo, Argentinensi & Passaviensi Episcopo egisse, ut ad ulteriorem resolutionem usque, donec nimirum, certi aliquid de successione in Ducatu isto decerneretur, supremum sese in locis istis Commissarium suum præstaret, cumq; is provinciam in se haud gravatim susceperit, potestatem se ipsi plenariam, suo, tanquam Feudatarii totius Ducatus omniumque ad eum pertinentium regionū, nomine, ubicunq; commodum ei videatur, commorandi, & cum Commissariis aliis vel missis jam eò vel imposterum mittendis, de omnibus, quæ in Ducatum istum decreverit, in actum maturè producendis & peragendis deliberandi, facere, nolle tamen à quoquam hæc aliter, quàm ad suum, Imperii, aliorumq; aliquid in Ducatū istum prætendentium jus conservandum, & regionum subditorumque commodum & utilitatem promovendam, nullo verò modo ad alicujus, quicunque ille sit, præjudicium incommodumq; directa esse, intelligi, quo fine quidam etiam omnia, quæ prædictus Archidux & Episcopus Leopoldus, in regionibus istis sive per se, sive vel substitutos sibi alios quoscunq; facturus sit, rata & accepta sese habiturum testetur. His literis instructus Leopoldus, plaustra aliquot armorum omnis generis, Coloniá Iuliacum transferri, & àd sedandos motus, si quos existere contingeret, præparationem fieri curavit, per edictum militibus & belli Ducibus, ne partes Principum tuerentur & sequerentur, sed si conscribi sese passi hactenus fuissent, castra eorum confestim iterum desererent, & nihil hostile in Ducatu Iuliacensi molirentur, pœna peregrinis quidem capitis, reliquis verò excommunicationis & bonorum omnium, quæ possident, amissionis proposita, imperans, consimili ferè mandato, ad omnes etiam Ducatus istius Officiarios, ne vel juramentum Principibus præstarent, vel reditus annuos persolverent, edito. Verùm his non obstantibus, Comes quidem Palatinus Neoburgicus, assumto Comite Solmensi, loca ferè omnia in Ducatu Iuliacensi perlustravit, & accepto à subditis fidelitatis juramento, possessionem apprehendit, cùm præsertim à Galliæ Rege ad Marchionem Brandenburgensem perscriptum, & de auxilio Principibus adversus omnes adversarios eorum ferendo, promissio satis luculenta facta esset, quo fine quidem tum insignis etiam exercitus ex Gallia ad fines Geldriæ destinatus, propè Zutphaniam, Arnheimium, Nimmegiam & Graviam, ut exigente ita necessitate Principibus præstò esset, substiterat.

Con-

Constantinopoli anno superiori ingens exortum est incendium,quo ad quatuor millia domuum conflagrâsse dicuntur. Ajunt damnum hoc sexagies centum aureorum millibus æstimatum. Sequenti die atrox exorta tempestas,castra supremi Veseris ad Scutarium ita pervasit,ut tentoria,arma, commeatus & obvia quæque disjecerit & abripuerit. Eodem ferè tempore octo illustris prosapiæ pueri (inter quos etiam Proregis dicitur fuisse filius) è Sicilia Constantinopolin captivi perducti; & quatuor quidem exsecti & in gynæceum intrusi,quatuor verò, quòd Christianam fidem abnegare nollent,in carcerem fuerunt conjecti. M.DCIX.

Binæ interim à Persarum Rege legationes Romam venerunt ad cohortandum Pontificem,ut pace inter Christianos factâ, is omnes Reges ac Principes ad bellum contra Turcas gerendum excitaret. Persarum Regem, ajunt,omnes Christianos tàm Ecclesiasticos quàm seculares humaniter tractare, & templa etiam & Scholas ædificandi potestatem ipsis permisisse.

Pragæ quoque Silesiorum Legati, similiter ut Bohemi, liberum religionis exercitium & aliorum Privilegiorum confirmationem impetrârunt. Cautum etiam tum fuit, ne supremi Capitaneatus,ut vocant,dignitas nulli posthac ecclesiasticæ personæ concedatur; eoque munere tum Dux Münsterbergius fuit cohonestatus,at similiter,ne in Episcopum Uratislaviensem,post Caroli Archiducis Austriaci moderni Episcopi mortem, quisquam nisi Silesius aut Bohemus natione assumatur.

Sub initium Septembris Brandenburgici & Neoburgici Principum Legati ad Galliæ Regem venientes, amicè admodum ab eo excepti, & honorificè iterum dimissi sunt, aucto militum, quos auxilio Principibus missurum Rex promiserat, numero. Principes verò interea beneficiarios & officiarios Juliacenses,Clivenses & alios Dusseldorpium convocârunt, ut quid in casu necessitatis polliceri sibi de ipsis possent, cognoscerent, armis sese & militibus, quantum fieri poterat ad futuram necessitatem instruentes, quorum aliqui in Juliacenses equites 29. Septemb. incedentes intercepti & Juliacum abducti sunt. Cùm autem currus aliquot variis armis & rebus ad expeditionem pertinentibus onusti Aquisgranum Leodio & aliis ex locis missi ad suspectas ædes divertissent,animadverterenturque multi jam in plateis obambulantes Hispani milites,cives factâ diligenti inquisitione, milites illos urbe confestim exire, renovatis passim ad portas civitatis & conduplicatis excubitoribus,jusserunt.

Post infelicem Demetrii in Moscovia, de quo suo loco dictum est,interitum,cùm alius quidam Pseudo-Demetrius pro legitimo sese Ducatus istius hærede gereret,à Suscio verò,qui rerũ ibi jam potitur,superatus & oppressus esset, Mosci nihilominùs quos ille à partibus suis hactenus habuerat, quiescere nullo modo volentes, Sigismundo Poloniæ Regi ad invadendam, cum ingenti exercitu Moscoviam autores fuerunt, operam suam in occupandis civitatibus ipsi promptissimam deferentes,qui habito consilio, cùm motus Racusanorum in Polonia sedati essent,factâ ad expeditionem istam necessariâ præparatione cum aliquot equitum peditumque millibus sub initium Septembris ipsemet in arcem progressus,castra, occupatis in itinere vilioribus quibusdam Castellis, ad Smolensium, munitissimam inprimis urbem, quæ ad Poloniæ regnum olim pertinens, Sigismundi Augusti tempore ab eo divulsa memoratur, castra sua promovit. Gubernator civitatis de obsidione hac præmonitus, omnia passim ad miliaria aliquot incendio desolata & deformata reddiderat, defensionique ad extremum usque incumbere decreverat, verùm Poloni hoc videntes, metatis statim castris, dispositisque ad murorum dejectionem tormentis, ingentem admodum ab una parte ruinam continuâ displosione excitârunt, quo viso cum speratum diutiùs paulò emaneret subsidium inducias ad dies octo pactus Guberna-

M. DCIX. rum displosione admissus est, literas afferens à Cæsare in hanc sententiam conscriptus, quòd cùm propter diuturnam infirmitatem & ægritudinem Ducis Iuliacensis, & pericula regionibus istis imminentia alia, ad Guilielmi quondam Ducis Iuliacensis, ejus Consiliariorum, & aliarum personarum illustrium admonitionem anno 1591. & sequentibus, non semel per Legatos & Commissarios suos pro conservanda in Ducatu justitiâ, inspectionem suam vivente adhuc Principe interposuerit, necessarium omninò sit, & idem hisce temporibus, eo è vivis sublato, faciat, cùm præsertim variæ prætensiones & contentiones in Ducatu isto jam existant, & querelæ de eis ad se, tanquam unicum ejusmodi controversiarum judicem quotidiè proferantur. Se quidem publicato 24. Maji die mandato, quid fieri de regionibus istis voluerit, additâ legitimâ omnium, prætensionem aliquam in Ducatum istum habentium in aulam Cæsaream citatione disposuisse, Commissarios etiam quosdam ad loca ista eam ob caussam ablegâsse, verùm enimverò cùm non isthoc solùm citationis edicto, sed & factâ anno 1595. coram Commissariis & Legatis suis Cæsareis, conventione, comitiorumq; Iuliacensium anno 1599. habitorum recessu, neglectis & posthabitis, possessionis istarum regionum commodum, in Majestatis suæ, Imperiiq; totius præjudicium apprehendere, aliisq; præripere non dubitent, necessarium se omninò putare, suam in loca ista legationem personæ alicui præminentiori & illustriori committere. Itaq; cum Reverendissimo & Illustrissimo Archiduce Leopoldo, Argentinensi & Passaviensi Episcopo egisse, ut ad ulteriorem resolutionem usque, donec nimirum, certi aliquid de successione in Ducatu isto decerneretur, supremum sese in locis istis Commissarium suum præstaret, cumq; is provinciam in se haud gravatim susceperit, potestatem se ipsi plenariam, suo, tanquam Feudatarii totius Ducatus omniumquè ad eum pertinentium regionũ, nomine, ubicunq; commodum ei videatur, commorandi, & cum Commissariis aliis vel missis jam eò vel imposterum mittendis, de omnibus, quæ in Ducatum istum decreverit, in actum maturè producendis & peragendis deliberandi, facere, nolle tamen à quoquam hæc aliter, quàm ad suum, Imperii, aliorumq; aliquid in Ducatũ istum prætendentium jus conservandum, & regionum subditorumque commodum & utilitatem promovendam, nullo verò modo ad alicujus, quicunque ille sit, præjudicium incommodumq; directa esse, intelligi, quo fine quidam etiam omnia, quæ prædictus Archidux & Episcopus Leopoldus, in regionibus istis sive per se, sive vel substitutos sibi alios quoscunq; facturus sit, rata & accepta sese habiturum testetur. His literis instructus Leopoldus, plaustra aliquot armorum omnis generis, Coloniâ Iuliacum transferri, & àd sedandos motus, si quos existere contingeret, præparationem fieri curavit, per edictum militibus & belli Ducibus, ne partes Principum tuerentur & sequerentur, sed si conscribi sese passi hactenus fuissent, castra eorum confestim iterum desererent, & nihil hostile in Ducatu Iuliacensi molirentur, pœna peregrinis quidem capitis, reliquis verò excommunicationis & bonorum omnium, quæ possident, amissionis proposita, imperans, consimili ferè mandato, ad omnes etiam Ducatus istius Officiarios, ne vel juramentum Principibus præstarent, vel reditus annuos persolverent, edito. Verùm his non obstantibus, Comes quidem Palatinus Neoburgicus, assumto Comite Solmensi, loca ferè omnia in Ducatu Iuliacensi perlustravit, & accepto à subditis fidelitatis juramento, possessionem apprehendit, cùm præsertim à Galliæ Rege ad Marchionem Brandenburgensem perscriptum, & de auxilio Principibus adversus omnes adversarios eorum ferendo, promissio satis luculenta facta esset, quo fine quidem tum insignis etiam exercitus ex Gallia ad fines Geldriæ destinatus, propè Zutphaniam, Arnheimium, Nimmegiam & Graviam, ut exigente ita necessitate Principibus præstò esset, substiterat.

Con-

Constantinopoli anno superiori ingens exortum est incendium, quo ad quatuor millia domuum conflagrâsse dicuntur. Ajunt damnum hoc sexagies centum aureorum millibus æstimatum. Sequenti die atrox exorta tempestas, castra supremi Veseris ad Scutarium ita pervasit, ut tentoria, arma, commeatus & obvia quæque disjecerit & abripuerit. Eodem ferè tempore octo illustris prosapiæ pueri (inter quos etiam Proregis dicitur fuisse filius) è Sicilia Constantinopolin captivi perducti; & quatuor quidem exsecti & in gynæceum intrusi, quatuor verò, quòd Christianam fidem abnegare nollent, in carcerem fuerunt conjecti.

Binæ interim à Persarum Rege legationes Romam venerunt ad cohortandum Pontificem, ut pace inter Christianos factâ, is omnes Reges ac Principes ad bellum contra Turcas gerendum excitaret. Persarum Regem, ajunt, omnes Christianos tàm Ecclesiasticos quàm seculares humaniter tractare, & templa etiam & Scholas ædificandi potestatem ipsis permisisse.

Pragæ quoque Silesiorum Legati, similiter ut Bohemi, liberum religionis exercitium & aliorum Privilegiorum confirmationem impetrârunt. Cautum etiam tum fuit, ne supremi Capitaneatus, ut vocant, dignitas nulli posthac ecclesiasticæ personæ concedatur; eoque munere tum Dux Münsterbergius fuit cohonestatus, at similiter, ne in Episcopum Uratislaviensem, post Caroli Archiducis Austriaci moderni Episcopi mortem, quisquam nisi Silesius aut Bohemus natione assumatur.

Sub initium Septembris Brandenburgici & Neoburgici Principum Legati ad Galliæ Regem venientes, amicè admodum ab eo excepti, & honorificè iterum dimissi sunt, aucto militum, quos auxilio Principibus missurum Rex promiserat, numero. Principes verò interea beneficiarios & officiarios Juliacenses, Clivenses & alios Dusseldorpium convocârunt, ut quid in casu necessitatis polliceri sibi de ipsis possent, cognoscerent, armis sese & militibus, quantum fieri poterat ad futuram necessitatem instruentes, quorum aliqui in Juliacenses equites 29. Septemb. incedentes intercepti & Juliacum abducti sunt. Cùm autem currus aliquot variis armis & rebus ad expeditionem pertinentibus onusti Aquisgranum Leodio & aliis ex locis missi ad suspectas ædes divertissent, animadverterenturque multi jam in plateis obambulantes Hispani milites, cives factâ diligenti inquisitione, milites illos urbe confestim exire, renovatis passim ad portas civitatis & conduplicatis excubitoribus, jusserunt.

Post infelicem Demetrii in Moscovia, de quo suo loco dictum est, interitum, cùm alius quidam Pseudo-Demetrius pro legitimo sese Ducatus istius hærede gereret, à Suscio verò, qui rerũ ibi jam potitur, superatus & oppressus esset, Mosci nihilominùs quos ille à partibus suis hactenus habuerat, quiescere nullo modo volentes, Sigismundo Poloniæ Regi ad invadendam, cum ingenti exercitu Moscoviam autores fuerunt, operam suam in occupandis civitatibus ipsi promptissimam deferentes, qui habito consilio, cùm motus Racusanorum in Polonia sedati essent, factâ ad expeditionem istam necessariâ præparatione cum aliquot equitum peditumque millibus sub initium Septembris ipsemet in arcem progressus, castra, occupatis in itinere vilioribus quibusdam Castellis, ad Smolensium, munitissimam inprimis urbem, quæ ad Poloniæ regnum olim pertinens, Sigismundi Augusti tempore ab eo divulsa memoratur, castra sua promovit. Gubernator civitatis de obsidione hac præmonitus, omnia passim ad miliaria aliquot incendio desolata & deformata reddiderat, defensionique ad extremum usque incumbere decreverat, verùm Poloni hoc videntes, metatis statim castris, dispositisque ad murorum dejectionem tormentis, ingentem admodum ab una parte ruinam continuâ displosione excitârunt, quo viso cum speratum diutiùs paulò emaneret subsidium inducias ad dies octo pactus Guberna-

M.DCIX. bernator de deditione cum oppidanis acturum se promisit. At reparatis interea ruinis, recollectisque aliquo modo viribus, ad defensionem animum iterum adjecit, tormentorum in castra regia displosionem vi maximâ instaurans; itaque initiatus Rex impressionem tribus locis fieri mandavit, sed prohibere tamen non potuit, quin mille & ampliùs pedites equitesque in urbem à Susco missi reciperentur, quo facto fiduciæ obsessis plurimùm accessit.

Jubilæus Academiæ Lipsiensis.

Celebravit hoc ipso tempore, Lipsiensis Academia, annum secularem secundum, à prima fundatione; Feriâ nempe secundâ, post primam Dominicam Adventus Domini; quæ hoc anno in diem IV. mensis Decembris incidit. Hic enim verus est Natalis illius Academiæ; quô ante annos ducentos, præsentibus inclytis PRR. Fundatoribus, cum Episcopis, Prælatis, Magistris & Doctoribus, magno numero congregatis, solenniter ea in urbem Lipsensem introducta fuit. Habitæ sunt pridie ejus diei Conciones sacræ ad populum, in utroque templo Parochiali, ad solennitatem hanc Iubilæi potissimùm accommodatæ; à Domino Superattendente, GEORGIO VVEINRICHIO, S. Th. Doctore & Professore; & M. IOANNE MÜLMANNO; Ecclesiæ ad D. Nicol. Archidiacono & Professore. Die altero rursum ab Ecclesiastica concione initium Iubilæi festivitas habuit in æde D. Nicolai: Quâ finitâ, Rector Academiæ (qui id temporis fuit CHRISTOPHORUS MEURERUS, Med. Doctor, & Mathematum Professor Publ.) cum Sereniss. Electoris Saxon. CHRISTIANI II. Illustrissimique Ducis IOANNIS GEORGII, Postulati Administratoris Episcopatus Martisb. nec non Reverendiss. Capituli Martisburgensis, atque inclytæ VVitebergensis Academiæ Legatis; viris nobilissimis, amplissimis & celeberrimis; ad illustrandam & ornandam secularem illam Panegyrin, peculiariter Lipsiam missis; subsequentibus ordine, in solenni ac consueto habitu, IV. Facultatum Decanis; cum reliquo hospitum Generosorum, Illustrium & Nobilissimorum, & tàm Academiæ, quàm Reipublicæ oppidanæ Procerum comitâtu, numeroso ac splendido, ex prædicta æde Parochiali, ad templum Paulinum, quod Academiæ proprium est, se contulit. In eo loco, inter suavissimos concentus Musicos, per intervalla, pronunciatæ sunt è suggesto orationes duæ Latinæ; una de origine, progressu atque incrementis Academiæ Lipsicæ; à M. IOANNE FRIDERICO VVolffeshusio, Franco, Lingvæ Vtriusque & Historiarum Professore publico; altera, numeris astricta Poëticis, & potissimùm ad concludendam, decenti gratiarum actione, illam Iubilæi festivitatem accommodota; à M. CUNRADO BAVARO Hallensi, Poëticæ artis Professore. Fuit in hac Panegyri Academica, tanta literatorum hominum & populi frequentia, quantam in hac urbe nemo meminisse potuit. Publica quoque lætitiæ signa, semel atque iterum, per campanas in omnibus ædibus sacris, perque tormenta bellica, ex Electorali arce Pleissenburgo, in honorem Academiæ, non sine magna totius urbis congratulatione, edita sunt. Rebus porrò peractis in æde Paulina, solenni pompâ ac comitatu, itum est ad seculare Epulum; partim munificentiâ Serenissimi Electoris Saxonici, partim Academiæ impensis (accedente ad has Senatus etiam oppidani liberalitate memorabili) splendidè & opiparè instructum; in ædibus CRAMERIANIS, ad forum sitis; ubi & illius, & sequentis diei, lætitia, inter vota solennia, tàm pro illustrissimæ domus Electoralis Saxonicæ, quàm Academiæ & Vrbis Lipf. salute & incremento, festiviter hilariterque continuata fuit.

Extant typis divulgatæ, tàm conciones Ecclesiasticæ ad populum, quàm Latinæ Orationes, in illa Iubilæi festivitate habitæ; ex quibus originem, progressum,

greſſum, incrementa & ſtatum illius Academiæ perſpicere quivis poteſt. Brevi quoque prodibunt ANNALES ſeu FASTI illius Academiæ, qui non modo ſeriem continuam eorum, qui rexerunt, illuſtrârunt, auxerunt quoquo tempore Univerſitatem iſtam; ſed & deſignationem perpetuam, aliarum quarumcunque rerum in Academia memorabilium, erutam ex variis Academiæ monumentis, & jam inde à fundatione prima, ad noſtra uſque tempora, continuo CC. annorum ſpacio deductam, complectentur; autore M. IOANNE FRIDERICO Fr. Hiſtoriarum Prof. Interea viſum eſt, in gratiam Lectoris inſerere hoc loco Programma Academicum, quo Iubilæi feſtivitas indicta publicè fuit; quandoquidem in eo breviter & ſtrictim pleraq; omnia illa commemorantur, quæ ad dictæ Academiæ originem, progreſſum & incrementa pertinent. M. LCIX.

Rector & Senatus conſilij perpetui in Academia Lipſienſi.

Annus hoc tempore (glorioſi ac præpotentis DEI gratiâ) finitur DUCENTESIMUS; ex quo alma hæc Univerſitas ſtudii Lipſ. è vicinâ Gente Bohemorum, ejuſque Urbe & Academiâ Pragenſi, tanquam Colonia quædam, in hanc oram, & Urbem Miſniæ florentiſſimam, ſingulari Numinis providentiâ, non ſine ingenti Ordinum omnium, Urbis & Ditionis hujus inclytæ, applauſu ac congratulatione, primùm deducta eſt. Cauſſam atque occaſionem primam fuiſſe accepimus, Pragenſis Academiæ, quæ id temporis copioſiſſima erat, & ſtudiis liberalibus, doctiſque hominibus, numero penè incredibili, affluebat, diſſipationem; exortam ab inteſtinis motibus, odiiſque ac conflictionibus acerrimis, quæ tunc, inter initia διχοςασίας Huſſiticæ, de principatu ſeu regimine Academiæ, inter duas primarias Nationes, Germanicam & Bohemicam, exarſerant. Nam dejecti, regiâ ſententiâ, de Principatu Germani (quem ante id tempus, in Electione Rectoris, & Examinibus, cunctiſque aliis conſilis & deliberationibus publicis, ex CAROLI IV. Imperatoris conſtitutione tenuerant) uſque adeò commoti ſunt animis, ut de relinquenda Pragenſi Univerſitate, conjunctis ſententiis, ſtatim conſilium caperent; jure-jurando etiam interpoſito, ne quiſquam Germanorum, poſt cæterorum diſceſſum, in eo loco, ſtudiorum gratiâ, remaneret. Eâ igitur re factum eſt, ut anno Chriſti M. CCCC. IX. cùm publicata jam eſſet Regis ſententia, Germani in magna frequentia Nationum omnium, præſentibus quoque Conſulibus Majoris Civitatis Pragenſis, INSIGNIA RECTORATUS; nempe Sigillum Univerſitatis, Statuta & Matriculam, per M. HENNINGUM BOLDENHAGEN, id temporis Rectorem Academiæ Pragenſis, eumque poſtremum è Natione Germanica, Solenni adhibitâ Proteſtatione, deponerent: Die nimirum XI. menſis Maji, circa horam I. poſt meridiem; atque inde, paucis interjectis diebus, è civitate Pragenſi abirent univerſi; tanto numero ac multitudine, ut intra octiduum, Magiſtri, Doctores, Baccalaurei & Studioſi, fermè VICIES MILLE (imò, ſi credimus Hageco, Scriptori Boh. QUADRAGIES MILLE) ex Bohemia diſceſſerint. Cùm verò alii (ut fit) aliò commigrarent, ut hoſpitium Muſis, ſedemque idoneam quærerent; in hanc quoque regionem, vicinam Bohemiæ, & præcipuè in urbem Lipſenſem, magnæ catervæ ſtudioſorum (numerum, ajunt, excreviſſe ad DUO MILLIA) Duce & Autore JOANNE HOFMANNO Suidnicenſi Sileſio, cujus tunc præcipua autoritas erat, confluxerunt; & ſe ſuaque ſtudia contulerunt in fidem & patrocinium laudatiſſimi Principis, FRIDERICI, cognomento BELLICOSI, primi ex inclytæ ſtirpis Saxonicæ Ducibus (è Marchionum Miſnenſium proſapia) SEPTEMVIRI & ELECTORIS; qui ſapientiâ, fortitudine ac potentiâ, inter imperii Principes, maximè eâ tempeſtate eminebat. Hic Princeps ſapientiſſimus, cùm digni-

M.DCIX. dignitatem ſtudiorum liberalium, utilitatemque inde ad omnes vitæ humanæ partes promanantem, ſatis intelligeret, patronum ſe perbenignum exhibuit diſſipatis & exulantibus Muſis: Dum non ſolùm eas, cum Principe inclyto, VVILHELMO Fratre, liberaliſſimè recepit, & in hac urbe ac ſede collocavit; Sed etiam præſidiis neceſſariis atque immunitatibus ita ſepſit, ut non ad ſeculum unum aut alterum, ſed ad perpetuitatem quandam egregiè comparata omnia videri poſſent. Deerat adhuc Confirmatio uſitata à ſuperiori Poteſtate; quam & ipſam, more ac conſuetudine temporum illorum, commodavit ALEXANDER V. Pontifex ſummus, qui Privilegio novæ huic Academiæ largè liberaliterque contulit; diplomate miſſo ex urbe Piſis (ubi Papalem non ita pridem obtinuerat eminentiam) die IX. menſis Septembris, ejuſdem anni M.CCCC.IX. Quod diploma cùm brevi pòſt allatum huc eſſet, Conſtitutio demum novæ Academiæ Lipſenſis, in Cœnobio Canonicorum Regularium ad D. Thomæ (præſentibus inclytis PRR. Fundatoribus, cum Epiſcopis, Prælatis, Magiſtris & Doctoribus, magno numero congregatis) ſolenniter publicata fuit anno eodem, Feriâ ſecundâ, poſt primam Dominicam Adventus Domini; quæ hoc anno in diem IV. menſis Decembris incidit. Hic igitur eſt Natalis, hic ortus, hæc prima quaſi incunabula Vniverſiatis Lipſicæ; quæ, ſicut matrem habet Academiam Pragenſem Bohemicam, ita Aviam Pariſienſem in Galliis, & Proaviam Bononienſem in Italia, non immeritò agnoſcit. Nam multa habet, tùm in ipſa Conſtitutione, tùm Privilegiis, cum prædictis his Academiis communia; ut inſtar generoſæ ſtirpis velut enata ex illis atque proſeminata eſſe, non ſine cauſâ, videatur. Quemadmodum verò præclarè hanc Academiam conſtituerunt Fundatores primi, Principes ſempiternâ memoriâ digniſſimi: Sic eandem multis acceſſionibus locupletârunt, ornârunt & auxerunt, annis ſequentibus, illuſtriſſimæ Proſapiæ Saxonicæ Principes & Electores laudatiſſimi. Nam & horum operâ poſteà impetratum fuit Privilegium memorabile SIXTI Pontificis, quo cavetur; *Ne membra Academiæ Lipſicæ ad extraneum trahantur judicem*; Quod Privilegium anno Chriſti M.CCCC. LXXXI. editum eſt: Et THILONI Epiſcopo Merſeburgico, eodem tempore datum eſt negotium, ut quandam Academiæ correctionem ſuſciperet, inque ordinem, quæ lapſu temporis depravata aut diſſipata quoquo modo viderentur eſſe, redigeret: Quod factum ab eo fuit, anno LXXXIII poſt M.CCCC. à nato Salvatore. Eorundem quoque Principum inclytorum operâ factum eſt, ut tandem inſignem hanc quaſi coronidem adderet Privilegiis & immunitatibus noſtræ Academiæ, LEO X. Pontifex Romanus, qui novo diplomate (anno Chriſti M.D.XIX.) partim auxit ac confirmavit Privilegium Sixti Pontificis; *Quòd membra Academiæ, quibuſcunq; in cauſſis, coram ſuo Rectore duntaxat conveniri poſſint ac debeant; nec coram quovis alio judice, niſi in caſu denegatæ juſtitiæ, in juſtitia, reſpondere teneatur:* Partim jus Academiæ in avocandis ſubditis, quod ab antiquo unius, poſteà duorum dierum itinere circumſcriptum erat, ad triduani itineris ſpacium extendit; ut ita Privilegii hujus vigore, *queſcunq; ſuppoſitos Vniverſitatis hujus, ex quibuſcunq; locis, etiam uſq; ad* TRES DIETAS (ſic enim habet diploma Pontificium) *incluſivè trahere poſſit.* Quod IUS AVOCANDI (jam inde ab incunabulis Academiæ deductum, & actibus corroboratum multiplicibus) ut eſt ornamentum peculiare hujus Academiæ; ſic Illuſtriſſimorum Principum, Electorum & Ducum Saxoniæ, clementiſſimâ conceſſione & ope ſubſidiariâ, ſicubi opus fuit, conſervatum hactenus, & jam ad CC. annorum memoriam, obſervatione continuâ tranſmiſſum eſt. Porrò extant etiam beneficia in hanc Academiam præclara & eximia Principis optimi, GEORGII, Ducis Saxoniæ, qui præter cætera operam dedit, ut depulsâ barbarie, paulatim in Academiam hanc politiores intro-

duce-

ducerentur literæ; evocato ad eam rem, ex Treviris, viro egregio, PETRO MOSELLANO; cujus quidem operâ non diuturnâ, sed tamen admodum utilis & fructuosa huic Academiæ fuit. Sequutus est tandem generosissimus Heros, & Dux Saxoniæ fortissimus, MAURITIUS Elector, qui non solùm cœlestis doctrinæ cultum & propagationem liberalissimè promovit in Vniversitate hac: sed in ea quoque ornanda & amplificanda suam munificentiam, tanto Heroë dignam, prolixè demonstravit. Nam ædes Paulinas, quas Monachi antè possidebant, cum adjunctis aliquot pagis & sylvis, Vniversitati liberalissimè donavit; Oeconomiam in iisdem, pro tenuioris fortunæ Studiosis, instituit; Certa stipendia, Theologica præsertim, ordinavit; Salaria Professorum amplificavit & auxit. Quibus adjumentis, divinis & humanis, emendata est Academia tota, explosa Sophistica, & facta in omnibus disciplinis doctrina illustrior; Repurgata Theologia, aucta Juris scientia, correcta Medicina, & ex tenebris barbarieque revocata Philosophia, & reducta in forum Eloquentia. Hunc statum Academiæ, satis florentem & integrum, non solùm posteà conservavit potentissimus & illustrissimus Saxoniæ Dux & Elector AUGUSTUS: Sed multis etiam modis, universali editâ Reformatione, clariorem eundem illustrioremque reddidit. Nec minori curâ atque solicitudine in eam rem incubuit laudatissimæ memoriæ Princeps, CHRISTIANUS I. Elector, Filius: cujus erga Academiam hanc affectio paterna, studiumque in ea augenda & illustranda incredibile, adhuc quodammodò ante oculos nobis omnibus obversatur. His verò Nutriciis Academiæ nostræ, τοῖς ἐν εὐλογίᾳ, benignissimis ac munificentissimis, accedit hac nostrâ quoq; tempestate Serenissimus Princeps, CHRISTIANUS II. Saxoniæ Dux & Elector &c. Dominus noster clementissimus: qui cum Generosissimis Principibus, Fratribus, JOHANNE GEORGIO & AUGUSTO, Saxoniæ Ducibus illustrissimis, similiter omni curâ studioque hoc ipsum agit, ut cum verbi cœlestis doctrinâ sincerâ atque incorruptâ, hac quoque Academia sit, & permaneat in posterum, quàm florentissima. Quam paternam voluntatem, & affectionem clementissimam, multis hactenus signis & documentis ostensam evidentissimis, ut etiam deinceps serenissima ipsius Celsitudo, cum Fratribus illustrissimis retineat erga bonas artes ac literas, earumque doctores fideles, ac cultores industrios, & simul in hoc munere gubernationis eminentissimæ, vivat, valeat, & iam corpore, quàm animo diutissimè floreat; DEUM misericordem ac præpotentem, ex intimis pectoribus, meritò precamur universi.

Ex his, quæ commemorata hactenus sunt, perspicuum esse arbitramur, unde prodierit, a quo fundata, quâ ratione constituta, quibus accessionibus & præsidiis aucta firmataque sit Academia nostra. Porrò si jam utilitates & commoda multiplicia percensere vellemus, quæ ex Academia nostra in laudatissimam hanc Rempublicam, in hunc Misniæ Ducatum florentissimum, in alias longe distitas Nationes atque Provincias uberrimè redundârunt, non solùm charta nos, sed etiam verba deficerent. Id certum est, sapientissimum Principem Fundatorem hujus Academiæ, rem fecisse æterno DEO inprimis gratam, Vrbi verò & Provinciæ huic, imò Orbi Christiano toti, apprimè utilem & salutarem; Nec meliùs de suis posteris mereri eum potuisse, si vel totius regni Bohemici opes & thesauros in Misniam importâsset. Ex hac enim Academia, per totos jam annos ducentos decus eximium & sempiternum literarum, & simul verbum cœleste, sincerum & incorruptum, in omnem hunc Ducatum, & Orbem latissimè emanavit. Lipsia igitur hæc, quæ ante fundatam Academiam, non nisi Misniæ, aut certè Mercatoribus tantùm exteris ab emendis vendendisque mercibus nota erat: ab eo tempore cœpit esse nobile Emporium rerum longè preciosissimarum, quæ animum hominis scientiâ liberali, lingvam eloquentiâ, vitam ipsam virtutibus pulcherrimis ornant, muniunt, locupletant.

Vnde

M.DCIX. Vnde Respublica hæc nominis sui famam, non modò per vicinas terras, sed etiam per universam Europam & alias quoque Mundi partes, ubi Musis & humanitati locus est, longè lateque disseminavit.

Id verò tantum beneficium, à præpotenti DEO nobis in hujus Academiæ conservatione, benignissimè præstitum, cùm par sit omnium ore deprædicari, gratisque agnosci & celebrari animis; præsertim hoc tempore, quo SECUNDUM à fundata Academia desinit, & jam novum idque TERTIUM init SECULUM: Idcircò de Serenissimi Electoris nostri sententia ac voluntate clementissima, visum est, publico hoc programmate FESTIVITATEM ACADEMIÆ SECULAREM indicere: hortarique ac commonere omnes scholasticæ nostræ Jurisdictioni subditos, ut Feriâ secundâ post primam Dominicam Adventus (quæ Lux natalis est Academiæ nostræ; incidens hoc anno, in diem quartum mensis Decembris) ad eam solennitatem frequentes conveniant, & nobiscum vota ad DEUM præpotentem, pro alma hac Academia, ejusque conservatoribus inclytis, serenissimo Electore, & illustrissimis Ducibus Saxoniæ cum religiosa & devota pietate faciant. Ad quam solennem actionem celebrationemque & invocationem divini nominis seriam & ardentem, ut paulò magis exuscitentur atque inflammentur pia pectora: non abs re etiam fore visum est, duas haberi, pridie ejus diei, conciones Ecclesiasticas, in oppidanis templis, ad eandem festivitatem secularem præcipuè accommodatas. Quibus concionibus duabus rursum una, die altero, accedet Homilia ad populum, in Parochiali templo ad D. Nicolai: Et per hanc quasi initium festivitatis Academicæ fiet. Eâ finitâ demum (circiter VIII. horam) mox solenni comitatu in templum inde Paulinum ibitur: atque ibi cætera, quæ festivæ hujus solennitatis propria sunt, tandem peragentur.

Quod ergò reliquum est, studiosam præcipuè juventutem monemus & hortamur denuò, ut prædicto die ad celebrandum hunc Ducentesimum Academiæ Natalem maturè confluant, nec tantùm corporibus, sed etiam animis præsto sint, audiantque ac cognoscant per silentium ea, quæ in seculari hac Panegyri dicentur, tum de Academia ipsa, ejusque fundatione, incrementis & fortunâ mirabili per duo præterita secula; tùm de utilitatibus immensis, quæ ex Academia hac partim in universum Misniæ Ducatum, partim in alias terras atque provincias uberrimè emanârunt. Cogitent præterea, quantum sit DEI beneficium, quòd tanto tempore locum hunc voluerit esse exoptatum hospitium Musarum, hoc est, studiorum liberalium, & Ecclesiæ Christi salutarem officinam; Gratias eidem agant devotis pectoribus, pro cœlesti auxilio præstito hactenus Ecclesiæ CHRISTI in his oris, & inclytæ urbis hujus Academiæ; supplices quoque futurum hoc seculum, & si quæ porrò sequentur tempora, divinæ protectioni commendent. Denique (ut decet Christiana pectora) cum lætitia ac jubilo festum hoc agant seculare; QVOD NEMO NOSTRUM VIDIT, NEMO VISURUS EST. Prop. Lipsiæ sub exitum seculi secundi, à fundata Academia; qui incidit in ultimum mensem anni M.DC.IX. à nato Salvatore.

SENARII
NVMERALES
X.

Ad annum Christi M. DC. IX. pro memoriâ Jubilæi Lipsici.

BOheMIæ DatVr reLIgIo LIbera.
BLIs Magna De regIone sVrgIt GyLIa.
GrataM DEO sc IVbILans fert LIpsIa.

ACa

ACaDeMIæ sartæ & VIgentIs gratIâ,
Annos DVCentos InDe InItIa post Data.

VIgore In Isto perstet ergò ACaDeMIa:
SIt sospes Vrbs ACaDeMIæ pIa hospIta:
ReLLIgIo sana DetVr In BoheMIa:
DIreMta LIs & sopIatVr GyLIa.
Fas est ea Inter IaM preCarI gaVDIa.

Vincentius Schmuck *D.*

Septimo Decemb. die, Georgius Turso, unanimi centum & quinquaginta procerum consensu, in Palatinum Hungariæ electus, & solenni acclamatione atque gratulatione salutatus est, cumque triduo pòst, delegati Austriaci in consilium Hungarorum admissi, petiissent, ut initi & contracti invicem fœderis memores, operam suam Evangelicis in Austria Statibus, quòd propter religionem novum ipsis imminere periculum videretur, præstarent, non solùm responsum ab eis benevolum receperunt, sed & uti novus ille Palatinus intercessionem suam apud Regem interponens, relinquendum ipsis, quod promissum esset religionis exercitium peteret, liberalissimè obtinuerunt.

Convenerunt Halæ Suevorum de rebus maximis deliberaturi Elector Brandenburgicus cum fratre suo Episcopo quondam Argentinensi, Johannes Princeps Palatinus Bipontinus, Philippus Ludovicus Palatinus Neoburgicus, cum duobus filiis suis VVolffgango Guilelmo & Augusto Principibus, Joachimus Ernestus Marchio Onolsbacensis, Joannes Fridericus Dux VVirtembergicus, Marchio Durlaco Badensis, & Christianus Princeps Anhaltinus, Philippus Ludovicus Comes Hanoviensis Mintzenbergius, Otto Comes Solmensis, Joannes Comes Nassoviensis Dillenbergicus, Gotfridus Comes Oettingensis, Fridericus Magnus Comes Erpachensis, VVolffgangus & Georgius Fridericus Comites ab Hohenlohe, Crato & VVolffgangus Comites Solmenses, Comites duo Levensteinici VVertheimenses, Ludovicus Eberhardus & Philippus Henricus Comites ab Hohenlohe, VValdburgenses, Gotfridus Comes Casselensis, Comes item Svvartzenburgicus, Otto Rheingrafius, Joannes Ludovicus Comes Leiningensis, Joannes Jacobus Comes Ebersteinius, Guilhelmus Comes Manstadensis & Comes Bentheimensis; Guilelmus, Albertus, Carolus, Erasmus & Eberhardus Schenckii, Barones Limburgenses, Baro Sanisheimensis, & Joannes Albertus Baro VVolffsteinensis, Legati præterea Electoris Palatini, Hassiaci, & Brandenburgenses Culmbachici, quibus civitatum Imperialium quindecim delegati, nec non Galliæ Regis Legatus cum centum & quadraginta personarum comitatu sese adjunxerant. Contrà verò & ex parte Catholicorum, ab Ecclesiasticis & politicis personis quàm plurimis, conventus Herbipoli celebratus est. Finitis autem illis utriusque partis conventibus, copiosius passim exercitus in Germania, in Gallia quidem, Anglia & unitis provinciis Belgicis pro Brandenburgico & Neoburgico Principibus, in Bohemia verò, Hispania, Italia & locis aliis pro Leopoldo Archiduce conscriptus est, delectusque varii habiti sunt.

ANNO

ANNO M.DCX.


N regione Pedemontana est Cevensis Marchionatus, asperis & præaltis montibus collibusque undique circumcinctus, qui densissimis passim nivibus rigentes & oppleti cernuntur. Hæ à continua tempestate, maximaque pluviarum, imbrium & ventorum passim sub anni hujus initium sævientium vi resolutæ, circa 11. Januarii diem, aquarum in subiectas valles tantum profuderunt, ut quatuor hominum millia & amplius cum ingenti pecorum copiâ illis suffocata perierint, arcibus octo, pagis verò triginta duobus miserabiliter vastatis atq; dissipatis. Confluentibus autem undiq; aquis istis, Arnus fluvius per mediam Cevam urbem, quæ Marchionatus istius caput & metropolis est, transiens, in tantum 13. Januarii die excrevit, ut pontem ei impositum præstantissimum, qui octodecim arcubus, ex quadrangulari lapide, catenis ferreis firmissimè coadunato & compacto, raro artificio extructis, miraque crassitie & præcelsâ altitudine stupendis constabat, impositaque ei centum & viginti ædificia gestabat, repentino & subito sub mediam noctem impetu disjecerit, habitatoribus istarum ædium submersis & abreptis. Sequenti 14. Januarii die exundantibus undique ex Arno aquis, inferior urbis Cevensis pars planè obruta fuit, tantâ celeritate, ut pauci periculo se eripere, & in superiorem urbis partem confugere potuerint. Corruit tum horam circiter quartam vespertinam, elegantissimum & magnæ vastitatis templum, cui Salvatori nomen erat, & mille quingentos homines tum submersos, cum multis thesauris & opibus periisse, constans fama fuit. Vrbs enim ea quasi receptaculum erat pulcherrimarum & pretiosissimarum, quæ ex Orientalibus provinciis advehuntur mercium, unde divitiis affluentes incolæ, vitam in omnis generis voluptatibus transigebant, quàm ut emendarent, paulò antè divinitùs, voce incognitâ, resipiscite & nolite tardare, per dies septem continuos, circa vesperam, ter eis acclamante, moniti fuerant.

Ad Trajectum seditiosi quidam & rebus novis studentes turbas dare, motusque periculosos excitare sub initium hujus anni cœperant, ne igitur malum illud latiùs serpendo aliis etiam unitarum provinciarum civitatibus incommodaret, Comes Mauritius habito in Ordinum conventu consilio, ad quietem seditiosos componere, aut ita machinationibus perniciosis abstinerent, hortari summâ humanitate cœpit. Postquam autem aërem se ferire & nihil proficere videret, habito statim delectu, cum centum peditum signis, aliquotque equitum turmis versus Verdense castellum, ut vi summâ contumaciam eorum compesceret, profectus est, qui inde perterrefacti, ad officium tandem redierunt. Caussam istius tumultus Ordines scripto publico declarantes, notum esse dicunt, Trajectum superioribus temporibus variis motibus subjectum, seditiosis & inquietis hominibus oppressis ad viginti duos circiter annos, molestiarum & turbarum nihil sensisse, excepto quòd, cùm Spinola anno 1606. exercitum Hispaniæ Regis & Archiducis Alberti nomine, ad Vaalis & Isalæ ripam traducere statuisset, gliscere seditiones in civitate aliquo modo iterum cœperint, quæ tamen diligenti curâ & operâ eorum, qui ex primaria nobilitate, ad clavum Reipublicæ tum sedebant, oppressæ statim & extinctæ rursus fuerint. Præterito autem mense Januario, perversos quosdam & inquietos homines occultis suis machinationibus effecisse, ut ex communi plebe plurimi exacerbati & in furorem quasi versi arma corripuerint, & non solùm magistratum mutare, Consulibusque Scabinis & Senatoribus, qui ante menses quatuor ab Ordinibus more consueto designati, & à Comite Mauritio, ut ad 1. Octobris hujus anni Magistratum gererent, confirmati fuerunt, exauctoratis, Consules & Senatores alios, quos malis suis conatibus promovendis idoneos fore putaverant, constituere

tuere nihil quicquam veriti fuerint, sed & arma se deposituros, nisi contributionem ad communem provinciarum defensionem & stipendiorum, quæ militibus debentur persolutionem, pertinentium onere levati, planè recusârint, eò usque Velaniæ, perversorum istorum instinctu provecti, ut Mauritio Comite ipsomet, cum aliis Ordinum delegatis, urbem admotus istos componendos ingresso, turbas nocte dieque non semel excitare, & explicato vexillo ad arma, vim manifestam Legatis inferendo, & superbè admodum Mauritium, ut assensum illis omnibus, quæ circa magistratus constitutionem Ordinibus antea deliberanda proposuerant, præberet, eaque rata & grata haberet, cogere colendo, conclamare nihil quicquam dubitârint, confictis subinde novis calumniis ad exacerbandos magis magisque civium animos admodum idoneis, utpote, quòd Ordines exercitum in urbem introducere decrevissent, quòd aliis etiam in provinciarum civitatibus ejusmodi seditionum incendia accensa jam arderent, quòd item ad Leovartum, cives ob remotionem Consulis gladio percussi essent, unde factum, ut non solùm despectui Legatos haberent, sed & tametsi, requirente idipsum Mauritio, non prohibituros sese, quò minùs, donec in conventu Ordinum Trajectensium, his de rebus deliberaretur, cuilibet urbem ingredi, in ea pro libitu versari, & confectis negotiis eâ iterum exire liceret, polliciti fuerant, mutatâ jam sententiâ, non dimissuros sese ex urbe Mauritium & Legatos statuerent, juramento eos Ordinibus in hac causa præstito soluturi omninò atque liberaturi. His igitur tàm enormibus eorum delictis & attentatis permotos unitarum provinciarum Ordines, habito cum Galliæ & Angliæ Regum Oratoribus consilio, Verdam concessisse, ubi præsentibus Comite Mauritio, ejus fratre Henrico Ordinibusque & Consiliariis urbis Trajectensis, nec non deputatis ad hoc Trajectensis provinciæ nobilibus, adlaboratum ab Ordinibus sedulò sit, ut controversiâ omni sublatâ, tumultus amicè componeretur, sed ne hoc fieret, per solos urbis delegatos, qui in eo toti fuerint, ut Mauritius in urbem iterum reversus rem omnem armis civium quasi constrictus componeret, stetisse. Cæterùm cùm ne molestiam Comiti Mauritio hoc nomine crearent admoniti promisissent, ad superiores suos id sese relaturos, conventum quidem Verdensem solutum esse, Trajectenses verò ne responso quidem suos ea in re dignatos esse, sed tantùm importunas & imperfectas literas ad Comitem Mauritium dedisse, quare ut nihil præcipitarent Ordines, per literas à novo magistratu petiisse, ut vel transactioni Verdensi starent, vel si in urbe controversiam componendam omninò censerent, ne quatuor delectorum militum cohortes, pro cavendo omni tumultus periculo, & vitâ fortunisque bonorum conservandis admittere in urbem gravarentur, magistratum verò inconvenienti iterum & imperfecto responso, pro authoritate unionis confœderatarum provinciarum annihilanda, literas illas tùm excepisse. Cùm igitur non modò nihil se proficere Ordines viderint, sed & Trajectenses malam suam causam missis ad urbes vicinas Legatis excusare, & quocunque modo palliare animadverterint, habito iterum conventu, attentata ejusmodi tàm enormia severissimè vindicare, & ad obedientiam contumaces reducere, collecto exercitu decrevisse.

Leopoldo Archiduce ad Juliacum occupato, milites passim per diœcesin Argentinensem, in ipsius gratiam Francisci Grichingensis Comitis operâ conscribebantur, qui viritim distributi agricolis passim & aliis per Alsatiam incolis, molesti admodum & importuni fuerunt, Lutherianis Argentinensibus, Obernkirchensibus & Badensibus extrema quæque minantes, unde Argentinenses quidem, conscriptis pro defensione sua aliquot militum signis, tormentisque passim in vallo dispositis, excubias agere majori quàm antehac studio frequen-

M. DCX. frequentiaque cœperunt. Cùm verò conventum antehac esset, diribitorium ejusmodi nullum in diœcesi Argentinensi instituere, Principes vicini, ne quid indè ad suos etiam damni derivaretur, disturbandum maturè exercitum istum, & à pernicie regionem istam vindicandam censuerunt, cùm præsertim, qui circa Moltisheimium & Tabernas Alsaticas antè consederant, jam in Vansenariam ad Rhenum usque descendere non dubitarent.

Decimo igitur Martii die Electoris Palatini, Marchionis Durlacensis, & Principis VVirtenbergici copiæ, superato Rheno, Offendorfium versus contenderunt, quo cognito Leopoldici, ex Vensenaria statim recedentes, Moltisheimium & Tabernas versus sese receperunt, Principum autem milites duodecimo Martii die Vansenivam ingressi, arcis Præfectum, quòd deditionem facere initiò recusaret, occupato arce, custodiæ mancipârunt, nihil quicquam injuriæ incolis inferentes. Inde Dachsteinium versus & Molsheimium excurrentes, excubitores quosdam sclopetis eos impetentes, occiderunt. Sequenti die duo adhuc VVirtembergicorum militum signa per pontem Rheni adventantia, Reichstadii sese submiserunt.

Congregatus autem universus Principum exercitus, vicesimo quarto Maji horam circiter matutinam decimam, Argentinensem civitatem (ad quam portæ clausæ tenebantur) prætereundo, Geispitsium, qui unico ab urbe miliari distans pagus est, contenderunt, ibique vallis & propugnaculis subitaneo opere excitatis probè sese muniverunt. Erant autem octodecim peditum & decem equitum vexillationes, tormenta duo ænea & mortarium unum secum ducentes, Duce Othone Comite Solmensi. Nemini autem injuriæ quicquam ab eis inferebatur, quippe qui commeatum etiam omnem eò allatum præsenti pecunia redimebant. Grichingensis interea ne ad arma perveniretur, summo adnitens studio, intra quatuordecim dies deducturum se exercitum, & lustrationem nullam isthic loci facturum promisit, itaque Marchiaci (sic enim omnes nominabantur) solutis castris, vicesimo nono Martii, Geispitsio Rhenum versus, atque inde demum quisque ad Principes suos, iterum reversi sunt. At vero Leopoldici, metu isto liberati, in pagos sese iterum distribuerunt, molestiarum plus quam antea agricolis creantes, injuriâ quoslibet afficientes, famosos libellos cantilenasque de Electore Palatino & Marchione Durlacensi spargentes, & milites istos, quod tam facilè loco se dimoveri passi essent, ludibrio exponentes.

Sub initium Aprilis, in Transylvania conspiratio adversus Gabrielem Bathoreum Transylvaniæ Principem excitata, multis exitio fuit. Princeps enim ex præsentissimo vitæ periculo mirabiliter sese expediens, autores seditionis partim trucidavit, partim proscripsit & exilio perpetuo mulctavit, moxque datis ad Georgium Tursonem Hungariæ Palatinum literis, cùm eorum aliqui in Hungariam concessisse dicerentur, eos observari & comprehendi, ne tale quid ibi etiam, occulto Jesuitarum instinctu & manifesto erga religionem odio molirentur, petiit.

Pragam duodecimo Aprilis Brunsvvicensis Princeps cum exiguo comitatu advenit, quem 23. Elector Coloniensis, itemque Ludovicus & Philippus Hassiæ Landgravii secuti sunt. Die 26. Elector Moguntinus, sequenti verò Elector Saxoniæ cum insigni ducentorum & quinquaginta equorum, personarum verò trecentorum comitatu advenerunt, Maximiliano & Ferdinando Archiducibus, cum ducentarum personarum comitatu, eos 28. Aprilis die sequentibus. Electores isti & Principes, omnes cùm Calendis Maji Cæsarem simul accessissent, propositionem, de qua deliberationem in conventu isto instituerent, scripto comprehensam acceperunt. Ea verò tria hæc capita complecte-

plectebatur, reconciliationem nempe Majestatis suæ, cum Matthia Hungariæ Rege, successionem Regis Romanorum, & compositionem motuum sive certaminum Juliacensium, de quibus quidem deliberandi initium quinto statim Maji in d. fu.cti Popelii ædibus, initium, à prædictis Electoribus & Principibus factum est. M. DCX.

Cùm Henricus Burbonius, Quartus ejus nominis Galliæ & Navarræ Rex, collecto, uti suprà diximus, ingenti exercitu expeditionem extra regnum moliri decrevisset, & verò mortalitatis periculorumque, in quibus versaretur, recordatus, quid DEUS & fata in se statuissent, nesciret, etsi conjugem suam, Reginam & regni Gubernatricem, inaugurari, filium verò suum natu maximum, Principem Delphinum, futurum Regem declarari, solenniter curaret, eosque ad clavum Regni collocatos, subditis gubernatores, se absente, præficeret & commendaret, operæ precium omninò & necessarium putavit. Indictis igitur Comitiis, & convocatis ad solennitatem istam regni proceribus, cùm tempus inaugurationi constitutum adesset, Rex 4. Maji veteris, vel 14. novi Calendarii die, horam circiter dimidiam quintam vespertinam, ascenso curru, ut & arcus triumphales aliaque ad solennitatem istam facta præparamenta perlustraret, & armariam deinde domum pro more suo ingrederetur, hinc inde per vicos & plateas civitatis vectus est. Accidit autem, ut cùm ad plateam Ferroneriam, quam vocant, Rex in curru, Monbassonio & Espernonio Ducibus assidens, aliquid contemplaretur, & impedimentum quoddam ab occursu alterius cujusdam currus, fortè fortunà ei objiceretur, Sicarius quidam ex turba se opponens, currum subitò involârit, & venenato ad eam rem peculiariter parato cultro utrinque acuto (exhorresco referens) Regem, in sinistro pectore, sub quintam costam, ubi cordis domicilium est, geminato ictu percusserit, & tàm lethaliter vulnerârit, ut sermo eum statim & vires defecerint. Duces igitur ei assidentes, & comitatus, qui aderat reliquus, tàm atroci & subito facinore stupefacti, ad arcem statim properare aurigam jusserunt, ubi Rex animam statim exhalavit & mortuus est. Casus iste inopinatus, omnium animos tanto vel mœrore vel stupore attonitos tenuit, ut præter eorum, qui facti tàm atrocis auctores fuerunt, expectationem, ne indicium quidem tumultus vel seditionis alicujus, (quod in tàm populosa civitate, nobilibus & ministris Regiis tum refertissima, mirandum maximè) animadversum, nihilque præter assiduas utriusque religionis hominum lamentationes & querelas auditum sit. At Parlamentum quidem ut [illegible]nunciatum de hoc facinore est, Proceres, ne tumultus aliquis oriretur, eâdem adhuc vesperâ Reginam, & regni Gubernatricem declarârunt, & missis ad Præfectos Officiariosque regios literis, quid faciendum eis hoc casu esset, maturè significârunt.

Sequenti die, Duces & Proceres omnes, quos Pares Galliæ vocant, unà cum Cardinalibus & Antistitibus reliquis, ad Reginam & Delphinum, futurum Galliæ Regem accedentes, eum in curiam seu Parlamentum adductum, inque thronum Regium collocatum, præsente Regina matre, consuetis ceremoniis & solennitatibus, Regem Galliæ declarârunt. Inde templum San: Mariæ ingressi, pro felici ejus gubernatione, & ut in salutem regni conservaretur, supplicationes fecerunt, quibus peractis, Regina omnes Proceres reformatam religionem profitentes, qui tum quidem in urbe erant, ad se sensim accersitos, amicâ admodum oratione compellavit, nihil in constitutionibus & edictis circa pacem religionis vivo adhuc Rege factis mutatum, sed omnia in pristino statu & vigore debito conservatum iri promittens.

Quod ad Sicarium ipsum, seu auctorem hujus tàm atrocis parricidii attinet, is peracto facinore comprehensus statim & in carcerem conjectus est.

M. DCX. Reperta sunt apud eum frustula quædam panis consecrati & hostiolæ, quas vocant, seu panes non fermentati rotundi, quorum in Missa Pontificia, & aliàs in sacra cœna usus est, itemque schedulæ quædam variis characteribus & literis insignitæ, in quibus ipse spem omnem positam habuerat. Interrogatus deinde & quæstioni subjectus, aliud nihil respondit, quàm nomen sibi Francisco Rovillatto esse, qui natioone Gallus & quidem ex urbe Angoulesmia oriundus, ante annos aliquot nomen suum Franciscanorũ mendicantium Ordini dedisset & monachus factus fuisset. Cæterùm ad facinus hoc perpetrandum, peculiaribus quibusdam revelationibus & visionibus incitatum & compulsum, à præterito Paschatis festo occasionem Regis interficiendi quinquies, nequicquam captâsse: Lætati verò, quòd tandem ex voto res successerit, nec de corpore suo sollicitum esse, licere proceribus quod velint de eo statuere.

Cùm igitur extorqueri ex eo nihil ampliùs posset, latâ in eum sententiâ, die vicesimo septimo Maji, horam circiter postmeridianam tertiam, interulâ albâ indutum, & facem ardentem manibus tenentem, in templum San: Mariæ curru carnifices, ut DEUM ibi, Regemque & justitiæ administros sive judices veniam precaretur, quamvis diabolica ejus lingva ad maledicta magis quàm ad preces prona esset, duxerunt. Inde in aream Greve dictam pontemque eam ob caussam ibi excitatum, cum eo ascendentes carnifices, manum ejus primò, sicam tenentem, cubito tenus admoto igne combusserunt, & in cinerem redegerunt, deinde candentibus forcipibus in utroque femore, brachio, pectoreque convulsum fervanti oleo & liquefacto plumbo perfuderunt: Præterea infuso in ventrem ejus plumbo & oleo eum exeruciârunt, matre ejus ad interfœmineum usque denudatâ, ob oculos ei positâ, & stipatoribus uterum cum suâ causâ maledictum exquisitisque jam cruciatibus, destinatum esse, si fortè ad agnitionem & detestationem perpetrati à se facinoris, commoveretur, ne quicquam acclamantibus. Tandem cùm nullam pœnitentiæ signum ederet, sed atroci & minaci vultu, nisi perpetratum facinus esset, etiamnum id se perpetraturum diceret, totum corpus quatuor equis in frusta raptatum & discerptum est, populo frusta illa per plateas raptante, & diris maledictionibusque infinitis funus tam infandum prosequente, donec igni objecta frusta omnia à Carnifice in cinerem redacta sunt.

Parisiis Parlamenti Assessores libellum, quo Jesuita quidam parricidii à Monacho in Henrico Tertio anno 1589. designati patrocinium [illegible], & licere alicui tyrannum salvâ conscientiâ interficere statuerat, quod forsitan revelationes suas Sicarius & Regis Henrici Quarti parricida, de quo suprà dictum, in eo deprehenderit, igni comburendum judicârunt, ædibus parricidæ disturbatis & solo æquatis, parentibus verò & cognatis ejus ex regno, cum severissimo mandato Angoulesmios ne se inposterum dicerent, ejectis, & perpetuâ relegatione proscriptis.

Sub finem Maji Legatus à Persarum Rege Pragam iterum adveniens, cum quingentorum equitum, obviam ei ex civibus profectorum comitatu in urbem deductus est, eumque ad Cæsarem, præsentibus Electoribus & Principibus, quos Pragam ingressos, suprà diximus, admissus esset, munera ei Regis sui nomine sequentia obtulit, Topazium eximiæ magnitudinis, Regi Persarum, muneris loco a Rege quodam Persarum, qui urbem illam tum occupaverat, repertam, multis pretiosis gemmis ornatam, inter quos succinum albi & viridis coloris maximè conspicuum erat Mariæ virginis, infantem in ulnis tenentis effigiem, naturâ ita formatam referens: cultros duos Damasci, quæ *Metropolis* Syriæ est, factos manubria ex Jaspide, vaginas verò carbunculis & adamantibus exornatas habentes; Lignum quoddam Indicum, Persarum Regi ex India transmissum,

missum, purgando stomacho, doloribus pectoris medendis, & viribus corporis omnibus confortandis aptissimum : Fel Pelicani, Pleuritidi, Apoplexiæ, Febri & morbis aliis medicinam præstantissimam asserens : Topazium album, venulis nullis deformatum, ovi anserini magnitudine ; Topazium violaceum, tantæ magnitudinis, ut poculum inde formari possit : Amethystum nullis venulis deformatum, ovi vulgaris magnitudine : Arcum Persicum, ex nervis camelorum venis contextum : Adamantis particulam eximiæ magnitudinis, crudam adhuc & non politam : Rhabarbari optimi frusta aliquot : Lapidem pretiosum planum albi coloris, qui a collo suspensus, pestis amuletum perhibetur esse optimum : Topazium flavum venarum expertem, ovi columbini magnitudine : Clinodium tribus Orientalibus eximiæ magnitudinis unionibus, tribus adamantibus, & tribus carbunculis insigne, miram vetustatem referens, cujus pretium triginta Joachimicorum millium æstimatum est : & cornu denique serpentinum, quod magnâ virtute & efficaciâ præditum putatur.

Angliæ Rex accepto de Galliæ Regis, nefario scelere perempti morte nuncio, Legatos statim in Galliam, qui perceptum suum ex obitu Regis dolorem Reginæ testarentur, & fœdus, quod inter utrumque regnum intercedit, renovarent, misit : publicato statim 2. Junii die edicto, quo Jesuitas, Monachos & Sacrificulos omnes, ex toto suo Regno proscribens, tametsi, inquit, prima & maxima, quam Regem habere decet, cura, ea esse debet, ut vera Catholica & Christiana religio conservetur & honestis legitimisque mediis propagetur, hæresium zizaniis, quæ inter bonum Christi triticû subinde repullulare solent, quoad ejus fieri potest exstirpatis, naturâ tamen se ita beneficum, & a fusione sangvinis in caussa maximè conscientiam concernente, ita alienum fuisse, ut tametsi de veteri, vera & Catholica, quam profiteatur, religione conservanda & propaganda valdè sollicitus fuerit, leges tamen & constitutiones adversus Sacrificulos & Jesuitas in Regno suo latas, executione & effectu suo tametsi facinora & malefacta eorum longè aliud promeruerint, carere passus sit. Postquam autem proditionibus & nefariis eorum machinationibus variis, maximè tamen ea, quam per pulverem tormentarium sibi & universis Parlamenti Assessoribus non ita pridem intentârint (cujus abominanda atrocitas oblivioni nunquam tradenda sit) itemque quam extra suum quidem Regnum, in Rege Galliæ charissimo suo fratre lucis usum diabolico ausu privando nuperrimè declarârint, ita commoti subditorum suorum animi sint, ut gressus & vestigia istorum hominum aliquantò strictiùs observari, & salutares Regni istius jam ante adventum suum factas constitutiones & leges executioni tandem mandari, conjunctis votis petierint, & verò hanc subditorum suorum petitionem justam omninò & honestam esse deprehenderit, utpotè quæ in conscientia sua (quod ad religionem attinet) fundata, nihil aliud quàm decoris & honestatis suæ (quod ad legum suarum conservationem attinet) itemq; assecurationis suæ & omnium suorum successorum (quod ad sangvinariam Pontificiorum in Martyrum & Sanctorum catalogum eos, qui Reges suos ut unctos Domini nefario scelere trucidârunt, referentium doctrinam attinet) assertionem spectet, & quærat, cùm manifestum jam & luce meridianâ clarius sit, hoc tàm horrendum nefariorum istorum hominum doctrinæ cum praxi conjunctum axioma esse, ut sceleratissimus quisque æternæ damnationis periculum evitare cupiens, nullâ id ratione facere meliùs possit, quàm in Regem vel eorum opinione hæreticum, vel hæreticis, quos ipsi tales statuant, faventem, è medio tollat & interficiat : aliter sese facere non potuisse, quàm ut precibus suorum annuendo, animum suum ad curam istarum rerum suscipiendam excitari pateretur. Cùm igitur intelligat, majorem hoc tempore Romano-Catholicorum Londini, quàm unquam aliàs frequentiam esse, quamvis ex legum & constitutionum ejus Regni præscripto,

 intra

M. DCX.

intra quinq; milliaria ab aula regia manere & non propiùs accedere eos oporteret, placere sibi, hoc edicto publico omnes immunitates & libertates ipsis ante eorum reditum indultas revocare. Tametsi veró tempus istud quo fidelitatis juramentum à subditis primogenito suo filio præstari debeat, tam periculosum sit, ut arlParmenti quidem Assessores, eos quàm primùm ex urbe proscribi, & domum suam quemq; relegari, petierint, majori tamen beneficentiæ suæ, quam imminentis ex præsentia eorum periculi, ratione habitá, non prohibere se quo minus intra promulgationis hujus & ultimum Iunii diem, domum sese recipiant, ita tamen ne unquam posthac ad civitatem Londinensem, aulamq; vel suam, vel Reginæ conjugis suæ, vel Principis filii sui, ubicunq; ea futura sit, non impetrata venia & peculiari consensu, revertantur, sed intra decem milliarum spacium ab ea se contineant & subsistant, in pœnam legibus expressam subire, & in læsæ Majestatis crimen incurrere velint. Placere præterea sibi & magistratus passim in Parlamentis & alibi peruniversum regnum constituti, juxta tenorem & præscriptum legum, arma omnia itemq; tormentarium pulverem, gladios, hastas, sclopeta, tormenta & alia id genus, quæ vel ipsi habuerint vel aliis asservanda dederint, à Romano-Catholicis aufferant, nec amplius quid, quàm quod legibus expressum sit, eis relinquant, meliùs hac in parte officio suo, quam antea factum, fungentes, in pœnam incurrere & experiri severissimam expetant. Præterea cum sacrificuli & Iesuitæ, majori quam antehac factum numero, tam per universum regnum quam per civitatem Londinensem in contemptum legum & auctoritatis Regiæ versari cernantur ducentes secum non paucos, qui postquam convicti jam maleficiorum suorum captivitatem per singularem regis gratiam, ea tamen conditione ne unquam in regnum reverterentur, evasissent, redire tamen in despectum gratiæ & beneficentiæ suæ veriti nihil sint, pœnam ita promeritam à manibus suis quasi reposcentes, consultum sibi & necessarium visum esse, cursum suum liberum legibus adversus ejusmodi delinquentes relinquere. Cæterùm cum ne hic quidem intermittere possit, quin beneficentiæ suæ partem rigori legum & constitutionum admisceat, quemadmodum primo statim, itemque postmodum quarto regni sui anno, certum terminum sacrificulis & Iesuitis, quo regno suo excederent, constituerit, sic jam tertia vice omnibus Iesuitis, Monachis & sacrificulis cujuscunque ordinis sint, tum illis qui ex captivitate dimittentur, quàm qui libere adhuc in regno versantur, tempus ad 4. Iulii & inde ad finem ejus mensis quo ad portus se recipere, atque ita quam commodissimè Regno excedere possint, decernere, monitos igitur omnes severissimè velle, ut gratiam hanc agnoscentes, solum quam primum vertant, & ad loca alia ex regno suo se recipiant, affirmans omnibus in verbo & fide regiâ, si quis post præstitutum illud tempus vel deprehensus etiamnum in regno fuerit, vel redire imposterum ad illud unquam præsumpserit, sangvinem ejus super ipsomet illisque à quibus missus fuerit, cum non solùm in legum Regni istius pœnam, sed in læsæ majestatis spretique favoris sui crimen immunisse putandus sit, futurũ. Omnibus igitur Iesuitis, Sacrificulis & Monachis cujuscunque Ordinis sunt, notum se facere, & nunquam redire in Regnum istud, habitâ tam certissimi eorum qui id fecerint periculi, quam regiæ suæ provinciæ, quàm subditos suos a corporis & animæ periculo conservatos cupiat, ratione, præsumant, cum nihil eos aliud, quàm aut animos subditorum ab obedientia Deo & Regi suo debitâ avertant, quærere manifestum sit. Postremo cum metus & crudelitas proditionis per tormentarium pulverem superioribus annis attentatæ. Adsessorum Parlamenti animos ita commoverint, ut juramento fidelitatis omnes Regni subditos peculiariter obstringendos & obligandos censerent,

quod

M. DCX.

quod quidem tametsi Pontifici Romano ita exosum fuerit, ut coactus sit ipsemet arrepto calamo apologiam ejus parare,& patrocinium causæ suæ, quod ad juramentum illud attinet, suscipere, utile tamen admodum fuerit, tàm ad benevolentiam suam erga subditos suos,qui etsi magnâ parte superstitionibus Papatus excæcati essent, animum tamen obsequiis Regi sui deditum ostenderint, testificandam, quàm discrimen inter Pontificios & profugatos istos execrandæ istius, cujus mentio supra facta, doctrinæ, auctores, constituendum, non posse se intermittere,quin cognitâ & perspectâ juramenti istius utilitate, majori illud, quàm hactenus factum, studio exigendum ab omnibus Regni subditis censeat. Imperare igitur & severissimè injungere omnibus Episcopis, criminalibus civilibusque judicibus, & aliis, ad quos hæc cura spectet, ut juramentum istud fidelitatis omnibus proponant, præstarique ab omnibus & singulis faciant, eam esse legum & constitutionum mentem scientes,ne aliquid hac in parte pro arbitrio suo statuant & dispensando disponant, sed ut tanquam summè necessarium à manibus subditorum illud severissime exigant & requirant.

Quoniam autem idem Rex Apologiam pro juramento illo fidelitatis scripsit atque edidit contra Pontificios,illamque Rudolpho Imp.& cæteris Europæ Regibus Christianis inscripsit,non potui facere, quin illam integram ad calcem hujus continuationis in gratiam Lectoris,subjungerem.

Christianus Anhaltinus Princeps cum aliquot equitum peditumque millibus Dusseldorpio, Grimlingshusium, comitantibus cum Brandenburgico & Neoburgico Principibus, ut trajecto inde Rheno,obsidionem Juliacensem auspicaretur,concessit, cumque de Colonensibus constaret, eos non solùm externum militem conscripsisse,sed institutâ etiam inter cives lustratione,ad signa quosque sua,ut in statione semper essent, distribuisse, Legatum statim Coloniam, quid militaris isthæc exercitatio & præparatio, siquidem fœderati cum Principibus Juliacensibus Colonienses essent, sibi vellent, percunctatum misit, expetens simul, ut fœderis sibi cum Principibus Juliacensibus intercedentis memores, exercitum dimitterent, a persecutione adversus religionis protestantium socios abstinerent, & vel templum eis in urbe juxta constitutiones Imperii de pace religionis permitterent factas, vel conciones Mulheimii haberi solitas frequentare indulgerent,ne commeatum etiam adventanti ex Gallia exercitui denegarent, qui exercitum se in nullius, atque ita nec in Principum detrimentum, sed pro civitatis suæ defensione, reliquorum Imperii Ordinum exemplo conscripsisse, templum religionis protestantium sociis, sine Cæsaris & Romani Pontificis auctoritate & permissu concedere se non posse, constitutionibus Imperii ne iis in locis, ubi recepta nondum esset religio, exercitum ejus admitteretur, cautum esse, nec verò persecutionem ullam ob religionem instituisse, sed edictis & mandatis suis non obtemperantes punivisse. Commeatum denique, si quo carere possent, adventantibus militibus se non denegaturos, responderunt, dummodò Principes relaxato mandato suo inhibitorio, frumentum, decimas & pensiones annuas in urbem perferri non prohiberent, & vectigal novum mercibus vel in urbem vel ex ea vehendis impositum, remitterent, quod uti facerent, etiam peculiari legatione Dusseldorpium paulò pòst missa à Principibus frustra tamen, petierunt & expostulârunt.

Die vicesimo quinto Julii Comes Mauritius cum centum & triginta octo peditum signis, equitum verò delectorum tribus millibus, Novesium, quod Rhenanum ubiorum, quatuor miliaribus sub Colonia Agrippina situm oppidum est, quadraginta octo tormenta ænea, & mille currus commeatu atque

M. DCX. armis variis onustos secum vehens advenit, ubi Brandenburgicus & Neoburgicus Principes eum accedentes, universa ejus castra, aciesque pulcherrime instructas perlustrarunt. Mauritius igitur illis sese adjungens, Dusseldorpium, Galliæ Angliæque Regum Oratores salutatum concessit, sumptoque ibi cum Principibus prandio, ad castra sua reversus est. Factum est autem, ut dum moverentur, castra currus duo pulvere tormentario onusti, non procul a Mauritio Comite, incuria militum an clandestinis insidiis incertum accenderentur, tanta quidem convulsione, ut septuaginta milites trucidati occumberent, & non pauci gravissimè vulnerarentur, Mauritio tamen salvo & incolumi conservato, qui simul atque 28. Julii una cum Anhaltino Principe & universis castris Juliacum advenit, designatis statim cuilibet Præfectorum & Ducum suorum Stationibus, omnem firmandis munitionibus, collocandis tormentis & vineis seu fossis ducendis operam, oppidanis frustra multa tormentorum displosione, & trecentorum sclopetariorum militum eruptione repugnantibus, dedit & impendit, Guilelmo interim Nassovio Comite, cum militibus quibusdam Frisiis ad Schenckii castrum, pro tuendis ab Hispanorum irruptione limitibus, se recipiente.

Die vicesimo secundo Julii Fuentinus Comes, qui Mediolanensem hactenus Gubernatorem & Præfectum egerat, cùm annum ætatis octuagesimum quintum attigisset, morbo correptus vitam finiit, cujus corpus in templum Sanctæ Mariæ Celsæ 26. Junii, vigiliis & exequiis magnâ solennitate celebratis delatum est, successore Comestabili Castiliensi, pacifico viro, cujus auspiciis pax superioribus annis inter Hispaniæ & Angliæ regna tractata & constituta fuerat ab Hispaniarum Rege designato.


Cum autem arx Juliacensis à Comite Mauritio quàm vehementissimè oppugnaretur, præsidiarii hoc videntes, urgentibus eos maxime & ne vi armataque manu expugnationem fieri permitterent, multis precibus contendentibus oppidanis, misso in castra tympanistâ, abstineri jam tandem a tormentorum displosionibus, quod deditionem facere parati essent, Principes rogârunt, qui petitioni annuentes datis acceptisque obsidibus, 22. Augusti veteris vel 1. Septemb. novi Calendarii die sequentibus cum eis conditionibus transegerunt. Principio quod Henrico IV. Galliæ quondam Regi Brandenburgicus & Neoburgicus Principes promiserint, se nimirum in Juliacensi, Clivensi & Bergensi Principatibus aliisque ad eos pertinentibus provinciis & regionibus, quas jam possideant, circa Romano-Catholicam religionem nihil quicquam mutaturos, sed ejus exercitium & professionem liberam unicuique permissuros, idem etiamnunc consilii atque animi, Ecclesiasticis personis omnibus in patrocinium suum acceptis, privilegiisque & immunitatibus eorum, ut redditibus, pensionibusque annuis & beneficiis aliis uti frui tranquillè possint, conservatis, se facturos polliceri. Præfectum & præsidiarios debere Principibus civitatem arcemque Juliacensem cum omnibus tormentis, omnique bellicorum instrumentorum apparatu salvam & intemeratam ante decessum suum tradere, ita ut nihil supposito igne vel alia ratione corrumpant, vel si id fecisse deprehendantur, Principes pactis hisce stare amplius non teneantur. Gubernatori Ducibusque & Præsidiariis omnibus, licitum sit, cum armis equisque & universa supellectile suâ quocunque velint decedere, curribus aliquot ad devehendos cum supellectile ægrotos & vulneratos ipsis concessis, decedent autem tympanis, fumigantibus funiculis & explicatis vexillis instructi. Ministris & Archiducis Leopoldi, & aliis tàm Ecclesiasticis quàm politicis, cujuscunque dignitatis & conditionis sint, cum universa sua libraria aliaque supellectile liberè discedere fas sit. Literas & monumenta omnia ad arcem oppidumque pertinentia, deputatis ad hanc rem à Principibus personis, Gubernator fideliter, nihil eorum vel retinendo vel suppri-

ſupprimendo tradat. Magiſtratus civesque omnes Privilegiis ſuis gaudeant, facultate cuilibet cum armis & ſupellectile ſuâ civitate diſcedendi relictâ. A Principibus Commiſſarii quidam in arcem, qui literas & monumenta omnia cum tormentis & reliquis ad munitionem pertinentibus rebus, à Gubernatore accipiant. Quàm primùm Gubernator præterea operam det, ut præſidiarii, Bredenbendiam arcem etiamnum tenentes, eodem, quo Iuliacenſes modo decedant, captivos omnes ubi hoſpitibus ſuis ſatisfecerint, dimittat, & equos ante obſidionem interceptos reſtituat. Ipſe verò in bonorum ſuorum omnium poſſeſſione maneat, privilegiisque & immunitatibus ſuis, nemine ipſum ob res hoc bello ab ipſo geſtas interturbante fruatur, eâ tamen lege & conditione, ut juramentum fidelitatis Principibus æquè ut alii nobiles præſtet, & ſententiam hac de re ſuam trium menſium ſpacio explicet. Gubernatori, Ducibusque & Præſidiariis Juliacenſibus, quocunque velint, extra Principum & unitarum Belgicarum Provinciarum territoria ſe recipere fas ſit, ad quadraginta tamen dies, dummodò ab omni hoſtili adverſus Principum, unitarumque provinciarum ſubditos conatu abſtineant, ſubſiſtere ipſis ſecurè liceat. Præſidiarii decedentes duos ex Præfectis ſive Ducibus ſuis obſides, donec conceſſi ipſis currus & equi revertantur, in urbe relinquant, & omnia hæc ſequenti ſtatim 23. Auguſti veteris, vel 2. Septemb. novi Calendarii die, in actum producant. M. DCX.

Arce igitur proximâ die egreſſos mille & quingentos milites, Rauſchenbergerus quidem eques cataphractus præceſſit, ſtationemque Principum aſſecutus, equo deſcendit, & honoratis Principibus pro præſtita ſibi gratia gratias egit, porrectâ Gallicarum copiarum Duci dexterâ, quam cum Principibus itidem porrigere pararet, Brandenburgicus quidem nutu, vias uti ſuas iret, ei ſignificavit. Sic igitur Juliacum Ducatus Juliacenſis Metropolis, quinque circiter ſeptimanarum ſpacio, expugnatum à Principibus & occupatum eſt, defenſione & gubernatione arcis Schönbergio Præfecto commiſsâ, & ſanè obſidione hâc & expugnatione Comes Mauritius operam ſuam admodum ſtrenuam Principibus præſtitit. His peractis, ad 5. Septembris, Conventus de negotio Juliacenſi componendo Coloniæ fuit indictus.



APOLO-



APOLOGIA PRO IVRAMENTO FIDELITATIS;

Primùm quidem ΑΝΩΝΥΜΟΣ: Nunc verò ab Ipso AVCTORE, Serenissimo ac Potentiss. Principe, IACOBO, DEI Gratiâ MAGNÆ BRITANNIÆ, Franciæ & Hiberniæ Rege, FIDEI Defensore, denuò edita.

Cui præmissa est PRÆFATIO MONITORIA Sacratiss. Cæsari RODOLPHO II. semper AVGVSTO, cæterisq; Christiani Orbis Sereniss. ac Potentiss. Monarchis ac Regibus; Illustriss. Celsissimisque Liberis Principibus, Rebuspublicis atque Ordinibus inscripta, eodem AVTORE.

SACRATISSIMO ATQUE INVICtissimo Principi ac Domino RODOLPHO II. Rom. Imp. semper Augusto;

SERENISSIMIS ATQVE POTENtissimis Christiani Orbis Monarchis ac Regibus.

ILLVSTRISSIMIS, CELSISSIMISQVE Liberis Principibus, Rebuspublicis Atque Ordinibus.

FRATRIBVS, CONSANGVINEIS, AFFINIBVS, *Fœderatis, atque Amicis charissimis.*

IACOBVS DEI GRATIA, MAGNAE BRITANniæ & Hiberniæ Rex,

Fidei verè Christianæ, Catholicæ, Apostolicæ, veterisquè ac Primitivæ Ecclesiæ, tot Episcoporum, aliorumq; Fidelium Martyrii gloriâ coronatorum sangvine Illustris, Propagator, ac Defensor.

IN CRISTO IESU omnium nostrûm Servatore ac Mediatore unico Salutem, Felicitatemque perpetuam.



Acratissime atque Invictissime Imperator, Serenissimi potentissimi què Reges, Illustrissimi Celsissimiquè Principes, Inclyti Ordines, Fratres, Consangvinei, Affines, Fœderati, atque Amici charissimi,

VOBIS, ad quos jurè ac meritò pertinet, consecro dedicoquè Monitoriam hanc meam Præfationem, quam Apologiæ pro Iuramento fidelitatis jam secundùm editæ, visum est præfigere. Caussa enim communis agitur, & quæ ad jus dignitatemq; pertinet omnium non modò Regum, sed aliorum etiam quibuscunq; suprema est à Deo rerum Civilium demandata potestas. Quód si in omni societate, sive universitate civium

civium sive opificum collegiis, unicuique ea cura est, ne quid ex illius communitatis, cui fidem dedit, privilegiis delibetur; omnesque adeò communem agi rem existimantes, coitione factâ cuivis se periculo potiùs objiciunt, quam ut vel tantillum de immunitatibus suis detrahi patiantur: si tenuioris, inquam, fortunæ hominibus tantus insedit animorum ardor, tanta tuendorum jurium & privilegiorum sollicitudo, ut injuriam, vel infimo cuique illatam, omnes ad se pertinere putent; quid nobis in pari caussâ faciendum, quos Deus in altissimo dignitatis gradu, quasi suos vicarios & Legatos ad exercenda judicia, in suo solio collocavit?

Quæ me ratio impulit, ut rem vobis exponerem, quæ non tam propriè me attingit, quàm ad vires auctoritatis nostræ (de Regibus generatim loquor) debilitandas, & jura convellenda, aditum patefacit. Cùm autem pronunciatum sit, non omnium modò gentium ordinùmque moribus inviolatè receptum; sed & juris Civilis, quo maxima pars orbis Christiani regitur, auctoritate comprobatum, ut æquas in disceptando partes obtineant, qui consimilem foueant caussam: quantò magis vestrâ hoc interest, quod nunc agitur, cùm non in pari aut simili, sed eâdem prorsus caussâ versemini, quam unà mecum omnes aut fovetis, aut saltem fovere debetis? Quoniam igitur una eademq; omnium est caussa, cùm Civilia, tum Municipalia omnium populorum jura concedunt, monentque, ut simul ad patrocinium coeant, quos eadem caussa, & unum discrimen conjungit. Quin & ipse Naturæ Sensus hoc docet, quod Poëta cecinit:

— ecquid
Ad te pòst paulò ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Expergiscimini igitur, dum tempus est, & licet, neque finite somno diuturniore incidi in singulis, ad ruinam universorum, auctoritatis vestræ nervos; qui junctis viribus complicati, velut in laqueum excrescerent tam validum, ut si hostis eum rumpere pertendat, cum Achitophele potiùs suffocetur, quàm perfringendo possit evadere. *Nunc dum singuli pugnant, universi vincuntur.*

Quod autem ad Apologiam attinet, certè mihi visum non fuit, ut cùm primùm est edita, frontem ejus nomine meo insignirem; neq; ea tamen mente, ut eam aliquando ejurarem. Satis insidebat animo, quod excerptum ex Scripturis in Præfatione ad Lectorem in Βασιλικὸν δῶρον inserui, *Nihil tam occultum esse, quod non aliquando revelabitur*: quo in loco sum pollicitus (nec auspice Deo datæ fidei deero) nihil me in secretissimis penetralibus moliturum, quod, si foràs sit prolatum, possit mihi ruboris pudorisve necessitatem afferre.

Apologiam sanè meam suppresso auctoris nomine primùm emisi, cùm hoc mihi consilium duabus potissimùm de caussis placuisset. Prior erat, ipsius rei de qua agebatur, argumentum; altera, hominum quibuscum negotium erat, conditio. Res enim & materia scribendi, ad quam accingebar, tractatus erat argumentis & quæstionibus Theologicis plenus, quibus jusjurandum fidelitatis ab eorum, qui in illud scripserant, calumniis asserebam. Mihi autem penè indignum videbatur nomen Regium libris ejusmodi, qui scholasticas disputationes continent, præfigi; cùm potiùs è Majestate nostra sit Edicta & Decreta scribere. Nam neque me Pontifice ulla ex parte inferiorem esse credo, (pace illius dixerim) quem eâdem ratione Censores meæ Apologiæ excusant: eum quippe Brevia strictim & præcisè conscripsisse: nec aut rationes aut argumenta addidisse; quòd non sit illius disputare, sed judicare atq; decernere.

Altera tacendi nominis ratio mihi fuit, eorum conditio cum quibus addisceptandum descendebam. Quanquam enim paucis Pontificia Brevia notabam, mihi tamen id præcipuè laboris dederam, ut Bellarmini literas ad Blackvvellum refellerem. Neque verò mihi unquam persuasi, tantum esse in purpura Cardinalitia dignitatis, ut occurrere Regio fulgori par ac æmula, & velut æquali majestate cum eo possit ad certamen componi. Nam & multa millia in subditis habeo, qui splendore natalium Bellarminio non concedant: & hanc illius Ecclesiasticam dignitatem, Cardinalatum, inquam, nescio quo loco, aut precio habeam, sive ad Scripturarum auctoritatem, sive ad Imperatorum Constitutiones expendam; cùm sit nihil aliud, quàm nova Paparum institutio, quam in immensum excrescere decessorum nostrorum, Regum, inquam, qui his aliquot seculis rem Christianam rexerunt, mollis, & ad omnia Pontifici connivens lenitas permisit. Sed & quanquam Apologiæ meum nomen non præscripsi, nihilominus vestrûm aliquot, ad quos hoc quod agitur potissimum spectat, Fratres & Consanguinei mei charissimi, ex Legatis suis rescire potuerunt, me, nihil dissimulato nomine, cùm primùm ille liber prodiisset, iis aliquot exemplaria abtulisse, auctoremque pàlàm esse professum. Anglus item Paragraphista, vel potiùs petulans ille atque perversus Parsonius (quandoquidem suo illo P. tantoperè delectatur) rectè vereq; animadvertit, mea insignia ipsi fronti voluminis præposita fuisse: quod haud temerè fit in libris, quos privati homines evulgant. Vnde facilè est ipsius malam mentem arguere, qui ut in me invehatur atrociùs, Auctoris ignorationem prætendit. Nunc verò quum animaduertam, licèt ab Apologia nomen meum abstinuerim, Censores tamen meos nihilo mitiores factos, calamum à convitiorum plaustris non abstinuisse: (nec enim pepercerunt in me inclementer dicere, modò nominatim ac directè; modo obliquè auctorem exagitando) jam omnino maturū est velum exuere, nec dubitanter aut furtim meos fœtus agnoscere, tanquam pudendos & exponendos produxissem. Sed ut meliùs totius quæstionis vim ac rationem percipere possitis, à principio omnia repetenda sunt, & quibus initiis ac fundamentis hæc tanta controversia excitata est.

Horrenda illa & prodigiosa conjuratio, quæ per tormentarii pulveris impetum destinabatur, de cujus flagitii immanitate nulla unquam ætas conticescet, (quanquam illius mentio tam sæpè repetita mitem ac misericordem Parsonii animum perfodiat) non in me tantum meosq; posteros inita, publicos etiam Regni Ordines evertere ac delere instituerat: nec alii tanti facinoris auctores, quàm Papistæ aliquot, præpostero suæ Religionis subvehendæ zelo, ad hanc immanitatem inducti. Ex iis nonnulli tantâ pertinaciâ obstinaverant scelus, ut nec in supremo vitæ articulo detestarentur suum crimen supremisq; verbis, & penè superveniente morte præcisis, reos se ullius flagitii confiteri abnuerunt, aut petere cogitati facinoris veniam, nisi priùs Romana Ecclesia, hoc tantæ conjurationis consilium, suâ sententiâ damnavisset. Nec multò pòst innotuit, non paucos ex meorum subditorum numero, qui Romanam religionem profitentur, omnis conditionis atq; sexus alios domi, alios foris & apud gentes exteras, confusa & obscura significatione resciviffe, magnum aliquid, quo Romanæ Ecclesiæ utilitas promoueretur, in id coëuntium Ordinum tempus comparari: quanquam illis, ne vulgata res secretum omne perderet: destinatæ rei modus, ac consiliorum ratio nequaquam proderetur. Sed & certæ precationum formulæ conceptæ, & à multis usurpatæ, quibus prosperos successus tanto & tam gravi negotio precabantur. Ipsi quoq; conjurationis auctores atque architecti in constantiæ suæ pignus, & silentii auctoramentum, sæpiùs, & multorum sacerdotùm ministerio, Evcharistiæ sacramento sumpto: animos suos ad flagitium obfirmârunt. Quidam præterea ex Iesuitarum

rum

rum primariis contagione tanti ſceleris infecti, ex his aliquot matura ad exteras gentes fuga vim judiciorum cluſerunt. intercepti aliquot (inter quos Sanctus ille Garnetus & Ouldcornius) & facinus confitentes, capitis ſupplicio affecti ſunt.

Hæc tanta & tam atrox conjuratio, tot circumſtantiis infamis, utrum illis Regni Ordinibus, in quorum exitium conflata fuerat, juſtam occaſionem præbuerit, ut cùm primùm deinde conveniſſent, magno ardentique animo omnes vias quærerent, inirentque, quibus poſſet deprehendi, an adhuc reſtarent hîc aliqui, qui cum conjuratis in tam immani ſcelere ſentirent; id verò veſtri judicii ſit, quos Deus præcipuos ſibi in terris Vicarios in adminiſtratione Iuſtitiæ eſſe juſſit. Inter cætera, quæ ad hanc rem facere videbantur, hoc etiam fidelitatis Iusjurandum, quod hodie tam indignè ab iniquis æſtimatoribus carpitur, ſancitum, & inter publica Ordinum decreta relatum eſt. Quód ſi tunc leges aliquæ triſtiores ſunt in Papiſtas latæ, qui tamen receptis hic antea legibus minus audientes erant, ſanè *temporis, lociq; & hominum* denique ratio, qui eas ferebant, vobis omnem, ſeu mirandi, ſeu indignandi anſam præripiet; cùm hæc omnia ſeveritatem iſtam legum in Pontificios non tam ſuaſerint, quàm extorſerint. *Tempus* erat, proximus Ordinum conventus poſt patefactum & illuſtratum conjurationis ſcelus. *Locus* autem idem ille, in quem parata fuerat ſulphureorum fulminum immanitas: ut, vel parietum aſpectus ipſe, ad tam recentis atrocitatis memoriam intuentes excitaret. Ipſi quoque *Homines* non alii, quàm qui publicè ad celeberrimum illum Conventum fuerant delegati; quibus nempe tam cruentum funeſtumq; exitium intentabatur. Ita tamen animus meus & inſtituta adminiſtrandarum rerum ratio, ab omni acerbitate abhorret, ut vix ulla ad ſuperiores leges ſeverior acceſſio in hunc uſque diem executioni mandata ſit. Atque ut certioribus indiciis perditam horum convitiatorum malitiam deprehendere poſſitis, qui hoc jusjurandum excogitatum eſſe impudenter aſſerunt, ad improvidorum Pontificiorum conſcientias in cauſſis fidei in fraudem illiciendas, rem omnem paucis expediam.

Ea pars publicorum Ordinum, quæ inferiore Curiâ continetur, (inferiorem domum Parliamenti vocant) cùm primùm conciperetur jurisjurandi formula, clauſulam inſeruerat, quâ Pontifici excommunicandi mei poteſtas adimebatur. ſed hanc clauſulam induci protinus ac deleri volui, ut vis alia hujus jurisjurandi non eſſet, quàm excommunicationem Pontificis, juſtam ac legitimam cauſſam meis ſubditis miniſtrare non poſſe, ut quicquam apertis aut clandeſtinis conſiliis, in me, meumve imperium moliantur: qui abdicandorum Regum jus, nullo legitimo modo Pontifici quæſitum eſſe cenſeam: & hanc injuſtam Paparum uſurpationem & violentiam ſecularem, Excommunicationis, quæ ſpiritualis cenſura eſt, fines longè latèque excedere arbitrer. Tanto ſtudio, tantâq; ſollicitudine cavebam ne quicquam hoc jurejurando contineretur, præter fidelitatis illius civiliſq; & temporalis obedientiæ profeſſionem, quam ipſa Natura omnibus ſub regno naſcentibus præſcribit: addita ſponſione, quâ opem & auxlium contra omnem vim debitæ fidei adverſam à ſubditis ſtipulabor.

Hoc igitur jusjurandum tantis támq; juſtis rationibus ſubnixum, tàm æquâ tamq; moderatâ formulâ conceptum, cujus unus ille finis erat, ut Pontificii nequaquam turbulenti, cæteriq; boni cives, ab eis dignoſcerentur, quorum animis opiniones illæ furioſæ & ſangvinariæ inhæſerant, quæ conjurationem nitrati pulveris pepererunt: Hoc, inquam, jusjurandum cum promulgatum eſſet, poſitumq; jam in uſu, tantum turbarum in Pontificis, Clericiq; Pontificii animis concivit ut inſtar undarum undas ſupervenientium ipſa Brevia in Angliam certatim advolarent, quibus interdicebatur Catholicis, ne ſe illius ſacra-

menti religione obligarent: rem esse fidei contrariam, quámque ipsi sine jactura animarum admittere non possent. Cardinalis quoque Bellarmini literæ ad Blackvvellum allatæ sunt, in eandem sententiam quidem scriptæ, sed quibus prolixiùs de hoc jurejurando disserebatur.

Hìc ego tam æqui jurisjurandi tàmq; legitimi tam injustam oppugnationem mecum perpendere; hìc metuere, ne Sophistarum illorum calumniis & argutiis rudes simplicioris vulgi animi, religionis & conscientiæ obtentu, in fraudem inducerentur. Visum itaque è re esse, ut hujus jurisjurandi Apologiam ederem, in qua suscipiebam probandum, nihil in eo contineri, nisi quod ad obedientiam merè civilem ac temporalem spectat qualis summis Principibus à subditis debetur: huic autem æquissimæ legi controversiam non aliunde esse motam, quàm ab ambitiosà Pontificum tyrannide, quam illi contra auctoritatem scripturarum, contra Conciliorum antiquorùmque Patrum mentem sibi in temporalia Regum jura & auctoritatem injustè usurpârunt, in qua quidem Regum auctoritate asserenda totam meam Apologiam impendi.

Sed cùm id operis emisissem, ecce tibi exortos subitò duos Censores: qui non tam argumentis in librum, quàm in me conviriis certaverunt, ut impudentiam hominum omnes merito mirentur. Cum enim librum Anglico sermone conscripsissem, qui, pro argumento jurisjurandi Anglicani patrocinium complecteretur, totàq; res Anglos meos potissimùm tangeret; & mox aliqui, faciliorem illi viam ad exteras gentes sterni cupientes, eundem latinitate donassent; redit ad me non multo pòst malè mulctatus, & utroq; idiomate vapulans. Atque equidem credo, si tot tamque variis lingvis prodiisset, quotquot erant in illa confusione Babylonica, vexatum illis omnibus fuisse rediturum: ex quo intelligas, quam impiger sit Diabolus, & quam in omnes occasiones intentus, quò venenates suas merces extrudat. Sed illorum malam mentem vel hoc ipsum liquidò arguat, quòd me statim geminâ confutatione exceperint: Blackvvelli autem Archipresbyteri libro (quo ille hujus jurisjurandi æquitatem, & jus Regum in rebus civilibus innumeris Scholasticorum Pontificiorum testimoniis, tuetur) ne verbo quidem responderint.

Quod ad istum, qui mihi Anglicè respondit; fugitivum illum meum, & officiorum, quæ mihi jure naturæ debuit, ejuratorem; neque sacras vestras aures violari, neque stylum meum fœdari patiar, in eo homunicione depingendo; qui non erubuit, immò non exhorruit debacchari, atque acerbitatis suæ virus in Reginam recentis felicisque memoriæ evomere. Subditumne Principi naturali maledicere? Virum fœminæ, eiq; Heroinæ convitiari (Hominem pium, externâ saltem professione, in demortuam impiè insultare? Denique Rhadamanthi munus invadere, sedere atq; agere Iudicem apud inferos? Hoc illum cruciat scilicet; hinc omnis illius furor & rabies, quod ferre non potest, vel me successorem, vel quenquam ex ejus ministris, quicquam honorificè de ea prædicare. Maledictus, qui maledicit uncto Domini: pereàtq; interitu Core, qui peccavit in contradictione Core: foras ejusmodi canes, porcique eiiciantur, extra cœlestem, dico, Ierusalem.

Venio nunc ad illum, qui Latinè in me scripsit. sanè de homine ipso quod dicam, non habeo: ex subditis meis non est; Domino suo stat, vel cadit, hoc tamen mihi constat, utrumq; eorum jecisse sortem super libro meo, quem diuidere non poterant. fugitivo meo obtigit, ut defunctæ Reginæ memoriam convitiis oneraret; sed non alia re, quàm reste refellanda sunt hujus rabulæ mendacia. Alteri externo, ut me meàmq; Apologiam petulantiùs lacesseret, quod & videbatur majori cum audacia facturus, & revera confidentiùs præstitit: sed quàm justè, sive ipsam materiam, sive tractandi modum spectes, nunc videndum.

Primúm

Primùm quidem, quis illi libro auctor sit, tantum ex conjectura augurari possum. Id nominis sibi adscripsit, Matthæus Tortus Cardinali Bellarmino à sacellis; distortus sanè Doctor, tortuosâ Matæologiâ imbutus; auctor obscurus; mihi quidem prorsus incognitus; & parum, ut opinor, ex ullis suis operibus orbi notus. Quis non igitur perditum nebulonem arbitretur, qui non in refutando tantùm Rege, sed etim calumniis onerando, prima artis suæ rudimenta posuerit? Verùm quisquis totius libri seriem accurratè perpenderit, quàm elato spiritu stylóque decurrat, ut nec toti Regum ordini, nec mihi nominatim ipsi pepercerit, quanto denique fastu & supercilio, hæc & similia in eo scribantur; *Habemus enim exemplaria Brevium illorum in manibus* : & *Decernimus*, &c. id quicquid est operis, Cardinali certè potiùs quàm illius ministro imputaverit, ac quo loco præcipuè *certitudinem suam moralem*, & suum illud *piè credi* sibi à me objectū conqueritur; fœdo memoriæ lapsu suam ipse laruam prodens, *Malâ fide nobiscum agit*, inquit; hoc ipso non alium esse à Bellarmino confessus. Sed sit sanè Torti, quisquis ille est, non autem personati Cardinalis liber: factum omninò præstare Cardinalem oportet, cùm & bonus iste Tortus ex illius familiâ sit, & patrocinaturus Domino caussam susceperit; cùm sit, inquam, negotium Bellarmini, & per servum tanquam procuratorem gestum, quicquid in eo actum est. non potest non Bellar. imputari; cùm præsertim Anglus ille meæ Apologiæ oppugnator, quater prædixerit, eam aut operâ Bellar. aut mandato propediè refutandam.

Nunc verò *rem* ipsam, obsecro, & *modum* respondendi videamus. certe *modus* ipse ab omni modestia alienus, dehonestandæ materiæ abundè suffecerit. Primum enim ad arrogantiam suam prodendam, in Præfatione Typographo Politano adscripta, qui hunc elegantem (ita enim appellat) libellum excudit, Cardinalitiam dignitatem in omnibus cum mea componere voluit. Tortum enim, licèt obscurum & ignobilem fateatur, cùm sit tamen à sacellis Cardinali, satis idoneus, scilicet, ei videtur, qui Anglico libro respondeat sine nomine auctoris evulgato: quasi supposititium & obscurum nomen libro Cardinalis præpositum, Regis libro, qui nullam auctoris nomen præ se ferret, refellendo sufficeret: aut Cardinalis Sacellanus Decanum Regii Sacelli æquare debeat; quem, ut videtur, Parsonius cum Cardinale conspirans auctorem Apologiæ inscripsit. Nec in Præfatione solùm, hac se mihi majestatis comparatione adæquavit; sed eodem ubique fastu tota libri series intumescit. quam ego in scribendo brevitatem, eandem ipse in respondendo sequi voluit: quo compendio in secundo Pontificis Breui refutando usus eram, eodem in me voluit uti, meoq; exemplo sese penè intra unius paginæ angustias coercere. Et quoniam Sacramenti fidelitatis summam in articulos quatuordecim distribui, peccare in suam amplitudinem credidisset, nisi & publicorum Ordinum edictum, quo istud jusjurandum continetur, in totidem particulas divisisset. Quòd si inani hac superbiâ & amplitudinis suæ ostentatione ita animum explevisset, ut à graviori in me injuria temperaret; videri sanè tolerabilior potuisset. Nunc verò quid esse caussæ dicat, cur penè continuis in me, meámque Apologiam conviciis suam responsionem refersferit? Nam cùm in tota mea Apologia nusquam Bellarminum verbo atrociore læserim, & præcipuè id caverim, ne hominem mendacii insimularem; ille, hâc lege humanitatis spretâ, novies disertis verbis me mentiri pronunciat, & septies falsi arguit: quod perinde est, ac si mendacium mihi exprobraret. cæteris verò contumeliis, nescio an ulla pars libri vacet, cujusmodi sunt: *Nugæ, conuitia, temeritas, vanitas, impudentia, blasphemia, sermonis barbaries, cum eadem felicitate scribendi, cavillationes, applicatio inepta, fingere historias, audacia quæ in hominem sanæ mentis cadere non potest, vel sensu communi caret, imperitia & levitas, omnem omninò pudorem &*

conscientiam exuisse, malâ fide nobiscum agit, ut lectoribus per fas & nefas imponat. His & ejusmodi conviciis, nescio ullamne paginam immunem reliquerit, nisi fortè ubi inutili otio abutens, Pontificia Brevia suámque ipsius epistolam recitat. Sed hæc forte in ignotum Apologiæ auctorem sulummodo; quem tamen (ut suprà demonstravi) probè norat, probra mittebat: immò verò nec mihi ipsi, nec nomini meo pepercit. Modò affirmat Clementem Pontificem sensisse, *me non abhorrere à fide Catholica*; modò, *me in Scotia Puritanum, & Protestantium inimicum extitisse*; alibi concludit, *Quia Iacobus non est Catholicus, hoc ipso hæreticus est*: iterum, *Ex Christiano Calvinistam fecerunt*: alio loco: *Neque omninò verum est, Iacobum nunquam deseruisse religionem, quam primò susceperat*; Et posteaquam Iuliano Apostatæ me contulisset, hoc argumento rem concludit, *Cùm Catholicus non sit, neque Christianus est.* Sit hæc honesta nec ne ratio cum Rege agendi, vestro sanè judicio relinquo; quos non potest tanta contumelia uni vestri ordinis illata, non graviter commovere. Iam verè argumentum, & subjecta materia libri, modo tractandi probè convenit: nusquam enim ad id in quo caussæ cardo vertitur, directè respondet, quippe duo tantùm sunt capita, de quibus in Apologiâ disserui, ut supra monui. Prius, ut probarem in fidelitatis Sacramento, nihil aliud, quam obedientiam merè Civilem & Secularem, summis Principibus à subditis debitam, contineri. Alterum, ut ostenderem, hanc in Reges potestatem à Pontificibus iniquè usurpatum, cum Scripturis, Conciliis, & Patribus pugnare. Prius, non aliter quàm hac vitiosâ consequutione refutat: cùm hoc jurejurando, jus abdicandorum Regum, Pontifici negetur; ne quidem excommunicandorum potestatem illi relinqui. Nec posterius disputationis meæ caput aliis machinis adoritur, quàm illis Christi verbis, *Pasce oves meas: &, Tibi dabo claves regni cœlorum: &, Nemini unquam Catholico id dubium fuisse*: ut asseverare verè possim, aut non ab eo intelligi meum librum; aut certè ignorationem simulari, eò quòd nusquam appositè respondeat primariæ quæstioni; ut suprà demonstratum est. Itaque jure optimo possum in ipsum ignorantiæ sugillationem retorquere, cuius me temerè damnavit initio libri, dum affirmat, me, *nec Pontificis Brevia, nec epistolam, nec juramentum ipsum intelligere.* Cæterùm ut hac vitiosâ consequutione delectatus, eandem ad fastidium repetit, in eâque triumphat, non posse Pontifici coërcendorum & proscribendorum Regum jus, nisi cum Primatu & spirituali excommunicationis potestate, auferri: ita hoc verborum fundamento, *Pasce oves meas*, immane quàm amplum solutúmque imperium Pontifici extruat; quo ad libidinem condonare atque adimere regna possit: huic tamen servituti, non alios quàm Christianos Reges addicens. Nec dubito, quin pro Imperii vestri Majestate, injuriam tam indignè auctoritati vestræ illatam sitis graviter laturi: præsertim cùm illis omnibus è vestro numero, qui Romanam amplectuntur religionem, hoc, magis quàm mihi, providendum sit. Nam cùm me hæreticis annumeret, cùm Iuliano Apostatæ æquet, extra caulam etiam, gregemque Pontificium, esse putet necesse est. Eodem itaque jure cum Ethnicis Principibus censendus sum, in quos ipse nihil posse Pontificem fatetur. At vos, de Pontificio grege estis: vos magnus ille Pastor *instar ovium ad occisionem ducere* pro libidine sua potest. Cùm aselli auriculas vellet Leo pro cornibus accipi, idem omnes sentire oportebat; & vos purâ fortasse nitidâq; cute, nihilominus ut scabie infectæ oves, segregandi prorsus estis, si vos censura Pontificia tales esse judicârit.

Sic novum & egregium, scilicet, sensum his Christi verbis affinxit, *Pasce oves meas*: tanquam hoc significarent, Tolle, proscribe, abdica Christianos Principes atq; Reges: illis quoq; *Quodcunq; solveris*, quibus potestatem Pontifici datā esse

esse contendit, in omni juramentorum votorumq;, mulctarum quoq; censurarum, atq; legum genere dispensandi: immò & soluendi naturale hoc vinculum, quod subditos ad obtemperandum suis Principibus astringit; interpretationem absurdam! eiq; simillimam: quam nuper ex illius fratribus unus ridiculè divulgavit: nam hæc verba, quæ Petro in ecstasin rapto dicta sunt: *Surge, Petre, occide, & manduca*: ita Baronius exponit: Age, Papa, confice Venetos, penitusq; disperde.

Sed est totus in fermento, quòd sententiâ ex Controversiarum opere productâ, alienum a Regibus ejus animum detexerim. Nam cùm in ea parte, quæ est de Clericis, eò audaciæ devenerit, ut Ecclesiasticos homines, omni terrenorum Regum potestate solutos pronunciet: nec eos, vel in civilibus rebus, ad obsequium posse adigi, nisi tantummodò *vi rationis*, & pro arbitratu suo, pacis & tranquillitatis publicæ conservandæ gratiâ: quia, inquam, citans hunc locũ in libro meo, mirabundus refero, eximere illum omnes Clericos potestate Regum, etiam eorum, sub quorum imperio nati sunt, & in quorum regnis degũt: Tortus, meis verbis commotus, additionem esse ait, ad concitandum ipsi odium, & conflandam invidiam, astutè insertam. *Affirmat quidem Bellarminus cum communi sententia Catholicorum*, inquit, *Ecclesiasticos exemptos esse à potestate Principum terrenorum*; *sed illas particulas*, *qui & nati sunt*, *& degunt in regnis Principum*, *Bellarminus in libro suo non posuit*: quasi veró hæc verba, de omnibus Ecclesiasticis, Regibusque omnibus absolutè prolata, non eum, quem elicui sensum faciant. Nam ne Laici quidem, ut Clericos mittam, aliis quàm legitimis suis Principibus ad obsequendi parendique necessitatem tenentur. sed nec erubescit confiteri, eam sibi fuisse mentem, quam argui: *Non quod*, inquit, *Verum esse non existimem*; *sed quia non erat opus ad ista descendere*. Mihi autem succenset, quòd arcanum ejus extulerim, jam pridem typis ab ipso auctore evulgatum. Sed quorum ille odium in hoc pertimuit? nonne vestrum? quorúmve interest, nisi Regum, nequid prærogativis regalibus detrahatur? Quòd si potentissimus quisque vestrûm altè serióque recogitet, penè tertiam populi solique vestri partem, Ecclesiæ esse dicatam; nonne illius, quæso, jacturæ sensus animos vestros percutiet, quæ tantum hominum fundorùmque vestro juri subtrahat, ut ubique Pontifici coloniæ Provinciæq; constituantur? immò, quantum spinarum & tribulorũ in mediis vestris ditionib. relinquitur, cùm asseratur tam potens hominum factio sub imperiis vestris nasci, educari, opimisq; prædiis frui posse, quæ à vestrâ potestate immunis sit, nec ullo jure vestris legibus judiciisq; subjecta? Adeò ut, cùm antiquitùs, Clerici nihil ultrà decimas appeterent, iisq; contenti viverent: nunc Papa Clericorum caput, nonnisi tertiâ civium & bonorum ac fundorum parte, in omnibus Regnis & provinciis acceptâ, acquiescat. Sed nec hoc tantùm loco prærogativam illam Papæ in Reges Principesq; exequitur; totam libri seriem tum in eâ extollendâ impendit; tum in iniquâ meâ severitate accusandâ, quòd Catholicos homines adigam ad hoc fidelitatis sacramentum, quod evincere nititur, nihil esse præter antiquum illud Primatus *juramentum*, nunc recens *verbis obscurioribus*, *& per ambages circumlocutionum formatum*, in hoc tantùm, ut clandestinis machinis spiritualis Pontifici auctoritas eripiatur: quam ipse secularem Pontificis in Reges Dictaturam, præcipuis Catholicæ fidei articulis annumerat.

Ac ut vobis in perspicuo magis sit, non alium mihi scopum in hoc negotio extitisse, quàm ut de civili & temporali *obedientia*, quæ mihi à subditis debetur, agerem; nec illorum conscientiis insidias à me esse comparatas (quod hic mihi Conviciator falsissimè objecit) primùm illud videamus, quàm longè Imperatores atque Reges, qui superioribus seculis religiosè Christianeq; vixerunt, ab eo abfuerint, ut jus in se aliquod Pontifici esse crederent: cùm contrà, Papas

ipsi creaverint, in ordinem redegerint, adeóq; de sede dejecerint. Instituam deinde decessorum meorum Regum Angliæ Catalogum, qui eo ipso tempore, quo res pontificiæ florentissimæ fuerunt, Pontificibus in eorum temporalem auctoritatem grassantibus animosè restiterunt.

Ac primùm quidem Imperatores Christiani, multis seculis, non modò, Romano Antistiti non submittebant sua sceptra, sed & Papa se Imperatorum Beneficiarium ac subditum omni obsequio & submissione fatebatur. hujus assertionis probationes ac exempla ex mea Apologia peti possunt.

Sed & per ætates cumplurimas certum jus ac inviolatum apud Imperatores mansit, Romanos Pontifices creandi. Testis mihi princeps erit ille Pontifex, qui in Concilio 153. Episcoporum, Abbatumque decrevit, ut Carolo Magno Imperatori jus ac potestas esset, eligendi Papam, & *ordinandi sedem Apostolicam: dignitatem quoque Patriciatus ei concessit. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit: ut nisi à Rege laudetur & investiatur Episcopus, à nemine consecretur: & quicunq; contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit: & nisi resipisceret, bona ejus public. præcepit.*

Quòd verò Imperatoris assensus longo annorum decursu, eligendis Pontificibus intervenerit, Platina, multiq; ex Pontificiis scriptoribus testes sunt: atq; ipse Bellarminus in suo Controversiarum opere hoc commodè eludere non potest. Quin & certam pecuniam, ut confirmationem obtinerent, Pontifices in Imperatorium fiscum dependere cogebantur, quem morem penè ad septingentesimum Christi annum durasse, Sigebertus & Luitprandus, aliique Pontificiæ sectæ historici, testes sunt.

Sed & passim occurrunt Imperatorum exempla, qui Romanis Pontificibus suam potestatem abrogârunt. Ottho Imperator, Iohannem duodecimum Pontificatu abdicavit, quòd esset variis criminib. ac præcipuè libidine infamis.

Henricus tertius Imperator exiguo temporis spatio, Benedictum nonum, Sylvestrum tertium, & Gregorium sextum, *Synodaliter deposuit*, cùm insimulatos avaritiæ, tum quòd hanc in Principes extraordinariam potestatem protervè & procaaciter usurpassent.

Nec minor Regum constantia, hoc in se jus Pontificis temporale aspernantium. nam primùm, illustrium auctorum consensu, qui res Regum Christianorum Scriptis prodiderunt, accepimus (*ut VValthramus testis est. de Episcopis Hispania, Scotia, Anglia, Hungaria, quomodo ex antiquâ institutione usque ad modernam novitatem, per Reges introierint cum pace temporalium, purè & integrè. Qui pacificè sollicitus est, revoluat vitas Patrum, & historias legat, & intelligat.* Ac ut hanc illius sententiam universè prolatam, per partes & articulos probemus, ordiamur à Franciæ Regibus, quanquam à VValthramo in hac diversarum gentium enumeratione prætermissis. Ex illorum monimentis primùm eruam, Philippi, cui cognomen Pulchro fuit, illas celebres ad Bonifacium octavum literas, quarum (post ridiculam salutationem) initium in hæc verba conceptum est: *Sciat tua maxima fatuitas, nos in temporalibus alicui non subesse, &c.*

Ludovicus quoq; nonus, qui Sanctus usurpatur, publicâ sanctione, quam Pragmaticam appellant, omnes Curiæ Papalis exactiones intra regnum suum prohibuit. Sub initia deinde Ludovici undecimi, Pius secundus Pontifex sanctionem illam ante tot annos latam ægrè ferens, legatum cum solennibus publicisq; literis ad Ludovicum transmisit, quibus vehemēter efflagitabat illius promissi fidem, quo se Ludovicus, cùm tantùm delphinatus Princeps esset, obstrinxerat, siquando Francico sceptro potiretur, se Pragmaticam sanctionē antiquaturum. Rex ad Parisiense Concilium, cui rem cognoscendam commiserat, Legatum literasq; rejecit ibi cum negotium agitari cœptum esset, Pontificia primum postulatio est à Iohanne Romano, Regis, Advocato, acriter oppugnata:

In cujus sententiam cùm Parisiensis Academia ivisset,à Pontificiis conatibus,ad proximum generale Concilium provocatum est. Ita Cardinalis irarum plenus,re infectâ,discessit. Immensi laboris sit, & qui in volumina excrescat,sigillatim percensere, quoties Franciæ Reges, ipsaque Gallicana Ecclesia, Pontifici obstiterint; vel aliquod sibi jus in eos temporale arroganti; vel in ipsorum privilegia irrumpenti: adeò ut nec illi in ipsa Beneficiorum collatione assenserint; sed & tanto studio à Regis Ecclesiæque Gallicanæ partibus, Sorbonistæ steterunt, ut senserint, si Pontifex Romanus Regi de ejusmodi rebus controversiam movisset, posse Ecclesiam Gallicanam sibi Patriarcham constituere, & à Romana sede deficere. Et Gersonus ille, cætera Romanæ fidei tàm plus rigidusque propugnator.tantum abfuit, ut jus istud seculare Pontificibus assereret,ut contrà,de *Auferibilitate Papæ ab Ecclesia*, librum scripserit, quantò magis à Regum ac Principum cervicibus? Nunc verò ut cætera externorum Regum facta prætersam, satis erit decessorum meorum aliquot, qui in Anglia regnârunt,exempla memorare: ut omnibus inde constet, etiam illis seculis, quibus crassior cæciorque veritatis ignoratio Orbi incubuit, Angliæ Reges sæpè, Pontificium ambitum, gliscentemque tyrannidem non modò non tulisse, sed & illi fortiter restitisse.

Atque in hoc ordine Princeps mihi erit Rex Henricus id nominis post Conquestum primus,*qui concessit Episcopatum VVintoniensem VVilielmo Gifford, & continuò de possessionibus cunctis ad Episcopatum pertinentibus,contra novi Concilii statuta investivit.*

Idem Henricus *dedit Archiepiscopatum Cantuariensem Radulpho Londinensi Episcopo, & illum per annulum & pastoralem baculum investivit.*

Sed & *Papa Calixtus Rhemis Concilium tenuit, ad quod Rex Henricus quosdam Angliæ & Normanniæ Episcopos destinavit. Turstanus quoque Archiepiscopus Eboracensis electus, illuc veniendi licentiam à Rege impetravit, interpositâ fide, quòd benedictionem ab eo non reciperet. Qui ad Concilium veniens,Romanos (sicut mos est) in suum favorem largitatis beneficio transtulit: & per eos ut à Papa consecraretur,impetravit. Quod ut Regi Anglorum innotuit, omnem ei locum suæ dominationis interdixit.*

Rex Edvvardus I. Abbati de VValtham,& Decano Ecclesiæ Sancti Pauli interdixit, ne decimas bonorum cujusque in Hierosolymitani belli sumptum colligerent,quanquam hanc provinciam illis Pontifex *Bullis* demandâsset: Decanus verò, Abbate interim mortuo,Regi,Regioque sistit consilio,promisitque,se, quâ erat in Regem observantiâ,nihil ultra, nisi jussus nutuvè Regis in eo negotio gesturum. Hic hominem Ecclesiasticum teneo, qui Papæ non paruit, ut Regi suo parêret, in rebus quoque Ecclesiasticis: nondum scilicet nova hæc Jesuitarum Theologia orbi innotuerat.

Idem ille Edvvardus,diem Decano Sacelli de VVolverhampton dici jussit, quòd contra regni privilegia ex Sacelli sui Præbendis unam, ad Pontificis mandatum, cuidam contulisset. Decanus autem comparuit, culpamque confessus sese Regiæ clementiæ permisit. Sed & Dunelmensem Episcopum prærogativis ac privilegiis omnibus idem Rex spoliavit,quòd prohibitorio cuidam interdicto minimè paruisset. Inde palàm est, nequaquam illius seculi Principes credidisse,Clericos à sua jurisdictione esse exemptos. Sed nunc sublimior quædam nobis & Seraphica in contrarium doctrina proponitur.

Denique ad pleniorem hujus rei fidem faciendam Joannis de Ibstock accedat exemplum, qui in carcerem ab eodem Edvvardo conjectus est, quòd totos septem annos apud Romanæ Curiæ judices, super Neuchurchiensi Rectoratu contendisset.

Edvvardus secundus paternis vestigiis insistens, Abbatem de VValden, quòd sancti Albani Abbatem cum aliis aliquot ad Romanam Curiam citavisset, primò ad caussæ dictionem vocari, mox & in custodiam duci jussit.

Eâdem ratione, cùm Bamburiensis quidam Præbendarius, Beuercorum quendam ad Romanam Curiam traxisset, literæ statim Regiæ intercesserunt, quibus capi Præbendarius, & custodiæ mandari jubebatur.

Nec verò Edvvardus tertius ab his Avi, Patrisque exemplis abivit. Cùm Lichensis Rector diem Priori Sancti Osvvaldi dixisset, ut se Pontifici Avenione sisteret, quòd apud Judices in Curia Domini Regis pensionem quandam contra ipsum recuperâsset: Rex imperavit, ut in temporalia simul ac spiritualia ejusdem Rectoris bona invaderetur. Idem cùm Harvvoden quidam, Pontificiam Bullam contra sententiam à suis Judicibus latam impetrâsset, reum esse, dignumque, in quem animadverteretur, pronunciavit.

Sic & illum, qui Pontificiis Bullis fretus seipsum in Barnuellensis Prioratus possessionem miserat, deduci in turrim Londinensem jussit, & in ea custodia, Regis arbitrium expectare.

Ex quibus liquet, ne florentissimis quidem Pontificiis rebus, majores meos ullius ex subditis contumaciam inultam tulisse, qui mandato Pontificio Regium imperium posthaberet, etiam in eis rebus, quæ ad Ecclesiam pertinere videbantur: tantum aberat, ut se, vel Pontificiæ potestati in temporalibus mancipatos; vel Clericos à sua jurisdictione emancipatos judicarent. Et hæc quidem tot Regum exempla obsignabo, publicorum Ordinum, sub Richardo secundo, decreto, quo cavetur, ne quis beneficium à Pontifice Romano impetraret: qui secus faxit, extra Regis fidem & tutelam censeretur. Ita quod quatuor illi Reges continuâ serie factitârunt, id lege publicâ confirmatum videmus.

Paucis hisce exemplis, satis, ut opinor, apparet, me omni calumniâ liberatum; neq; ambitione, aut novandarum rerum studio quicquam esse molitum, quò aliquid Pontifici debitum subtraherem: vel mihi aliud arrogarem, quam quòd Imperatores Christiani, & diversarum gentium Reges, præsertim qui ante me in Angliâ regnârunt, multis retrò seculis pro suo vindicârunt. Neque verò illa Parsonii ad D. Cookium responsio accipienda est; multò plures Angliæ Reges esse, qui obsequii, & ad omnia Pontificis imperia facilitatis suæ monimenta reliquerint: cum quibusdam fortasse occasio, aliis vires ad resistendum defuerint. Nam ipso jure civili, satis est injustam meorum jurium usucapionem, quotiescunque licuit, fuisse interruptam.

Verùm hoc fidelitatis Sacramentum, non tantùm ob conceptas in eo formulas, sed & illius ratione, cui præstandum est, Belllarminus repudiandum censet. a Pag. 92. *Rex* enim, inquit, *Catholicus non est:* & aliis aliquot locis, addito meo nomine, ut suprà memoratum est, me hæreticum dicere non dubitavit. *Sed vel* ipso jure Pontificio, antequam hæreticus publicâ sententiâ renunciatus fuero, non est ut populus meus auctoritatem meam defugiat. Equidem si privati tantummodò hominis personam sustinerem, caussamque coram ipso ac Cardinalibus in conclavi suo dicerem; credo, difficilè foret hæreticum me evincere, si ex antiquis ipsorum Decretis & Canonibus judicium hoc exercere vellent.

Primùm enim, quicquid Cardinalis in contrarium afferat, non sum Apostata, qui non modò in eadem, quam hodiè profiteor, religione semper ab ipsis incunabulis innutritus fuerim: sed & Patrem, paternumque Avum, idem de fide sentientes habuerim, ut nec ex ipsorum regulis (cùm in eorum nunquam Ecclesia fuerim) propriè hæreticus dici possim. Regina autem mater mea Augustæ memoriæ, quanquam in ea religione persititerit, quam à teneris imbiberat: tantùm tamen à crassioribus quorundam Papistarum superstitionibus, & nuperis Jesuitarum dogmatibus absfuit, ut & Archiepiscopo illi, qui me Baptismatis

maris fonte abluerat, interdici curaverit, ne salivâ inter ceremonias uteretur. Et quidem mos gestus imperanti; omissaque res illa, fœda sanè, magisque ad mimicum Christi derisum, quàm ad imitationis pietatem inventa. Ejus verba hæc fuerunt; Nolle se, ut impurus, & lue Venereâ infectus presbyter, in os infantuli sui inspueret. Quin & Baptisterium, in quo salutari aquâ rinctus sum, hinc in Scotiam, Serenissima & immortalis memoriæ Elisabetha transmiserat; quæ etiam me per Legatum de fonte suscepit: quæ quidem in religione quid senserit, Pium V. non latebat. Ac ut clarioribus argumentis illam gloriosissimi nominis Reginam, meam Matrem, â superstitionum ineptiis vindicem, id asseverare possum, me nullis literis, quas ab ea frequentes habui, ad Pontificiam religionem fuisse invitatum; supremis quoque verbis Præfectum domus suæ, nobilem Scotum, qui hodiè vivit, & in meis domesticis est, his mandatis ad me perferendis oneravit: quanquam ipsa diversæ religionis esset ab ea, in qua, DEI beneficio, mihi educari contingit; nolle se tamen me ad sua sacra vehementiùs hortari, nisi mihi mutationem illam, conscientiæ secreta vis persuaderet. Si probè, sanctèque viverem; si sedulò jus redderem, & commissos mihi populos prudenter pieq; gubernarem, non dubitare se, quin benè mecum ageretur; & possem in ea, quam colebam, religione perseverare. Non sum ergo Apostata, qui nec ejus fidei desertor, quam partim parentum meorum tenuerunt, partim arbitrio meo permiserunt. Nec si illorum ritibus Baptismate ablutus, nihilominùs ab iis in religione dissensio, ideò aut Apostata, aut hæreticus dici possum: cùm de *Baptismi substantia* nulla sit lis inter nos, omnesque baptizemur *In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*: atque ita in hoc doctrinæ capite nulla est inter nos controversia.

Quòd autem me hæreticum arguunt; nunquam equidem me pudebit *fidei* meæ rationem reddere, & ut jubet Apostolus (1. Pet. 3.) *illius spei, quæ in me est. Is ego* sum *Catholico-Christianus*, qui in tria *Fidei* symbola, Apostolicum, Nicenum, & illud Athanasii libens jurem; quorum duo posteriora primi paraphrasin continent. Hæc in eum sensum interpretor, quem illis esse voluerunt Patres atque Concilia, a quibus sunt condita atque descripta: quibus quidem symbolis, quotquot sunt in Anglia Ministri, subscribunt, cùm ordinantur. Sed & aliis omnibus Symbolis, tanquam legitimis & Orthodoxis assentior, quæ, vel à Concilio aliquo publicè, vel privatim ab antiquis Patribus, in ejusmodi hæreticos conscripta sunt, qui ipsorum secula, pestiferâ aliquâ doctrinâ infestârunt.

Prima quatuor generalia Concilia, tanquam Catholica & Orthodoxa veneror atque recipio: quæ & publica Ordinum nostrorum sanctione recepta sunt, & ab Ecclesia nostra pro Orthodoxis habentur.

Patribus autem eam venerationem exhibeo, quâ nec ipsi majorem optarent, nec Jesuitæ parem unquam detulerunt. Quicquid enim quadringentis post Christum annis, unanimi consensu, Patres ad æternam salutem esse necessarium statuerunt, aut eum iis ita esse sentiam, aut modesto saltem silentio obmutescam; reprehendere certè non audeo. Sed privatis singulorum Patrum sententiis ita meam mentem astringere, ut ab eis recedere integrâ *fide* non possim, quî id mihi jugum imponam, quod ipse à se Bellarminus amolitur; cùm præsertim ipsi Patres inter se soleant repugnantibus & contradictoriis sententiis decertare? Mihi igitur in antiquorum Patrum scriptis, Augustini cautione uti placet, *quod in eis divinarum scripturarum auctoritati congruit, cum laude eorum accipio; quod autem non congruit, cum pace eorum respuo.*

Scripturis quidem ipsis, nemo opinor est, qui non à me eam fidem haberi, quæ illis à Christiano homine debetur, existimet ipsa etiam Apocrypha eo loco habeo, quem illis Antiquitas tribuit. Cum Bibliis nostris excudi solent, & eodem

eodem volumine compingi, publiceque in Ecclesiis lectitantur. Et hæc quidem, ut à sanctis piisque hominibus scripta, veneror: sed cùm absint à sacrorum librorum Canone ac Catalogo, *secundæ lectionis ac ordinis* (quæ & ipsa Bellarmini distinctio est) esse credimus: nec illorum auctoritatem tanti esse, ut fidei ullum caput (nisi quòd aliis Canonicæ Scripturæ locis asseritur) elici, aut stabiliri inde possit. Atque ita cum Ruffino, qui novitius, credo, non est, hunc locum concludo, qui Patres ait, *Omnia quidem legi in Ecclesiis voluisse: non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.*

De *Sanctis* verò vitâ functis, colo equidem illorum memoriam; cujus honestandæ ergò, nostra publicè Ecclesia tot solennes dies instituit, quot Scripturæ auctoritate in album Sanctorum relatos legimus. Sed tot nugis, quæ in novitiorum Sanctorum actis ac legendis perscribuntur, sanè credulitatem meam deludi non fero.

Ac primùm id *Beatæ Virgini* tribuo, quod de ea Gabriel asseruit, & in suo Cantico de se ipsâ prædixit, *Benedictam esse in mulieribus, & benedictam eam omnes generationes esse dicturas.* Hanc ego Christi Matrem veneror, ex qua humanum sibi corpus assumere Salvatori nostro visum: atque adeò DEI Matrem, cùm in Christo non possit à divinitate humana natura separari. Illam ego supra omnes beatorum hominum ac Spirituum ordines ad cœlestem gloriam elatam, excepto illo uno, DEO simul ac homine, ejus Filio piè ingenueque fateor, constanterque contendo. Sed, nec ipsam deridiculo ausim habere, nec impias in DEUM voces emittere, non illi Divæ modò, sed & Deæ nomen tribuens, obtestansque, ut Filio illi quidem, sed & DEO & Salvatori suo, imperet & dominetur. Ne illud quidem in animum induco, tàm otiosè in cœlis eam degere, ut absurdis cujuslibet inepti hominis orationibus pateat, sesèque ejus rebus ac negotiis immisceat; nunc precibus, nunc imperio cum Filio suo agens; modò in terras ad Sacerdotum oscula & complexus descendens, modò cum dæmonibus acri ac pertinaci altercatione contendens. In cœlis, in æterno sanctarum animarum receptaculo, in æternam est felicitatem collocata, nunquam à tantis gaudiis ullâ terrenarum rerum curâ, aut sollicitudine avocanda. Sit ibi sanè cum charissimo Filio suo, nostroque Redemptore, in perenni beatitudine, & omnibus seculis duratura.

Venio ad *Sanctorum suffragia*. Scio ego Christum præcepisse, ut ad ipsum veniamus, quicunque peccatis oneramur, illum quippe nos refecturum & levaturum. Scio Paulum Apostolum, humilitatem, & religionem Angelorum prohibuisse, omnemque ejusmodi venerationis cultum, in superstitione & humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. Sed quâ fiduciâ, quovè auctore decurratur ad Deos Penates istos, sive Tutelares, quasi aulicos & familiares DEI Opt. Maximi, equidem nescio. Id illis probandum reliquerim, qui novâ disputandi ac philosophandi ratione Theologiam corruperunt. Mihi satis est, DEUM, per Jesum Christum, prout jubemur, invocare: & hanc viam tutiorem, ideòque in rebus ad æternam salutem spectantibus potiorem, insistere. Quòd si Romanæ Ecclesiæ officina, Fidei articulos ante quingentesimum Christi annum inauditos ac invisos recenter excudit: non sum credo damnandus pro hæretico, si ad hæc novitia & nupera non accedam. In his Articulis, privatas illas Missas numero, in quibus Sacrificus simul & populi personam, & Sacerdotis sustinet. In his quoque est *Sacramenti mutilatio*, quâ Laicis partem illius mediam subtraxerunt; *Transsubstantiatio, adorandi caussâ elevatio*, in supplicationibus, Sacramenti *circumgestatio*, *supererogationis opera* (quibus *Thesauri Ecclesiastici* nomen jure optimo ac commodaverunt) *Baptizatio campanarum*, & mille præterea nugæ: & quidem super omnia illa *veneratio* statuis imaginibusque delata. Si in hisce fides mea hæreat fateor

reor me malle in istiusmodi rebus parùm quàm nimiùm credere. Nihilominùs cùm eatenus credendo processerim, quatenus Scripturæ præscribunt, Fidei symbola suadent, vetera Concilia decernunt, *Schismaticum* me dicant licèt, & à Romana Ecclesia defecisse, certè *Hæreticus* esse nullo modo possum.

Quòd ad *Reliquias Sanctorum*, si quas ejusmodi haberem, quas constaret Sanctorum corporum partes esse; eas ego honorificis tumulis solenniter inferrem: nec committerem, ut supremis defectæ funeribus, ad ejus infamiæ imaginem servarentur, quam perditis hominibus, publicoque judicio damnatis, constituimus in pœnam ultra mortem duraturam.

Sed cùm *reliquiarum*, tùm *imaginum* adorationem, pro intolerabili Idololatria habeo atque abominor, Iconomachus sanè non sum: non arguo, si quis aut fingere statuas, aut imagines pingere, sive ad publicum splendorem, sive ad privatorum hominum domesticos usus, volet. Sed quòd illas adorari, quòd illis supplicari, quòd aliquam sanctitatis opinionem affingi illis oporteat, id quidem antiquis inauditum; Scripturis verò in contrarium apertissimè atque ex diametro pugnantibus, ita est oppositum, ut mirari non desinam, quòd hominum ingenium, quæ Satanæ fraus, hoc tàm audax commentum Ecclesiæ Christianæ obtrudere attentârit. Quæ tamen omnia excusantur argutis, hoc genus, effugiis, & sophisticis distinctiunculis; *Idolum*, scilicet, *nihil esse*: se autem rerum *quæ sunt* & *veri* DEI imagines venerari. At Scriptura omnis rei à DEO conditæ similitudinem coli vetat. Non igitur, *Nihil* fuit, cui DEUS cultum deferri interdixit. Sed nec serpens æneus, nec corpus Moysis *nihil* erant; ille tamen contritus est, hoc absconditum, ne Idololatriæ materiam caussamque præberent. Quin & DEI imaginem non venerari tantùm, sed & effingere prohibemur: additaque ratio, DEUM sub nullius unquam aspectum cecidisse. Sanè qui delineemus ejus faciem, si Moysi, quo nemo mortalium DEO familiarior, tantùm ejus posteriora licuit contemplari? Cùm igitur DEUS ad vivum exprimi non possit, supervacaneus est labor conatusque inanis, id falsa adumbratione corrumpere, quod imitari non possis: quòd nemo, non dico, Princeps, sed vix quisquam homo plebejus in sua effigie ferre sustineat. Meditentur itaque, qui sic in religione sentiunt, defensionem aliquam, quâ se in ultimo judicio Idololatriam exprobranti Christo, probent: qui, an tum temporis istiusmodi excusationes, ex illis argutiarum ineptiis petitas, in solutum accepturus sit, vehementer ambigo.

At *Cruci*, inquiunt, *Salvatoris*, prærogativa quædam singularis deferenda est, deberque *ratione contactus* adorari. Primùm videmus, quòd contactus genus sit, qui vim virtutemque ex Christi corpore eliciat: omnisnè contactus, an is tantùm, qui cum fide conjungitur. Non cuilibet id esse datum, non potest dubitari. *Mulier quæ erat in fluxu sangvinis, cùm vestimentum Christi tetigit*, propter suam *fidem salva* ac sana *facta est: nam alioqui turba* (Petri verbis) *comprimebant & affligebant Jesum*, cùm accessit hæc mulier, in quam solam *virtus de Christo exivit*. Judas cùm sæpè eum aliàs, tùm postremo illo osculo tetigit: tetigit & illa perditorum manus, quæ illum *colaphis cecidit, & cruci affixit*. Ausim tamen profanos impiosque dicere, si qui carnificum illorum colendas reliquias ac adorandas esse credant. Sed & *terra Chanaan* quotidianis Christi vestigiis *tacta*, hodiè tam maledicta conspicitur, à Turcis occupata, innumeris Christianorum hæresibus ac sectis infamis; primæ quoque fertilitatis oblita, & in miserabilem sterilitatem degenerans: ut qui eam beatis ac benedictis annumerat, ipse inter maledictos poni debeat. Quin & proclamante muliere, *Beatum ventrem, qui* CHRISTUM *portavisset*; Immò (Luc. 11. cap.) ait: *Beati, qui audiunt verbum* DEI, *& custodiunt illud.* Aut igitur id animi fuisse CHRISTO probent, ut in lignum illud crucis, quod clavis suffixus est, bene-

benedictionem effuderit: aut cum suo argumento *de contractu* valeant. Sed demus virtutem patrandi miracula, quæ & umbra Petri data est, cruci esse concessam: an hinc, quæso, consequens est, ipsi cruci adorationem deferendam, quam nec sibi, nec suæ umbræ Petrus deferri pateretur? Equidem non dubito, quin Prophetæ, qui toties maledixêre ejusmodi imaginum cultoribus, quæ oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, multò acerbius dicturi in eos fuerint, qui arboris truncæ partem, ne ad aurium quidem, vel oculorum similitudinem, efformatam venerantur.

Jam *Purgatorium*, jam illa frivola, quæ id commentum consequuntur, indigna existimo, in quibus opera ac tempus impendatur. Sanè Bellarminus nullum ei ex Scripturis fundamentum astruere potuit. hoc cum tantummodò percontari velim, an viridis ille amœnusque campus, qui in Purgatorio florentibus spatiis extenditur, interfluente rivo distinctus sit, ut si forte in eam regionem pervenero, aucupio tempus ac otium fallam. Equidem cælos, ac inferos esse scio, in præmium ac pœnam Electis, reprobisque constitutos: quot sint præterea animarum sedes, atque receptacula, ego, qui DEO a consiliis non sum, scire nequeo. *Multæ sunt mansiones in domo Patris mei*, ait Christus, qui ipse est vera expiatio, verumque Purgatorium nostrorum peccatorum. Sed quot atria, quot conclavia in malorum Dæmonum domo sint, meliùs illi dixerint, quæ jam illa perlustrârunt. quòd si sint plures animabus sedes, quam quas ipsi novimus, destinatæ: satis certè nobis fuerit, eas cognoscere, quas DEUS suo Verbo nobis esse voluit revelatas; nec ulterius divinæ mentis arcana scrutemur. *Cælum* ac *infernum* humano generi æterna domicilia constituta, ex Scripturis didicimus. Id agamus, ut alterum consequamur, alterum defugiamus: atque hic finis, extremaque rerum meta.

Sed in hac omni oratione, nondum Romanæ religionis arcem attigimus, id est, *Caput Ecclesiæ, Petriq; Primatum*. nam qui hunc articulum negat, ex Bellarmini sententia, Catholicam fidem negat. Episcopos esse in Ecclesia debere, tanquam institutionem Apostolicam, ac ordinationem proinde divinam contra Puritanos, contraque Bellarminum semper sensi; qui negat Episcopos à DEO immediatè suam jurisdictionem accepisse. Sed nihil mirum à Puritanis eum stare, cùm Jesuitæ nihil aliud, quàm Puritanopapistæ sint. Et quo studio in Episcoporum, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ (Politici duntaxat ordinis causâ) defensionem semper incubui, eodem in confusam illam Anarchiam & parilitatem Puritanorum invectus sum, ut vel ex βασιλικῷ meo δώρῳ satis constat. Cælum, cœlestesque spiritus per ordines ac discrimina disponi, ac gubernari scimus: immo nec inferi sine suo quodam ordine & distinctione stare possunt. Dæmones in legiones digesti sunt, suosque Principes habent. Qui igitur cœtus in terris aliquis confusus permistusque, nullo ordinum dignitatumque discrimine, possit consistere? Quamobrem, satis equidem mirari non possum, quo ore iste Apologiæ meæ Censor pronunciare potuerit, *me in Scotia Puritanum, & Protestantium inimicum extitisse*. Ego igitur Puritanus? qui à Puritanis non solùm à nativitate continuò vexatus fui; verùm etiam in ipso matris utero propemodum extinctus, antequam in lucem editus essem? Ego, qui anno salutis 1584. suam Episcopis dignitatem restitui, & æqualitatem illam popularem, cùm nondum ad ætatis annum duodevicesimum pervenissem, repressi? Ego, qui in meo ad Filium libro multò acriùs ac vehementiùs in Puritanos, quam Pontificios invectus sum: cui etiam, cùm secundò ederetur, prolixam in odium Puritanorum Præfationem Apologeticam præposui? Ego denique, cui sex totis annis, antequam in Angliam venirem, præcipuus labor fuit, dejectos Episcopos restituere, & Puritanorum Anarchiam expugnare? Imò verò si de rebus in Scotia a me gestis ad instar Cæsaris, Commentarii ederentur, vix à tertio decimo

ætatis

ætatis meæ anno integrum mensem abiisse constaret, in quo non ejusmodi aliquid acciderit, quod Cardinalitium in hac re mendacium arguere, ac refutare possit. Præclara sanè laus, præclarum encomium, quo Puritanos ornavi, cùm me plus fidei vel in illis effetis cùm montanis, tum limitaneis latronibus, quàm in hoc genere hominum invenisse professus sim. Sed omissa hominis impudentia, ad rem ipsam redeamus.

Episcopos, & Ecclesiæ Hierarchiam (ut modò dixi) & inter ipsos Episcopos ordinem aliquem, ac discrimen libens agnosco. Scio Patriarchas in Ecclesia primitiva extitisse; & institutionem illam ordinis & discriminis causâ amplexor. Sed & inter illos de principatu magnâ contentione certatum est, quòd si in eo quæstio adhuc verteretur, meo libens suffragio primum locum Episcopo Romano deferrem: Ego Occidentalis Rex, Patriarchæ adhærerem. Sed nec illi de temporali suo jure litem moveo: sit, per me licet, *primus Episcopus inter omnes Episcopos*, sed eo sensu *Episcoporum princeps*, quo Petrus *Apostolorum princeps* fuit. At verò, ut Hierarchiam Ecclesiasticam probo, ad ordinum dignitatumque discrimen (sic enim intelligi volo) ita prorsus pernego, terrestrem esse aliquem Ecclesiæ Monarcham, cujus verba pro legibus esse debeant, quique *infallibilitate* spiritus, nunquam in suis sententiis errare possit. Nec, si regna terrestria à Monarchis terrestribus regi debent, ideo Ecclesiam sequitur à terrestri quoque Monarchâ debere gubernari. nam nec unus est aliquis totius orbis regnorumque omnium moderator ac Monarcha. Christus Ecclesiæ suæ Monarcha est, Christique vices explet, quem venturum promiserat Spiritus sanctus. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Nec Christus antequam in cœlos ascenderet, pollicitus est, se Petrum, qui Apostolos dirigeret ac doceret, relicturum; sed (Johan. 14.) Spiritum sanctum se in eum finem missurum esse prædixit.

Et quidem quòd ad geminam illam ex Scripturis probationem, quâ fretus Bellarminus Papam supra Reges effert; nimirum, *Pasce oves*, &, *Tibi dabo claves*, haud ignorat Cardinalis hanc potestatem Clavium a Christo alibi Apostolis in plurali numero esse concessam. sed nec est inscius, quam rationem veteres afferant, cur Sancto Petro potissimum *oves pascere* mandaverit: quantum præterea tum scriptorum veterum, tum novitiorum Papistarum agmen sit, quibus nec pauci Cardinales assentiuntur, qui utrumque Petro quidem dictum, sed ad omnes pertinuisse Apostolos arbitrantur, quorum ipse personas sustinebat. Quod nî esset, quî potuit, quæso, Paulus Corinthiorum Ecclesiæ auctor esse incestum illum excommunicandi, *cum spiritu suo*? dicendum sanè fuerat, cum spiritu Petri. Quî potuerunt omnes Apostoli censuris suis in nomine Christi uti, nec ullibi ejus Vicarii meminisse? In omnibus Apostolorum congressibus Petrum, ut è multis unum, legimus inter illos consedisse. cumq; Antiochiam lecti viri ab illo celebri Apostolico Concilio, quòd Hierosolymis est habitum, mitterentur, disertè scribitur, *Visum est Apostolis & Presbyteris, totiq; Ecclesiæ, mittere lectos viros*: sed merum de Ecclesiæ capite silentium. Sic & in eorum literis, Apostolorum, Seniorumque, & Fratrum fit mentio; de Petro nec verbum. Sed & mirum est, Corinthios à Paulo objurgatos, quòd personis hominum plùs æquo deferrent, aliique se Pauli; alii Apollo, alii Cephæ sectatores profiterentur. nam si Petrus *visibile Ecclesiæ caput* fuit, qui non ab eo stabant, a fide Catholica recedebant. Sed apertissimè constat, Paulum non satis in hac nupera ac novitia doctrina fuisse institutum, qui cum Petro iam parum comiter egit, ut illi se non æquaret modo, sed etiam anteferret. Nihilominus Cardinalis ex eo superiorem Petrum probat, quòd ejus invisendi gratiâ (Galat. I.) Paulus Hierosolymâ profectus sit. sanè Paulus eò se profectum, ut Petrum viseret, & de certis rebus cum eo ageret, testatur: sed addidisse debuit,

 buit,

buit, eò quoque se, ad sacra pedum oscula esse profectum. Ac quidem ut hanc quæstionem absolvam, verum est Petrum, & ætatis, & temporis, quo à Christo vocatus est, ratione, unum ex primariis Apostolis fuisse: Principem ordine illorum duodecim, quos primos Christus elegit, & de tribus illis unum quos Dominus ordinis servandi gratiâ, cæteris præposuit. Nec aliquid sibi ampliùs trecentis post Christum annis Romanæ sedis Episcopus arrogavit. Ita interim generalibus Conciliis suberant, ut & nuper Constantiense Concilium tribus Pontificibus abdicatis, quartum inauguraverit: Imperatoribus autem usque ad Phocæ tempora paruerunt, qui Domini sui cæde sibi ad culmen Imperii iter fecit. Nunc autem quibus artibus facti sint *Christi Vicarii*, imò verò *Dii in terra, triplici coroná insigniti, cæli, nimirum, terraq́, ac inferorum Reges, totius Orbis judices*, & ipsi à nemine judicandi, *Fidei capita, supremi omnium controversiarum decisores*, propter certitudinem & *infallibilitatem spiritus:* omni potestate tàm spirituali, quam temporali præditi, *summi Episcopi, Orbis terrarum Monarchæ, super Imperatores omnes Regesq́, evecti*, denique *supremi Vicedei*, qui velint, nolint, errare non possunt: quibus, inquam, artibus ad tantum fastigium ascenderint, equidem nescio: illud scio, maximè nostra referre, qui Reges sumus, ut huic rei maturè occurratur. Quantum ad me, Petrum & Paulum, tanquam præcipuas Ecclesiæ columnas agnosco & veneror: istos autem non novi: & illud tamen in dubium revocare, est à fide Catholica deficere: imò sursum, deorsum omnia ferri, ordinemque naturæ inverti, præponi lævam dexteræ, numeroque ac ordine postremum, honore primum esse oportet, ut illi Primatui suus splendor, suaque dignitas conservetur.

Hæc jam ingenuâ fidei meæ confessione, spero effectum, ut neque Apostata, neque Hæreticus jure censeri debeam: ut qui Scripturis Canonicis credam, tribusque Fidei Symbolis, primisque quatuor generalibus Conciliis adhæream. si nimis facilis ac credulus, prætertim nova dogmata afferentibus, esse nolo; eruditiores fortassè fidei meæ infirmitatem miserabuntur: sed me nemo, scio pro hæretico damnabit; nisi forte qui pro DEO Papam colunt, eumque sic habent, quasi Scripturam loquentem: ut nec Hæresin aliter definiant, quam opinionem quamcunque in caussis Fidei decisioni Papali contrariam. Ego vero id ingenuè spondeo, quoties Religionis illius, quam profiteor, ullum caput ostendetur non antiquum, Catholicum, & Apostolicum; sed novitium esse ac recens (in rebus, scilicet, spectantibus ad Fidem) me statim ab eo discessurum.

Totum igitur hunc locum Vincentii Lirinensis auctoritate sic concludam: Me nunquam ullum Fidei dogma, quod quidem ad salutem est necessarium, amplecti recusaturum, quòd tota Catholica Ecclesia jam inde ab Apostolorum temporibus, sine intermissione, multis pòst seculis, constanter docuerit & crediderit. Sed opinione Cardinalis me in eo hæreticum, sat scio, prodidi, quòd in Babylonis, Vrbisque super septem colles exstructæ vocabulo luserim, tanquam innuerem, Romam hodiè esse spiritualem Babylonem. quanquam & Babylonis nomine, tum in Petri Epistola, tum in Joannis Apocalypsi, Romam intelligi, noster iste cavillator nec gravatè concedat. Sanè quòd ad definitionem Antichristi, nolo rem tàm obscuram & involutam tanquam omnibus Christianis ad credendum necessariam urgere; sed quòd de toto hoc negotio sentiam, nudè & simpliciter explicabo.

Antichristum esse venturum, & cùm venerit, universalem defectionem fore, inter nos convenit. Sed *tempus, sedes, persona* ejusdem, ea sunt, de quibus dissentimus; & in disputatione tanta, scrutari nos Scripturas oportet, ut veritatem eruamus. Meâ quidem sententiâ Sanctus Paulus (2. Thess. 2.) id planiùs

planiùs explicat, quod Sanctus Joannes magis mysticè de Antichristo prædixerat. Nam quod Paulus ibi de Antichristo loquutus sit, satis ex illis verbis constat, *nisi venerit discessio primùm*. Discessionem enim illam generalem, tantùm Antichristi temporibus fore in Ecclesia; omnes Pontificii constanter affirmant: Alioquin eorum Ecclesia esset quotidiè erroribus obnoxia; quod omninò ipsorum doctrinæ repugnat. Eum deinde describens ait, quòd *homo peccati, filius perditionis extollet se super omne, quòd dicitur* DEUS. At verò qui sint, de quibus Psalmista (Psal. 82.) cecinit, *Dixi, vos Dij estis*, Bellarminus non ignorat. Apud veteres Theologos Reges erant; Bellarminus etiam Ecclesiæ Antistites adjungit. Fac utrosque intelligi. Nemini obscurum est, quis ille sit, qui super utriusque gladii potestatem hodiè se efferat.

Post hanc autem Personæ descriptionem, deinde Apostolus *Sedem* designat: *ut sedeat*, inquit, *in templo* DEI, id est, in sinu atque adeò penetralibus Ecclesiæ. Jam ubi sit Apostolica illa sedes, cuilibet relinquo divinandum: sed & quis in ea sedens pro DEO sese gerat, peccata condonans, animas redimens, Fidei articulos definiens, omnium hominum censor & judex, ipse à nemine judicandus.

Tempus notat idem Apostolus omnium evidentissimè, cùm revocat Thessalonicensibus in memoriam, *quòd cùm adhuc apud eos esset, hæc illis prædixerat*. Itaque *noverant*, inquit, *quid obstaret, & quis detineret, quò minùs homo peccati revelaretur*, licèt *mysterium iniquitatis jam tum operaretur*. Porrò S. Pauli temporibus necessarium non fuisse, ut revelaretur Christianis, Imperatores Romanorum, *homines esse peccati*, nemo adeò rerum imperitus est, qui non videat. Sed hæc revelatio, de qua Apostolus loquitur, arcanum fuit magnumq; mysterium: unde & videri potest, non esse ausum in hac sua Epistola quid illud impedimenti fuerit, prodere. Fortassis translationem sedis Imperii Romani intelligit, quæ locum vacuum *hominis peccati* relinqueret, in quo consideret. Non enim sensisse, *hominem illum peccati*, fuisse Ethnicos Imperatores sui temporis; illa præmunitio, quam facit, ad tractandam hanc quæstionem, luce clarius ostendet. Ne seducerentur enim veritus, *diem Domini appropinquare opinantes*, ait visum esse sibi, præmonere eos, universalem à Fide discessionem antè venturam. Ex quo patet, non illum præsens illud tempus, sed futurum, idque longinquum innuere: alioqui malè probaret argumentum suum, quo secundum adventum Domini non instare confirmat. Sed neque interitus ratio, quâ periturus est ille homo peccati, convenit vastationi Ethnicæ Romæ à Gothis Vandalisque factæ. Ait enim noster Apostolus, *illum impium spiritu oris Domini conficiendum esse, ac demum adventu ejus abolendum*. Jam ut mea fert opinio, Spiritus oris Domini, non aliud est, quàm verbum DEI, & Verbi prædicatio, quâ potentia illius hominis peccati paulatim minuitur atque consumitur, donec splendor adventus Domini penitus illum sustulerit. Porrò modum ac rationem operationis ejus explicans, mea quidem sententia, quid senserit, optimè explanat. Ait enim *fore per efficaciam erroris, in signis & prodigiis, &c.* Jam quæ tandem Ecclesia jactet innumerabilia miracula, quæ tamen maximam partem adversantur suæ ipsorum doctrinæ, nemo meliùs Bellarmino dixerit, *cum jumento suo famelico, quod pabuli oblitum, Sacramentum genibus curvatis, eo quo potuit modo, adorabat.* Et tamen certè erubescit dicere, institutum esse sanctissimum Sacramentum, quòd adorarent oves, & boves, & pecora campi.

Jam auctoritate S. Pauli planum fecimus, *tempus*, quo venturus est Antichristus, & universalis illa discessio futura, non nisi longo pòst tempore, quàm scripsit illam Epistolam, futurum fuisse: *sedem* ejus futuram in templo atque

Ecclesia DEI: actiones, quibus potissimùm *persona* ejus dignoscitur, eas fore, *ut extollat se super omne, quod dicitur* DEUS. Iohannes quidem fusiùs, licèt, ut dixi, μυστικωτέρως describit hunc Antichristum, quem sub figura prodigiosæ cujusdam bestiæ, cui septem erant capita, cornua decem, decimo tertio capite proponit: deinde decimo septimo interpretatur: ubi illam appellat (Apocalyp. cap.17.) *meretricem, quæ sederet super aquas multas, & prodigiosa bestia insideret.* Denique sic concludit illud caput, ut mulierem hanc *magnam illam civitatem, quæ Regibus terræ dominatur*, appellet. Et tàm illo capite, quàm initio proximi, civitatem magnam, *Babylonem* vocet. Itaque ut illam eandem mihi propositam methodum, de *tempore, sede & persona* Antichristi persequar, Romam aut esse, aut fore sedem illius Antichristi, locus iste perspicuè, & sine ulla contradictione declarat.

Primùm enim nullus jam Papista inficiatur, Babylonis nomine ibi planissimè Romam intelligi: Deinde hanc *mulierem*, esse illum Antichristum, liquet ex tempore, quo vim suam atque operationem exeret, quod erit quadraginta duum mensium, prout decimo tertio capite habetur: prorsusque consentit cum illo triennio & sex mensibus, quòd temporis spacium omnes Pontificii Regno Antichristi tribuunt. Præterea Bestia cum septem illis capitibus, & decem cornibus, quorum unum caput vulneratum est, rursusque sanatum, decimo tertio & decimo septimo capitibus juxtà describitur: quam in priore capite ex tempore, quo regnum obtinebit, Antichristum esse constat: in posteriore Romam significari nomine Babylonis, Pontificiorum ipsorum confessione evincitur. Ita jam liquidò probata est pars una de tribus propositis, Romam esse sedem ipsius Antichristi. Neque quod capite undecimo legitur effugium aperit, aut probat Antichristi sedem esse Hierosolymis, ubi dicitur, *cadavera testium jacebunt in plateis Civitatis magnæ, quæ spiritualiter Sodoma, atque Aegyptus vocatur: ubi & Dominus noster crucifixus est.* Verbum enim illud *spiritualiter*, Sodomis, Aegypto, & Hierosolymis tribuitur. Et cùm nominâsset Sodoma atque Aegyptum, non subjungit Jerusalem, addito solùm *ubi*, sed *ubi &*: quasi diceret, Etiam hæc Antichristi abominatio tanta erit, ut sedes ejus tam plena sit futura spiritualibus fornicationibus, atque Idololatriis, quàm Sodoma & Aegyptus olim fuerunt: imò persecutione Sanctorum tàm cruenta, ac si Dominus noster iterum ibi in membris suis sit crucifigendus. Quis autem est tam mediocriter versatus in sacris literis, si eas vel à limine salutavit, qui nesciat usitatam hanc esse in illis locutionem, ut Christus ipse dicatur persecutionem pati atque interfici, cùm hoc fit Sanctis, qui membra sunt Christi? Christus sic loquitur de suprema die differens: nec non eodem dicendi genere ad S. Paulum, in ejus conversione, utitur. Babylonem autem, sive Romam (quando Bellarmino sic vocari placet) magnam esse civitatem illam, ubi Dominus crucifixus est, versus etiam 18. capitis extremus apertè confirmat. Sic enim ait, *in ea civitate, sanguis Prophetarum & Sanctorum inventus est omniumque, qui interfecti sunt in terra.* Jam neminem negaturum spero, Christum ex illis unum fuisse, qui in terra sunt interfecti. Præterea rectè dici potest, illum interfectum fuisse in illa magna civitate Babylonis, quandoquidem auctoritate Romani imperii morte affectus est, sub judice Romano, criminisque in Romanum imperium, licèt injustissimè, reus. parùm enim amicus Cæsari videbatur, qui Christi non esset inimicus.

Hàc igitur jam parte illustratâ de sede Antichristi, proximum est *Tempus* exquirere, quo regnum obtinebit ille Antichristus, si nondum advenerit. Sanctus quidem Johannes ait, decimo tertio capite, huic Bestiæ, cui capita sunt septem, cornua decem, (Apoc. 13.) *unum caput vulneratum fuisse, rursusque sana-*

tum. Quibus explanationem adhibens 17. capite ait: *Hæc capita septem, totidem esse Reges, quorum quinq; cecidisse, unum esse, septimum nondum venisse: sed cùm venerit exiguo spacio remansurum. Bestiam autem, quæ fuit, & non est, octavum esse, & unum tamen è septem.* quà designat illum Antichristum, qui nondum venerat (Apostolorum dico temporibus) sed postea erat venturus. Quò fit, ut inter ætatem Apostolorum, & finem seculi, intercedere oporteat adventum illius Antichristi: id quod etiam ipsi Pontificii fatentur. Vnde manifestum est, Babylonem, quæ est eadem Roma, sedem fore ipsius Antichristi: sed non illam veterem Romam sive Ethnicam, quæ fuit Apostolicis temporibus. (Ipse enim palàm prædicat, sibi nihil esse scribendum, nisi quod erat post suum tempus eventurum) neque etiam illam, jam aliquâ ex parte Christianam Romam, dum in motu fuit conversionis suæ, quæ è vestigio consequuta est ætatem Apostolorum, illustris tot piorum Episcoporum martyriis: Sed Romam illam Antichristianam, tum cùm ipse Antichristus ibi sedem posuerit, posteaquam per operationem mysterii iniquitatis, Christiana Roma planè corrupta fuerit, & sinceritatem religionis amiserit. Atque ita illud lethale vulnus, quòd à Gotthis & Vandalis acceperat, curabitur in illo capite, sive Rege Antichristo, qui deinde exurget, atque ad diuturnum tempus regno potietur.

Sed hîc objici poterit, non diu posse regnare illum Antichristum, quando S. Johannes duobus tribusvè locis dicit Antichristum non ampliùs triennio, & sex mensibus dominaturum. Sanè cui vel paulùm modò notus est stylus, & loquendi modus S. Johannis in Apocalypsi sua, facilè animadvertet, illum *certum numerum pro incerto ponere* consuevisse. Id quod facit in 12. illis millibus suis de quaque tribu, qui obsignati sunt ad salutem: Et in exercitu ducentûm millium, qui missi sunt ad delendam hominum partem tertiam: idem aliis compluribus in locis factitat. Itaque qui recordabitur illum in omnibus suis Visionibus, ex professo morem à Prophetis, nempe Ezechiele, Daniele, Zachariâ, in Visionibus suis usurpatum imitari, mutuantem locutionum formulas, ab illis, qui prophetàrunt ante Christum natum, ad explicandas suas de novissimis diebus Prophetias; admodum verisimile esse comperiet, in illis tribus diebus & dimidio, eum imitari Danielis Hebdomadas: Hebdomadam unam accipiendo, totum illud tempus, quod inter adventum Christi primum ac secundum intercesserit; cujus temporis, sive spiritualis hebdomadæ dimidio triumphantem inducit Antichristum Nam quòd ad literalem illam interpretationem, quam omnes Pontificii sequuntur, trium annorum & sex mensium: quâ volunt illud tempus ad amussim incidere in dies omnium novissimos, exceptis quadraginta quinque ante secundum Domini adventum, planè toti novo Testamento repugnat. Christus enim ait in novissimis diebus epulaturos homines, celebraturos nuptias, omnibus ejusmodi secularibus negotiis implicatum iri, cùm hora novissima repentè eos nec opinantes opprimet. *Hic erit ad molam, alius super tectum domus, &c.* Quibus omnibus significatur illorum temporum summa securitas. Idem narrat parabolam quinque stultarum Virginum, ad declarandam inexspectatam, minimeque suspectam horam, quæ nos occupabit. sed *de illo die*, inquit, *vel horâ nemo scit, neq; Angeli in cælo, neq; Filius, nisi Pater.* S. Petrus jubet nos *vigilare & sobrios esse*, ad excipiendum illum diem semper intentos. S. autem Johannes in hac eadem Apocalypsi, bis nos admonet, ut furem nocturnum sic Christum esse venturum: quod in Evangelio quoque Christus ipse testatur. Atqui si Antichristus regnabit annos tres & sex menses ante novissimum diem, non plus autem temporis diebus 45. post ejus interitum effluet: profectò dies ipse, & hora illius diei, non potest fugere eos, qui superstites futuri sunt illo tempore, quo periturus est Antichristus. Nam ut Pontificii docent, mundus non ignorabit illum esse Antichristum, tàm duorum

testium doctrina, quàm repentino ejus interitu. Ex quo consequitur, neminem fore nescium, continuò, nullâ morâ interpositâ, post quadraginta quinque dies exactos, diem extre[illegible] esse venturum, quòd si verum esset, non uti fur venturus est Christus, [illegible] mundum oscitantem oppressurus, contra omnia Scripturæ testimonia à [illegible]s citata, aliaque complura. Ad hunc modum docuimus Romam esse sedem ac domicilium Antichristi: posterius autem dimidium spiritualis illius hebdomadis inter primum ac secundum Domini adventum, tempus illud esse, quo dominabitur, nam in priore mysterium iniquitatis cœpit operari: sed nondum erat ille homo peccati revelatus.

Quinam verò sint illi testes, magna est quæstio. Recepta opinio Papistarum est, Enochum atque Eliam esse oportere, quòd ita Bellarminus pertendit, atque in ea sententia sic obfirmatus est, ut putet eum, qui de hoc dubitat, se non hæreticum esse, in magno tamen errore versari. Sed veritatem Judaicæ, quam sequitur, fabulæ, paucis aperiam.

Cardinalis in libro Controversiarum producit quatuor Scripturæ locos ad otiosum hoc somnium confirmandum, duos è veteri Testamento, ex Malachia, atque Ecclesiastico; totidemque è novo, alterum apud Matthæum, Christi (potuit addidisse etiam Marcum) alterum Johannis in Apocalypsi undecimo capite. Primum quòd ad illos locos in genere attinet fidenter affirmo, verbum in illis non reperiri, reliquisve Scripturis, quòd innuat vel Enochum, vel Eliam redituros esse, & cum Antichristo dimicaturos; in eoque conflictu occidendos; aut quicquam simile. Deinde, ut cuique loco sigillatim respondeam, ac primùm illi Malachiæ, nescio quis Christo, ejus sit melior interpres, qui bis apud Matthæum, apud Marcum semel, certiores facit tam ipsam multitudinem, quàm discipulos suos, Johannem Baptistam illum esse Eliam repromissum. Atque hic Bellarminus pessimâ cum Christo fide agit, qui ut demonstret nondum venisse Antichristum, eò, scilicet, quod Enoch & Elias nondum reversi sunt; ad hoc probandum verba Christi citat Matthæi decimo septimo: *Elias quidem veniet, & restituet omnia*: sed quod sequitur, dissimulat, à quo priora interpretationem capiunt; nimirum *jam Eliam venisse* in Johannis Baptistæ personâ. Quid? quod in se recipiens Bibliandri objectionem solvere, qui Christum ait sensisse Prophetam Eliæ venturi completam esse in Johanne; arripit illud, *Qui habet aures, audiat*, Matth. 11. quod continuò sermonem illum excipit de Elia, magnumque inde elicit mysterium: Sed callidè dissimulat, quod decimo septimo (quem locum ipse antea allegaverat) Christus interpretatur eodem modo Malachiam, sine eorundem subjunctione verborum, *Qui habet aures, audiat*; suam eòdem adjungens non ferendam paraphrasin; nobisque impudenter exponens, quid Christus vellet dicere, immò sanè, quid Christum dicere oporteret, si bonus probusq; Catholicus fuisset, hoc enim sensisse eum persuasissimum habeo, glossemate Aurelianensi addito, quo contextum evertit. [illegible]am videtis, quanta cum impudentia Christi verbis abutatur, qui tribus in locis, uti dixi, alterum adventum Eliæ de Johanne Baptista interpretatur. Idem improbissimè cavillatur super verbo *venturus*. Christus enim utitur illo quidem verbo, sed repetens vulgarem opinionem: interpretatur autem, jam eum in Johanne venisse, ac si diceret; vera est quidem Prophetia, Eliam esse venturum: *sed ego dico vobis, Elias jam venit*, de Johanne Baptista (Matth. 17. capite) sentiens. Ita primùm verba Prophetiæ tempore futuro repetit, ut apud Prophetam (Malachiæ 4. capite) reperiuntur; deinde ea jam in Johanne (Matth. vicesimo septimo capite) completa esse in præsenti tempore demonstrat. Neque est, ut hæc verba Malachiæ *Dies magnus & horribilis*, CHRISTI in eam expositionem refellant. Etenim si quo die Salvator mundi passus est,

Sol

Sol obscuratus fuit omninò ad tres horas, velum Templi scissum in duas partes à summo usque ad imum, terra contremuit, petræ fissæ sunt, monumenta aperta, mortui resurrexerunt: si ille, inquam, dies non fuit magnus atque horribilis, quid horribile sit, non video: qui haud dubiè omnes sine exceptione Iudæos justo anathemate perdidisset, nisi idem Iohannes, præcursor Domini, per multos priùs convertisset doctrinâ pœnitentiæ atque Baptismo. Sed quid ego laborem ampliùs de interpretatione Malachiæ? quidve hoc mihi arrogem? cùm omnibus satis esse debeat, Christum ipsum sic interpretatum esse, cùmq; ipse dixerit, adeóque ter dixerit, per quem facta sunt omnia, quis mortalis audebit aliam interpretationem, immò contrariam affingere.

Iam quòd ad locum Ecclesiastici pertinet, sicut filius Sirach tantùm mutuatus est illum à Malachiâ, quod liquet ex verbis ejus, *de convertendo filiorum corda ad patres*, quæ verba sunt ipsius Malachiæ; sic Christus est optimus habendus utriusque interpres: neque dedecori est huic mortali Iesu explicari ab immortali veroq; Iesu, licet ad pudorem & confusionem hæreseos Iesuitarum. Sed Enochum oportet in hoc negotio cum Eliâ conjungi, nullam aliam ad rem, ní fallor, nisi ad jugum ex alterâ parte tollendum. Nullus enim Scripturæ locus de reditu ejus loquitur. Hoc tantùm in Ecclesiastico legitur, placuisse Enochum Deo, ob eamq; caussam translatum fuisse in Paradisum, *ut daret Gentibus sapientiam, vel pœnitentiam*, quando ita volunt. Et quid istuc est, dare Gentibus pœnitentiam? nimirum Enoch in hanc vitam reversurum, & pugnaturum contra Antichristum. Scitum quidem commentum, sed parum aptum huic loco commentarium. Cùm Bellarminus ageret de Eliâ, urgebat hoc maximè, venturum esse Eliam, qui Iudæos converteret potissimum, *& restitueret tribus Iacob.* Sed ubi ad Enoch redit, oportet illum *dare Gentibus pœnitentiam*: de Iudæis autem ne verbum quidem. adfuturi sunt, nimirum, ut suam quisque curet Provinciam, neque utrique idem detur negotium, sed ita sortiantur provincias, ut Petrus & Paulus; qui sic inter se partiti sunt, ut ille Iudæorum esset Apostolus, hic iret ad Gentes. Quid opus est tam longè petitis, coactisque commentationibus tribus de verbis? nónne sensus hic satis rectè clareque constabit; Enochum Deo placuisse, atque in Paradisum fuisse translatum, ut exemplo Gentibus esset; & hic tantus honos illi habitus, Gentes impelleret ad ag ndum pœnitentiam, sanctisque ejus vestigiis insistendum? Quid enim potuit efficaciùs persuadere & adigere Nationes ad pœnitentiam, quam ut ipsis inspectantibus Divinus ille vir, vivus in cœlum, pro mercede integritatis suæ sustolletur; cæteri omnes interirent atque in corruptionem abirent? Destitutus autem à Scripturis, necesse habet Cardinalis ad Patres confugere; quò probet Enochum atque Eliam adhuc vivere, posteaque morituros. Sed pari felicitate, atque in Scripturis versatus est, ut verbo ejus utar, quo ille in libello suo contra me usus. Ad hoc probandum quinque de Patribus adducit, Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Hieronymum, Augustinum: qui quidem omnes super hoc consentiunt, utrumq;, Enochum atq; Eliam adhuc vivere: quod nemo Christianus unquam, opinor, negaverit. Abraham enim, Isaac & Iacob etiamnum vivunt, ut Christus est auctor: *Deus enim*, inquit, *viventium est, non mortuorum Deus*, quanto magis in vivis sunt Enoch & Elias, qui nunquam mortem more aliorum gustaverunt? Sed de reliqua quæstione, an postea morituri sint primi duo testes ejus, Irenæus ac Tertullianus planè negant. Ille enim ait, in Paradiso remansuros usque ad consummationem, *conspicantes incorruptionem.* Iam remanere illic usque ad consummationem & non videre corruptionem, ex diametro

repugnat reditioni in hunc mundum, mortisque perpessioni. Tertullianus etiam huic consentiens planissimè dicit, Enochum nunquam gustâsse mortem, *ut æternitatis candidatum.* Iam malè sibi firmatum habet jus æternitatis, si iterum moriturus est. Loca autem ex tribus reliquis Patribus adducta, alterum confirmant, illos hodie vivere: alterius nullam faciunt mentionem, esse aliquando morituros.

Sed quoniam in hunc de Patribus antiquis fortè sermonem incidimus, sinite, quæso, hac occasione obiter vos moneam, mirum non esse, si sæpiùs Patres hic errent, & minus rectè multa Apocalypsis mysteria intelligant. propterea quod liber ille eorum temporibus adhuc obsignatus fuit: & licet *mysterium iniquitatis* jam tum ageretur, ille tamen *homo peccati* nondum erat revelatus. In omnibus enim obscuris Prophetiis certissima est regula, nunquam eas satis intelligi posse, usque dum compleantur.

Atque ad hunc modum duobus Bellarmini locis è Veteri Testamento depromptis, per hunc tertium è Novo, qui verba Christi continet, satisfeci. quæ quoniam luce sunt clariora, quartum nunc Scripturæ locum xi Apocal. videamus. Illi enim *duo testes*, scilicet, quorum ibi fit mentio, non alii quàm Enoch atque Elias sint, necesse est. Sed qui possit hoc cum Theologiâ, vel ratione consistere, ut hæc duo glorificata corpora, de Paradiso, cœlove (utro, vos videritis) descendant; prædicent, & pugnent contra Antichristum; interficiantur ab eo posteaquam per multa annorum millia exempti fuerint à maledictione mortis, cui per naturam omnes subjacent; tertio die resurgant ad imitationem Christi, exinde multis miraculis editis redeant in cœlum veredariorum more, ultrò citroque cœlum inter & terram cursitantes? hoc, inquam, qui possit cum Theologia, vel ratione consentire, equidem fateor, captum meum superat: maximè quòd eos oporteat indutos esse cilicio, quorum corpora, opinor, tam diu fuerint à peccato libera, ut non ampliùs istâ maceratione egeant. Nunc enim oportet illos, aut in cœlo esse, aut in Paradiso. si in cœlo (quod haud dubiè verum est) glorificata sint corpora eorum oportet: cum *nihil corruptibile eò possit penetrare.* Ex quo consequitur non posse eos ampliùs carnis infirmitatib. ac potissimùm morti esse obnoxios. Quòd si sunt in terrestri Paradiso, primùm scire avemus, ubinam sit ille Paradisus, qua regione terræ, quibus orbis in oris.

Bellarminus quidem in suis Controversiis multùm desudat, Paradisi regionem situmque perquirens, terráne inveniatur, an aëre: sed hæc omnia sunt mera deliria. Scriptura testatur Paradisum, adeòque hortum Eden, fuisse quendam in terrâ locum, quem Deus elegit, ut Adamum inibi collocaret, unde cùm eum paulò pòst propter gravissimam offensam expulisset, blasphemum est credere ullum ex Adami posteris eò postmodum pervenisse. Omnis enim ejus progenies maledicta est in ipso, & de terrestri Paradiso eliminata, nec non ipsa terra universim, ac Paradisus speciatim propter ipsum maledicta sunt. Secundus autem Adam per gratiam certum ex eis numerum vocavit, qui sibi cohæredes fierent cœlestis Ierusalem, cœlestisquè Paradisi. Terrestris enim, haud dubiè diluvio, si non antè, deletus est, sublatis illis omnibus exquisitissimis deliciis, summàq; amœnitate, quâ reliquas terræ regiones longè multúmq; superabat. In aëre autem pendére, incredibile est, nec dissimile somniorum Alcorani, in Scripturis enim nullum commemoratur ejusmodi miraculum, nec aliunde oriri potuit, quàm ex curiosis, ac præferuidis cerebrosorum hominum commentis, qui non didicerunt *sapere ad sobrietatem.* Hoc igitur certum est, in cœlo domicilium & requiem habere Enochum atque Eliam *Enoch enim*, inquit Scriptura, *ambulavit cum Deo, & non apparuit; quia tulit eum Deus*, vel, ad se recepit: Elias autem visus est sublimè in cœlum

cœlum flammante curru sublevari. Vt autem illi, qui tot millia annorum cœli fuerunt incolæ, mortalitatis legibus soluti, ut hæc, inquam, glorificata & incorruptibilia corpora redeant in hanc vitam, prædicent Evangelium, edant miracula; cum Antichristo denique confligentes interficiantur ij, quos mors naturalis antè absumere non potuit, sicuti commentitium est figmentum, ita naturæ planè repugnat ejusmodi sanctificatorum corporum. Sed illud inprimis mihi mirum videtur, cur Enoch potissimum unum esse oporteat ex his *duobus* Christi *testibus*. Moyses certè atq; Elias cum Christo fuerunt in transfiguratione, in figuram Legis & Prophetarum. Lex enim & Prophetæ gravissimi testes fuissent ad coarguendum Antichristum. Cur autem Enochi collum jugo subdiderint, Moysem exemerint, divinare non possum.

Sed nimis anxiè studioseq; hanc futilem & sanè anilem fabulam refutavi, cui tantum abest, ut credam, ut contrà, isto tam erudito seculo, hoc qui credat (Deũ testor) non modò pro magni nominis Theologo, sed ne pro Christiano quidem habeam: quin potius Scribis & Pharisæis accenseam, qui sic insaniebant, ut quamvis Christus contrarium docuisset, semper tamen venturum esse Eliam somniarent. Veteribus autem Theologis, si qui in hac parte erraverint, æquior sum, propter rationem quam suprà memoravi.

Iam illa anili fabulâ refutatâ de *duobus* illis *testibus* Enoch atq; Eliâ, restat, ut meam conjecturam interponam, doceamq; quosnam illos *testes* esse arbitrer. Equidem fateor multò faciliùs esse ejusmodi nullâ ratione subnixas, ac Theologiæ fundamentis adversantes fabellas refellere, quàm tam alti reconditiq; mysterii germanum sensum eruere. Itaque ut non tantum mihi arrogaverim, quenquam ut adigam in meam sententiam, nisi quem ipsa veritas, & animi sui judicium eò pertraxerit: ita proponam probabiles conjecturas, quæ ut spero, hæreseos & nimiæ curiositatis suspicione vacabunt.

Duobus diversis modis mysterium horum *testium*, meâ quidem sententiâ, probabiliter & non incommodè potest exponi: quorum alter est, ut per *duos* hosce *testes* intelligantur Vetus ac Novum Testamentum. Nam ut Antichristus non potest non inimicus esse Verbo Dei, illudque supra omnia odisse: sic nihil intentatum relinquet, quo illud *dedecoret*, *corrumpat*, *supprimat*, & quibus possit artibus *destruat*. Cæterùm an hic liber duorum Testamentorum, vel *duûm* Christi *testium*, vim aliquam à Babylonicâ Monarchiâ passus sit, nécne, nihil dicam: res ipsa loquitur. Non obtundam vos recensendis tritis illis, quibus utuntur ad minuendam ejus auctoritatem dicteriis, cujusmodi sunt, *Nasus cereus*, *Mortua litera*, *Lesbia regula*, sexcenta alia probri & ignominiæ plena. Sed quantum traditiones hominum atq; auctoritatem Ecclesiæ his testibus præferant, ex ipsorum doctrinâ apparet. Ad cujus rei probationem, si nihil aliud extaret, satis profectò esse posset ille libellus scitam hanc inscriptionem præferens, *De insufficientiâ Scripturæ Sanctæ*. Cum autem nulla de re magis laborandum sit, quam ut integra & incorrupta conservetur sacra Scriptura, complures veteris Latinæ versionis locos etiam corruptissimos corrigi minimè patiuntur: cujusmodi sunt *evertere domum*, pro *everrere*, ad inveniendum denariũ: & illud de Iohanne dictum. *Sic eum volo manere, donec veniam*, pro *Si*, tametsi non solùm mendi, sed etiam mendacii manifestum sit; ut subsequentia contextus verba declarant. Sed tantum absunt à veterum codicum emendatione, ut vulgarem versionem Pontificii non dubitent archetypis originibus Hebræorũ, & Græcorum anteponere. Hæc etiam contemnendáne est depravatio Scripturarum, fidem atque auctoritatem omnium, aut maxime partis Apocryphorum librorum, exæquare Scripturis canonicis, contrà quàm patres sentiunt, ac vetera Concilia decernunt? Illa autem quàm sacrilega corruptio, *Dominam*,

pro

pro *Domino* ponere in toto Psalterio? sic enim *Dominæ nostræ psalterium*, quod vocant non ita pridem denuò Parisiis est excusum. Nonne hoc est Christi, Matrisq; personam ac dignitatem confundere? Quid de Scripturæ suppressione dicam? quot seculis populus Christianus in tanta cæcitate, & salutaris doctrinæ ignoratione detentus est, ut hi testes penè incogniti essent; cum Laici Scripturam attingere (ut quibus hoc interdictum esset) non auderent, maxima pars Clericorum in illius lectione versari aut nollent, aut non possent?

Ad hunc modum hi *duo testes* Christi, de quibus ipse dicit, *Scrutammini Scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me*: hæ duæ pingves olivæ, pacem afferentes cunctis credentibus, pacem dico conscientiæ: hæc duo candelabra, quæ posita in conspectu Dei, prælucent nationibus, queis significare utrumque Testamentum, & repræsentari in ipsa Romanæ Missæ celebratione volunt: ad hunc, inquam, modum fuerunt hi *duo testes dedecorati, corrupti, suppressi*: quid dico suppressos? immò ad silentium damnati, ut pro hæretico combureretur, qui in manus sumere auderet, aut inspicere. Deinde in ignotâ lingvâ sic absconditi jacuerunt, pauci ut possent adire, aut assequi; quorum in locum Legendæ subierunt, & portentosa quædam mendacia, quibus omnia suggesta & templa resonabant. Atque ita evenit, *ut corpora horum testium projecta in plateis illius magnæ civitatis jacerent, quæ spiritualiter Sodoma vocatur*, propter spirituales ejus fornicationes, quæ sunt Idolorum cultus: *spiritualiter Aegyptus*, eo quòd Sanctos Dei in servitutem humanarum traditionum redegerit. *Quare oneramini ritibus*? Quis requisivit ista de manibus vestris? Sic, inquam, *corpora eorum ad triduum & dimidium diei* sine sepulturâ projecta sunt; id est, ad dimidium illius spiritualis hebdomadæ, quæ inter primum Christi adventum, & secundum intercedit. Et tum certè Scripturæ tanquam cadavera, jacebant, absque monumento, omnium contemptui expositæ, neglectæ penè ab omnibus, nec à pluribus intellectæ, cùm nemo pœnæ formidine requirere eas, aut poscere auderet, sicuti suprà diximus. Quæ cùm sic intermortuæ, & quasi depositæ, exanimes & sine vigore jacuissent, non secùs atq; Lex, quæ cum diu in tenebris obruta latuisset. quasi vitæ reddita ac restituta Iosiæ tempore revixit; *gaudebant habitatores terræ*; nempe, homines terrena sapientes, *munera ultrò citròque inter se præ gaudio missitabant*, quód carnales suæ libidines non amplius jam comprimerentur, neque in ordinem cogerentur, ancipiti illo gladio resectæ. Iam enim certo sciebant, quicquid fecissent, quocunq; modo vixissent, pecuniis se omnium peccatorum indulgentias Babylone impetraturos: quippe *Omnia venalia Romæ*. Adeò non opus fuit hominibus ad veniam peccatorum inveniendam, in cœlum suspicere; sed pronos marsupia despicere, si sat nummis intumescerent. Immò quorsum attinuit Deum adire, & cœlum per vim zeliq; fervorem occupare, cùm Indulgentiæ se ultro offerrent, atq; ad fores præstò essent? Cùm homines complures spirituales, jactarent se neque Vetus intelligere testamentum, neq; Novum?

En quàm inclementer, & quanto cum dedecore hi *duo testes* excepti sint in alterâ parte Hebdomadæ spiritualis, qui in primâ *cilitio cooperti sunt*; id est, pœnitentiam cunctis nationibus, circiter quingentos aut sexcentos post Christum annos, prædicaverant? cùm Deus Verbum suum, sive *testem insidentem equo candido*, sic ovantem fecit incedere in primordiis Ecclesiæ, ut omnes, qui adversarentur, vinceret: destrueret omnem altitudinem, quæ se extollit adversus cognitionem Dei (ut ait Apostolus) aditu cœlorum prohiberet omnes incredulos, non minùs eos spirituali igne Verbi convinceret, duràsq; eorum cervices frangeret, quàm Moyses & Elias plagis & fame rebelles Aegyptos obstinatòsq; Israelitas contuderant. Neque contenti erunt, hos *testes* dedecorâsse, corrupisse, suppressisse, sed ad extremum quoque *interficiendi sunt*: quâ in

ad rem

ad rem prodit *Censura generalis, ut censorio mucrone jugulentur.* Quid enim aliud agit, quàm jugulat, cùm alias omnes translationes, præter suam, auctor comburi mandat? quòd etiamnum fieri solet. Præ se fert enim & palàm profitetur, se non id agere, ut corrigantur (quod si facere vellet, magnam ei gratiam haberemus) sed ut deleantur & destruantur, unumquemq; Scripturæ locum, qui illorum Traditionibus refragatur, hæreseos arguens. Neque id solum, sed tot ferè conviciis atq; maledictis onerans, quot Cardinalis in meam Apologiam contulit: non dirigens, neque explicans Scripturam ex Scripturà (quæ est optima interpretandi ratio) sed ad suas traditiones, tanquam ad Lydium lapidem, ipsam quoq; Scripturam exigens: Vt damnet hæreseos, non eos modò Scripturæ locos, quos recitat, sed eandem etiam sententiam ferat in omneis consimiles, ubicunq; in Scripturis reperiantur, Et tamen summo Dei Optimi Maximi beneficio, nun incipimus (id quod majores etiam nostri aliquot superioribus seculis fecerunt) oculis cernere hosce *testes* resurgentes, & in pristinâ gloriâ refulgentes, *Deo quasi levante eos, atque in pedes statuente: deniq, tollente in cœlum* quasi in triumphali nube gloriæ, prout Elias curru sublevatus ignito traditur. Quæ Evangelii resuscitatio, atq; in sublime evectio, tantum *terræmotum*, tantámque rerum mutationem in plærisq; gentibus peperit, ut *pars decima*, id est, bene magna, multique eorum, qui *magnæ Civitatis* ditioni suberant, nempe Babylonis, cognitis imposturis, ab eâ defecerint; *septem millia*, id est, ingens multitudo per occasionem illius mutationis occisa sit: multi ad Deum conversi, *gloriam Deo cœli tribuentes.* Hic igitur unus est modus, quo locum hunc Scripturæ probabiliter, ut mihi videtur, interpretari licet.

Est & alter magis receptus, qui ad literam contextus propius accedit: si dicamus per hosce *testes*, non ipsum Dei Verbum, sed Verbi prædicatores, intelligi. Pauci erant ab initio, qui illum *hominem peccati*, revelarent, & corruptelas ejus retegerent. apposite igitur duali numero descripti sunt: *Nam in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum,* Neque major fuit eorum numerus, qui magnum illud opus inchoaverunt, quàm negotii magnitudo necessariò postulabat. *Prædicabant in cilicio*; quippe pœnitentiam prædicabant: plurimos eorum crudelissimâ morte affectos fuisse, Orbi notissimum: *mox resurrexisse* in ejusdem doctrinæ successoribus constat: idq; tantâ vi & efficaciâ, ut omne miraculum superet. Cum enim habeatur in Scripturis opus Dei miraculi plenum, Spiritus Sancti virtute perfectum, quòd Apostolus Petrus propè tria hominum millia uno die converterit: isti, de quibus loquor *testes*, intra paucos annos ejusdem Spiritus vi, multas potentissimas nationes in veræ Fidei viam reduxerunt, quæ constanter hodie perseverant; Deum laudantes, qui eas ab Antichristi magnæ Civitati imperantis tyrannide exemerit: & altâ voce clamantes, *Exite de illis populus meus, ne participes sitis delictorum, ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* Hoc igitur isti miraculorum nundinatores, qui nauseam mundo cient, & chartæ precium adaugent, editis quotidie veteribus illis quidem, sed denuò interpolatis miraculis, ac plenis mendaciorum Legendis: hoc, inquam, isti cogitent magnum reverá miraculum & quod fidem penè superet; & vilibus suis atque adulteratis, ut tandem ipsos pudeat, mercibus componant. Atque ita duobus modis explicatâ conjecturâ meâ, quos *duorum testium* nomine intelligi censeam, quorum Apocalypseos xi. fit mentio (quanquam non sit magnum utriusq; discrimen; in altero enim ipsum Dei Verbum; in altero Verbum quoq; Dei, sed ex ore prædicatorum ejus, accipimus) restat jam ut tertium descriptionis Antichristi locum excutiamus, in quo de *personâ* quærendum esse instituimus.

Scotto

Scorto Babylonio, quod Bestiæ inequitat, sedem alicujus Imperii, & successione continuatam hominum seriem illi præsidentem, non unum aliquem designari, perspicuum est ex formâ, quâ diversis libri locis Antichristus ipse describitur. Versu enim ultimo cap. xvij. *mulier* exponitur, *magna illa civitas, quæ dominatur Regibus terræ*; quæ non potest significare certam unius hominis personam, sed plures homines sibi continenter succedentes, ut suprà memoravi, quorum sedes est magna illa Civitas. Similiterque eodem cap. *septem capita illius Bestiæ*, duobus modis exponuntur: primum *de septem montibus*; quod obvium est: deinde *de Regibus totidem*, quod de illis non potest intelligi Regibus qui *Bestiæ suam potestatem tradituri sunt*, eique subiicientur, qui mox *decem illis cornibus* figurantur: sed magis apparet septem capita Bestiæ, septem Imperii formas esse, illius sedis proprias, quarum quinq; iam fuerant & ceciderant. Reges enim primò fuerunt; deinde exactis Regibus, Consules, Dictatores, Decemviri, Tribuni militum. Sexta erat, quo tempore Iohannes conscripsit hunc librum, Cæsarum Imperium. Septima, quæ nondum venerat, & exiguo temporis spatio erat duratura, Ecclesiastica est Episcoporum, quæ translationem imperii Roma Constantinopolin consecuta est: licet illorum regimen Imperatoribus quodam modo fuit subordinatum. Quanquam enim hæc gubernandi ratio annos circiter cclxvi. duraverit, tamen exiguum hoc fuit præ longo illo tempore, quo regnum, quod illi continuò successit, nec dum desiit, Antichristus obtinuit. Octav, *quæ est Bestia, quæ erat, & non est, & itura est in perditionem*, ipse est Antichristus, qui quidem censetur octavus propter illius summum & absolutum Imperium; simul tamen septimus, quia visus est successisse Episcopis in Ecclesiastica quadam ratione imperandi: licèt amplitudine sua gloriam Imperii Babylonii parem effecturus erat illi magnificentiæ, quam magna illa civitas obtinuit, tum cùm maximè floreret ac triumpharet; quæ Sancti Iohannis ætate multùm imminuta erat per nobilium factiones, & seditiones militum, ipsorumq; Cæsarum socordiam. Ita pristinus ille magnæ Civitatis, seu Bestiæ splendor, cui S. Iohannis ætate tantum decesserat, ut non esse tum, nisi quodam modo videretur, restituendus erat per illum Antichristum, qui sicut ascendit ex abysso, sic iturus est in perditionem. Quinetiam ex illo maximo planctu, qui cietur ex interitu Babylonis xviij. cap. tam à Regibus, quam mercatoribus terræ, ubi ad miserationem desolationis ejus augendam iteratur tertió, cecidisse horæ momento magnam Civitatem; ex illo, inquam, gravissimo planctu planissimè constat, regnum Antichristi longiùs triennio & semestri spatio, aut unius hominis ætate duraturum. Reges enim, qui cum eâ fornicati sunt, & *in deliciis vixerant*, tempus habuisse diuturniùs ad magnam illam necessitudinem contrahendam oportuit. *Mercatores autem terræ*, sic ejus, dum stetit, prolixè copias & felicitatem ostentant, quasi suarum esset Emporium divitiarum, quæ tam exiguo tempore non poterant, ac ne uno quidem seculo, coacervari. Sed ut jam omnem hanc Antichristi descriptionem in paucâ conferam, compendiosâ vobis methodo ante oculos ponam omnia, quæ de eo dicta sunt in Apocal. ad pleniorem explanationem trium illorum Capitum quæ jam explicavi.

Antichristus meo quidem judicio quater à Iohanne in Apocalypsi, quatuor diversis visionibus depingitur, quæ omnia in breve compendium cap. x. contrahuntur. Primùm *equo pallido* describitur in visione sigillorum cap. vj. postquam enim Christus *in equo albo*, cùm primum sigillum apertum est, propagatione Evangelii triumphâsset: *rufus* autem *equus* ad apertionem secundi, non minùs contenderet infestam persecutionem movere, quàm Christus constantiâ Martyrum vincere; Fames autem atq; aliæ plagæ per *equum nigrum* figuratæ, prioribus illis persecutionibus in tertio sigillo succederent, dehinc jam proce-

procedit ille Antichristus in *equo pallido*, cùm quartum apertum est sigillum, *& qui sedebat super eum, nomen illi Mors, quem Infernus sequebatur*; sessor pallido equi colori consentaneus: *& data est ei potestas in quartam terræ partem*, id est, in Europam, *interficiendi gladio*, & persecutionibus sæviendi (quod Ethnica Roma factitaverat, *equo rufo* figurata) & conficiendi spirituali inediâ seu fame verbi DEI, quam minatur Propheta, sicuti *niger equus fame & morte corporali* necabat, quibus mors spiritualis designatur. Antichristus enim *equo pallido* notatus, Ecclesiam tum sævâ persecutione & corporali morte vexabit; tum non minùs polliciendo Nationes in Idololatriam spirituali quoq; morte mulctabit. Locustas enim, quibus ut Rex imperat, quarum 9. capite hujus libri fit mentio, emittet; unaque cum eis tres illos ranunculos, cap. 16. commemoratos, qui Reges nationesque omnes ad calicem abominationum ejus exhauriendum alliciant. Atque hîc desinere hanc descriptionem Antichristi perspicuum est. ad resignationem enim quinti sigilli continenter subjunctam, animæ & sangvis interfectorum Sanctorum, magnâ voce clamantes, accelerari vindictam expetunt, judicium exposcunt: quod in sexto sigillo concessum est eis adventu Christi novissimâ die, qui per *recessum cæli instar libri voluti*, & alia multa in eandem sententiam significatur.

Sed quia hæc videri posset ipsius Antichristi brevis & obscura descriptio fusiùs & magis specificè depingit eum, præsertim in visione *Tubarum*, cap. 9. Illic enim habetur ad quintæ tubæ clangorem, cùm jam passim hæreses in tribus è quatuor primis clangoribus disseminatæ fuissent, nempe ad primam, tertiam & quartam (temporalem enim persecutionem censeo tantùm secundæ tubæ cantu significari) Johannem *vidisse stellam de cœlo decidentem in terram, cui data est clavis putei, qui dicitur abyssus: quæ cùm aperta esset, eum fumo putei magnam vim locustarum exiisse in terram*, de quarum tàm asturiâ, quàm potentiâ, cùm multa dixisset Regis earum, qui eduxit eas de puteo Abyssi, nomen exponit, quod Hebraicè Abaddon dicitur, Græcè autem Ἀπολλύων. Hæc autem *stella, quæ de cœlo decidit*, significat, ni fallor, aliquem eximiæ dignitatis in Ecclesia, qui cùm ex officio lux mundi esse deberet, ut Christus præceperat; ille contrà munus suum deserens, instar Luciferi deficit, regnum sibi erigit, pestifero subdolorum & immanis sævitiæ animalculorum examine emisso, quæ *locustarum* nomine notantur. Ad hunc modum sedes Antichristi cœpta est erigi, cujus doctrina copiosè declaratur in secundo *Væ*, post inflationem sextæ tubæ, ubi dicitur, *residuos homines, qui non sunt occisi in his plagis, non egisse pœnitentiam de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, & simulacra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea, quæ neq; videre possunt, neq; audire, neq; incedere.* De cultu dæmoniorum, egregium Doctorem Jesuiticum Vasquem consulite. Quantum verò ad cultum imaginum, negari non potest, quin caput doctrinæ præcipuum sit Romanensis Ecclesiæ. Deinde ibidem subinfertur, *non egisse eos pœnitentiam ab homicidiis suis, neq; à veneficiis, neq; à fornicationibus suis, neq; à furtis.*

Homicidia, persecutiones eorum denotant, promiscuas cædes ac trucidationes. De *veneficiis* qui dubitat, eorum *Agnos DEI* contempletur, quibus ignis restinguitur, benedicta indusia, & diversorum generum reliquias; denique orationes, quæ homines à tormentorum bellicorum impetu, vi flammæ, violentia ferri, jactu fulminum, cæterisque id genus periculis conservent. Tum judicet, an non sint hæc veneficiis & veneficiorum incantationibus simillima.

Jam *fornicationem* eorum intelligo, cùm spiritualem, quæ perhibetur Idololatria, tum non minùs carnalem, quæ apud eos frequentior est, tàm propter matrimonium Clericis suis interdictum, quàm propter tot otiosorum Monachorum ac Sanctimonialium gregis. Otium enim esse maximum incitamen-

tum atque illecebram libidinis, usus vitæ quotidianus docet. *Furti* autem in eo maximè se alligant, quòd DEO surripiunt titulos honorum, & amplitudinem potestatis illi soli debitam, quam in Antichristum caput suum confessant. Nec minùs in accumulandis opibus furti tenentur, dum præstigiatoriis artibus, *Jubilæis*, *Indulgentiis*, *Reliquiis*, & id genus aliis efficacibus delusionibus, animas hominum nundinantur.

Definere autem descriptionem Antichristi cap. 9. liquet ex jurejurando, quod *fortis ille Angelus, levatâ ad cœlum manu* dejerat vers. 6. cap. 10. post cantum sextæ tubæ, *tempus non fore ampliùs.* Sed cùm septimus Angelus *tubâ cecinisset, consummabitur, inquit, mysterium* DEI, *sicut evangelizavit per servos suos Prophetas.* Undecimo capite tantummodò describit modum, quo debellatus est Antichristus; cujus regnum antè exposuerat cap. 9. nobisque de duobus illis testibus annunciat, fore, ut post persecutionem, quam ab Antichristo passi sunt, exitium ei adferant. Quòd si quis putet Antichristi mentionem fieri solùm 11. cap. Bestiam autem, de qua agitur 13. & 17. cap. tantùm significare Ethnicam illam veterem Romam: ad hanc minuendam opinionem satis est recordari, nunquam Antichristum poni nominatim toto cap. 11. nisi ubi vers. 7. capitis ejusdem appellatur Bestia, quæ prodit de puteo abyssi, quæ per loci descriptionem, unde emergit, probatur eadem esse Bestia, cujus eadem origo 17. totidem verbis commemoratur. Adeò non est alius, sed idem Antichristus variis visionibus iteratis, varieque descriptus.

Jam 12. & 13. cap. ac deinceps usq; ad 17. fusiorem facit ac pleniorem propheticam explicationem status Ecclesiæ, regniq; ipsius Antichristi. Capite enim 12. designat Ecclesiam specie *mulieris à Dracone*, qui Diabolus est, in desertum fugientis. *Draco* autem ubi videt, se non posse aliter illam consequi, *effundit ex ore aquas instar fluminis, quibus abrepta traheretur:* quo significatur, plurimas nationes solutas & immissas esse ad persequendum, & vexandum Ecclesiam. Decimo tertio autem cap. ex illa nationum immensâ colluvione, quæ persequebantur Ecclesiam, exoritur magna illa Civitas, Regina omnium illarum Gentium, & caput diræ persecutionis, bestiâ quadam figurata, *quæ septem habuit capita & decem cornua, pardo similis*, cùm propter colorem, quia respersa erat maculis, id est, corruptelis contaminata; tum quòd adulterinam quandam imperandi rationem adhibet, specie spiritualem, revera secularem, quâ super Reges terræ extollitur: Leopardi similem, quæ spuria est bellua, è Leone Pardoq; mista; *ursinis pedibus*, ad vires ejus significandas; *ore autem leonis*, ad rapacitatem declarandam, sævamque naturam. Hæc bestia, quæ suam à *Dracone habuit potestatem*, *plagam autem lethalem in uno capitum*, sive unâ imperandi rationum, à Gotthis ac Vandalis acceperat, sed mox *curata est. aperuit os suum ad blasphemias in* DEUM, *bellumq; Sanctis intulit.* quam, scilicet, terram universam adorare oportet, quod nunquam vetus illa Ethnica Roma à quoquam postulavit; quæ dedignata non est fœdere conjunctos Reges, *socios atq; amicos* comiter appellare. Cultus autem atque adoratio, hoc eodem nomine ac titulo, soleatnè adhiberi singulis Pontificibus cùm inaugurantur, nemo Cardinali nostro meliùs novit.

Deinde *alia bestia è terra* exoritur, cujus firmior origo est & stabilior, ut quæ visibiliter veræ Ecclesiæ succedat; ob eamque caussam *duo cornua tanquam Agnus gerit*; specie quidem externâ Christi sponsam referens, & Christum sibi propugnatorem obtendens: sed instar *Draconis* loquitur, docens damnabiles diabolicasq; doctrinas. Hæc autem Apostatica Ecclesia (Apostolica dicerem) postquam mundo palàm fecisset suam ingentem potentiam, *omnia faciendo, quæ prior Bestia unquam potuit facere, in conspectu ejus:* h. e. ostentando magnitudinem suam non intra magnitudinem Ethnici Cæsarũ imperii subsidere, tantâ cupidine incensa est efferendi Bestiam hanc, quæ jam Antichristi nomen & sedem tenuit,

ut *ter-*

ut *terram faciat terraque habitatores adorare illam priorem Bestiam*, sive Romanum Monarcham, atque ita in eum omnem suam potentiam atque opes transferat. Quin Reges etiam, Cæsaresque pedes ejus exosculari non detrectabunt. Quam ad rem edet miracula, in quibus se venditabit, seducens portentis mendacibus erroris que efficaciâ, ut Paulus (2. Thess. 2. 9.) loquitur, quamplurimos: Inter alia autem ejus prodigia, *ignem de cœlo deducet*; nempe *fulmen Excommunicationis*, cujus tanta vis est, ut thronis exturbare Principes valeat, adeò ut omnes pro hæreticis occidendi sint & exurendi, qui *Bestiæ nolunt imaginem adorare*, hoc est, summam ejus potestatem nullis limitibus circumscriptam. Quin etiam hæc *Bestia*, vel *Pseudopropheta* (sic enim decimo sexto capite appellatur) adeò totus incumbit ad augendam illam alteram *Bestiam* sive Antichristum, ut à cunctis ordinibus generibusq; hominum, *in manibus dextris ac frontibus suis, illius Bestiæ character sive nomen accipiendum sit; sine quo non licebit cuiquam emere quicquam, aut vendere. Character in fronte* quid est aliud, quàm externa professio, vel humilis potiùs confessio, se huic Bestiæ subjici? *Signum in dextra*, notat actualem eorum atque implicitam obedientiam erga eam, quam putant non posse errare, etiamsi eos contra Principes suos naturales arma ferre juberet. Cui similis est illa *cæca obedientia*, in quam omnes Jesuitæ jurant, quibus nec absimiles sunt Romanenses illi apud nos Sacrificuli, qui Sacramentum fidelitatis jure naturali debitum, in deterius mutati ejurârunt: quod licèt primò suscepisse se dicant, illæsâ conscientiâ, utpotè vinculo Naturæ obligatos; tamen nunc illud idem necesse habent ejurare, & fas omne abrumpere, ne Pontificiis mandatis non pareant, cujus libidini conscientiam eorum & rationem mancipatam esse oportet. Qui verò non concedit absolutam hanc potestatem, *neque emendi, neque vendendi*, jus habet: quia nemo fidem servare tenetur hæreticis, ullumvè contractum cum illis ratum habere: immò æquivocare (ipsorum verbo utor) & pejerare adversus illos Romano catholicos licet.

Jam quod ad nomen Antichristi attinet, & *numeri* in eo nomine *mysterium*, sive intelligendus sit numerus, quem literæ conficiunt in Græco nomine λατεῖνος, quod optimè cum Romana Ecclesia, Romanâ fide, & Latinâ liturgiâ congruit: sive quòd in contextu *numerus* vocatur *hominis*, placet accipere annorum Domini numerum, cùm ille homo, qui primus omnium usurpavit titulum Antichristi, viveret, Lectoris arbitrio dijudicandum relinquo. Primum illum hominem intelligo Bonifacium tertium qui primus se nuncupavit *universalem Episcopum*: quo titulo, S. Gregorius, qui vitam usque ad tertium annum ante Pontificatum illius produxit, ipsum Antichristum cognoscendum fore prædixerat; sive ejus, ut ipse loquitur, præcursorem: qui licèt defunctus sit sexaginta annis ante annum DC. LXVI. Christi, tamen titulus ille, non nisi LX. pòst annis in successoribus Bonifacii jam confirmatus resedit. Aut si libet numerum annorum inire, à tempore, quo Pompejus templum diripuit, usque ad Bonifacium, non multum huic annorum numero explendo deerit.

Ad hunc modum cùm Antichristi dominatio prophetícè 14. cap. descripta sit, occasus ejusdem 14. prænunciatur; primùm exultatione festivâ, ac triumphali novâ cantione Sanctorum in cœlis: deinde Angelorum trium præconio, quorum primus *manu tenens æternum Evangelium cunctis gentibus annunciandum* (certissimum telum, quo *duo testes* oppugnaverat Antichristum) *timorem & gloriam Deo prædicavit, quando judicii ejus hora venisset.* Secundus pronunciavit *ruinam Babylonis*; quæ est interitus ipsius Antichristi. Tertius vetuit atque interminatus est sub pœna damnationis æternæ, ne quis *Bestiam adoraret*, neu *characterem* ejus acciperet. Quanquam autem in reliquo capite novissimus dies iterum prænuncietur, quasi paulò pòst revelationem hominis peccati sequuturus; veruntamen 15. cap. commemorat *septem plagas*, nomine *phialarum*, priùs

ſuper Antichriſtum & regnum ejus venturas,quibus nominatim 16. cap. expoſitis,inter alias numerat effuſam *quintâ phialâ* plagam tenebrarum, immò tantam caliginem, ut & eâ regnum Antichriſti obſcuretur. unde ſextus Angelus cùm effuderit *phialam* ſuam, *via præparabitur Regibus ab ortu Solis*, cùm jam *homo peccati* cœptus eſt revelari ſublatis omnibus impedimentis, quæ poſſent iter eorum ad invadendam illam Monarchiam remorari: non ſecus ac fluvius Euphrates, qui Babylonem ipſam præterlabitur, eam ab incurſu Regum Orientis (Medorum, ſcilicet, atque Perſarum) quoad permanſit Babylonica Monarchia, tutabitur; donec fluminis exſiccatione, aut inopinato Cyri tranſitu Babylon noctu capta eſt, Balthaſar occiſus, imperium ejus everſum, etiam dum Babylone reſidebat, inebriatus & potans in vaſis ad DEI miniſterium comparatis; atque ita quaſi in templo DEI ſedens, ſacriſque ejus abutens myſteriis.

Ad cujus mali remedium cùm *ſexta phiala* effunderetur, *tres immundi ſpiritus in modum ranarum exibant de ore Draconis, Beſtiæ, & Pſeudoprophetæ*. quod ſic intelligendum arbitror: cùm primùm Antichriſti Regnum tàm craſsâ denſaque ignorantiæ caligine obſcurabitur, ut omnis divinarum humanarumque rerum cognitio, literæ dèniqueomnes penè intereant, paucique ex ipſis ſacerdotibus legere auctorem Latinum, nedum intelligere poſſint: atque ita munita erit via expeditiſſima ad interitum Babylonis: tum nova ſecta exurget, & novi ſpiritus ad labantem illum thronum fulciendum: qui tres numero cenſentur, ideò quòd tribus magiſtris diriguntur, ſuſcitantur enim & afflantur ipſius Satanæ ſpiritu, qui nomine *Draconis* figuratur; auctoritate ipſius Beſtiæ, quæ eſt Antichriſtus, confirmantur & ſtabiliuntur; denique à Pſeudopropheta, quem Apoſtaticam Eccleſiam interpretor, docentur: cujus cornua ſunt inſtar *Agni*, ſed ad ſimilitudinem *Draconis* os loquitur. Hi quidem Spiritus ad hunc modum emiſſi, triplici auctoritate, in defenſionem ſui Monarchæ triplicem coronam gerentis, muniti, benè aſſimilantur ranunculis, ſunt enim ἀμφίβιοι, qui poſſint in utroque elemento tàm terrâ quàm aquâ vivere. Quamvis enim profeſſione ſint Eccleſiaſtici, tamen artibus hominum politicorum, cùm opus eſt, utuntur; Reges adeunt terræ, quos ad prælium magni diei & ab omnipotente DEO conſtituti congregent. Quæ cædes, quamque horribiles in multis orbis Chriſtiani regionibus laniena eorum impulſu perpetrati ſint, & quàm malè ceſſerit Regibus, qui illorum dictis audientes fuerunt, omnes non iniqui temporum noſtrorum Hiſtorici ſatis teſtantur. Quiſquis autem Rex aut Reſpublica illos non admiſerit, illiſque non obtemperaverit, exterminari illum Regem everti illam Rempublicam, arma alia ſi deſunt, vel ſulphurato pulvere oportet. Atque hæ *ranæ* non abſq; re in omni literarum genere elaborârunt, quò docti evaderent, ut craſſam illam ignorntiæ nebulam, quâ regnum Antichriſti, antequam exiſſent, abductum fuerat, diſſiparent, atq; diſpellerent. Deinde hujus capitis clauſula, ultimam plagam complectitur, effuſamque in ipſum Antichriſtum è *ſeptima phiala*, quæ eſt noviſſimum illud judicium ſummâ die futurum. Tum enim, inquit, *Babylon venit in memoriam coram DEO.*

Sed 17. capite: Viſio prior exponitur; ubi Antichriſtum *mulier ſedens ſuper illam multorum capitum Beſtiam* repræſentat: quia ut vera Chriſti Sponſa & Eccleſia per *mulierem* duodecimo capite repræſentatur, ſic caput adulterinæ falſæque Eccleſiæ per *mulierem* hîc etiam deſignatur; ſed *quæ calicem plenum abominationibus manu teneat*: ut & ipſa *ſcortum* propter ſpiritualia ejus adulteria vocatur, utpotè quæ *Reges terræ ſeduxerit*, ut ſpirituales ſuas fornicationes participarent. Erat tamen externâ ſpecie, mirum in modum ſplendida & glorioſa, ſed ſævis perſecutionibus *ſanguine Sanctorum ebria*. Quòque innoteſcat magis, fronti nomen ejus inſcribi, moribus conſentaneum. *Myſterium magna illa Babylon, mater illa fornicationum & abominationum terræ.* *Myſterii* voca-

vocabulum illi duobus nominibus competit: uno, quòd sibi illud arroget; altero, quòd reverà digna sit hoc nomine. Sibi illud assumit in eo, quòd ipsa se *Caput visibile* indigitat mystici corporis Christi, quatenus dispensatrix esse vult & sola mysteriorum DEI interpres; denique magnus hic in terra DEUS, & au-ctor Fidei, Mystes est professione, id est, Sacerdos. Et si verum est, quod nonnemo observavit, illum habuisse antiquitus *mysterii nomen*, Mitræ inscriptum, non est, quòd aliam interpretationem requiramus. hæc enim in eo planissimè prophetia impleta est. Digna autem esse hoc nomine, quod reliquum est tituli, facilè arguat; quo demonstratur *mater esse scortationum & abominationum terræ.* atque ita, sub falsa specie sanctitatis, si verùm quærimus, mysterium fit ipsa iniquitatis, atque omnium abominationum; sub larvata simulatione curæ spiritualis animarum, regna exhauriens, orbemque Christianum sangvine & cædibus miscens.

Jam cùm hanc coccineam & cruentam Bestiam, ejusque sessorem ad hunc modum figura corporis, vestibus nomine & moribus descripsisset, deinceps Angelus Johanni Visionem interpretatur, & tàm Bestiæ, quàm sessoris arcanum explicat: nempe *septem capitibus Bestiæ*, significari totidem *colles*, quo situs Civitatis, sedesque Imperii notatur; nec non septem capitibus, *septem* intelligi *Reges*, sive formas administrandæ Civitatis illi proprias; de quibus jam exposui, quid sentirem. De *decem* autem *cornibus*, quæ totidem *Reges* esse demonstrat, *qui simul eodemq; momento temporis cum Bestia suam accipient Regiam potestatem*, meo quidem judicio denarius, *certus numerus est pro incerto.* sicuti septem capitum numerus, & decem cornuum *Draconis* seu Diaboli, non potest aliter intelligi, nisi ut numerum declaret incertum; præterquam quòd in decem cornuum mentione, ad decem cornua septicipitis belluæ, septimo Danielis alludere videtur. Itaque hos decem Reges reor esse omnes in commune Reges Christianos, & liberos Principes, ac Respublicas, Vos scilicet, Dilectissimi Fratres, quibus libellum hunc meum dicavi, deque nobis omnibus hæc pronunciari: quòd, licèt hæc nostra omnium absolutorum Principum potestas cœperit uno eodemque tempore cum Bestia (illustriora enim orbis Christiani regna, non nisi ruente Ethnico imperio Romano, libertatem suam vindicârunt) atque itidem Antichristus suum regnum auspicatus sit; licèt perdiuturno tempore in adoranda Bestia nobis perseverandum foret, in ejus obsequium catholicè & universim consentiendo, omnem ei *potestatem nostram auctoritatemq; concedendo*, pedes ejus exosculando, cum ea simul calicem idolatriæ hauriendo, *bellum cum Agno*, in persecutione Sanctorum ejus jubent, ea *gerendo*, quæ tot nationibus & populis imperitabat: tamen his tot tantisque difficultatibus superatis, tempore opportuno quod DEUS novit, atque adeò præstituit, post illam cum Agno depugnationem *victoriamq; ejus*, hoc est, nostri conversionem *vi verbi*, tandem aliquando *odio meretricem habebimus*, & sic *desertam relinquemus ac nudam*, ut pateat omnibus hypocrisis ejus, & falsa zeli simulatio: *denique carnem ejus comedemus, ipsamq; igne comburemus.* Hunc igitur in modum *via Regum Orientis erit patefacta.* Deinde rationem subjungit hujus tàm subitæ miræque mutationis in nobis. DEUS enim, inquit, *dedit in cordibus eorum, ut facerent suam voluntatem, unoq; consensu traderent regna sua Bestiæ, donec verba DEI complerentur:* secundùm illud Salomonis, *Cor Regis in manu Domini; quocunq; vult, flectet illud, ut lapsus aquarum.* Ad hunc modum interpretatus *Bestiam*, sive imperium, uno deinde verbo explicat *mulierem*, quæ super illam sedebat, seu Monarchiam, qui regebat eam, non aliud esse, quàm *magnam illam Civitatem, quæ dominabatur Regibus terræ*; sedem imperii designans, & quasi digitum intendens ad conditionem eorum, qui sedem eam occupârunt, atque in ea dominarentur.

Tum magnitudo ruinæ ejus & luctus ingens, quem Reges pariter ac mercatores facturi essent super ea, prædicantur ab alio quodam Angelo cap. 18. cum Reges plangerent ejus occasum, quia *in deliciis cum ea diffluebant:* quod cum Ethnica Roma à nullis unquam Regibus factum est; nec fieri potuit, quos vi & armis subegit. Sed illa, cujus interitum deflebant, honorificis eos nominibus titulisque ornavit, veniamque eorum libidinibus atque illicitis matrimoniis indulsit. *Mercatores autem terræ, cum omnibus navicularius, & gubernatoribus, & commercia habentibus in mari*, plangent ruinam illius magnæ Civitatis (cui nulla par unquam fuit) propter jacturam divitiarum & commercii, quibus ejus, dum stetit, beneficio fruebantur. Atque ibi omnia *divitum mercimoniorum* genera describit, quibus magna illa Civitas, cùm esset Emporium copiosissimum abundabat. Opus enim habet profectò, nec potest carere divitiis, & pretiosis ejusmodi mercibus, cùm ad ornatum Templorum, ac Satrapis similium Prælatorum, tum ad cultum ligneorum, quibus est plena, Sanctorum. Beata enim Virgo quotidiè novitiis & exquisitissimis vestimentorum generibus, quamvis habitum referant meretricium, induenda est & ornanda. Omnium autem sumptuosarum mercium, quæ maximi pretii sunt, *Animæ*, scilicet, *hominum*, postremo nominatur. Tantum enim pecuniarum in Missas impensum, tantum in hoc vel illud Cœnobium Monachorum aut Fratrum erogatum; inprimis verò in illam omnibus regulis & legum nexibus solutam, &, ut ita dicam, incomprehensibilem, Jesuitarum sectam, valebit redimendæ cùm largitoris animæ, tum parentum ejus in centesimam usque generationem, ne flammis purgatorii excoquantur. Et certè credo, non est illa mediocris animarum negotiatio, cùm homines usque eo spe & promissione æternæ salutis fascinantur, ut facile persuadeatur Fraterculo, Regem dominum suum confodere imberbi adolescentulo, in vitam proximi successoris perditè invadere; multis, in Serenissimæ Reginæ nuper defunctæ, necem sæpiùs conjurare: denique, me imperium obtinente, nitrati pulveris impetu Regnum regnique Ordines funditùs evertere, atque ita tam *Animi* quàm *Animæ* jacturam facere.

Sed quantumvis flebilem cant lamentationem, voce cœlitùs missâ, mandata duo accipiunt: unum, *exire* quam primùm *è Babylone, ne fiant participes peccatorum ejus, ac deinde pœnarum*. Quâ præmonitione excitati, utinam vos omnes (Charissimi Fratres & Consangvinei) vobis, dum tempus est, consulatis, & ad hæc prospicienda oculos aperiatis; Alterum, *reddere ei, sicut & ipsa reddidit vobis, immò duplicare supplicia secundùm opera ejus.* Vt enim illa non nisi alis vestris in tantam altitudinem subvolavit, tàm titulos suæ magnitudinis & honores a vobis mutuando, quàm vestrâ munificentiâ, quicquid temporalium possidet, perfruendo; Ita si quisque vestrûm, ab illa rursus, quod sibi ereptum est, repetet, brevi, ut inquit Poëta, stabit furtivis nudata coloribus, decisisque humilis pennis; idque propter superbiam suam. hæc enim ratio redditur, *Quia glorificavit se, & in deliciis fuit; & dixit in corde suo se sedere Reginam*. Nulla enim certior est apud illos veræ Ecclesiæ nota, quàm secundæ rés, & externa prosperitas. *Vidua* autem *non est;* quippe quæ sponsum Christum habeat, indissolubili nodo sibi devinctum, suam ei fidem jurejurando firmàvit, se nunquam eam deserturum. itaque *luctum non videbit:* errare enim nón potest, neque Inferni portæ unquam adversus eam prævalebunt.

Sed licèt terra, & homines terreni sapientes hunc in modum Babylonis occasum in illo 18. capite plangant: tamen 19. Cœlum & Angeli, Sanctiq; omnes in cœlo, præ gaudio ruinæ ejus, triumphalem canunt cantionem, laudantes DEUM propter illius *magnæ meretricis* ruinam: quæ rectè magna perhibetur. Noster enim Cardinalis fatetur perquàm difficile esse Papam definire:

tanta

tanta est ejus amplitudo atq; majestas. Sub finem autem illius capitis, obstinata illius *meretricis* pertinacia describitur, *quæ adversus insidentem equo albo, ejusque exercitum totis viribus præliata est, donec Bestia* sive Antichristus *caperetur, & cum eo pseudopropheta* (id est, falsa Ecclesia) *qui miraculis prodigiisq; mendacibus seduxit eos, qui bestiæ characterem acceperunt. uterque autem conjectus est vivus in lacum ardentem igne & sulphure*, unde nulla redemptio: sicuti sub finem superioris capitis ad describendam pleniùs Antichristi ruinam, dissimilem omninò plagæ illius sanabilis, quam Ethnica Roma acceperat; primùm *saxo molari* comparatur *in mare conjecto*, quod nunquam rursus emergit, neque in summo fluitat: deinde multis rebus jucundissimis exprimitur, quarum voces inde nunquam postmodum exaudientur, ubi nihil nisi horrida desolatio commorabitur. Verùm ut patientia & constantia Sanctorum in terrâ, Deique Electorum meliùs confirmaretur, persecutio novissimorum dierum breviter repetita prædicitur, postquam *Satanas vinctus fuerit*, compressusque ejus furor, dum mundus ad *mille annos*, hoc est, ad longum tempus, pace frueretur. Quo soluto persecutores exoriuntur, *Gog & Magog, occulti apertique hostes Christi*: quod de Papa, & Turca (qui ferè eodem tempore ad suam magnitudinem excreverunt) accipiendum sit, néc ne, aliis judicandum relinquo. Sed hoc certum est, illorum æternam confusionem illic repromitti: nec minùs *Draco Bestia & Pseudopropheta*, omnes simul *mittentur in lacum ignis & sulphuris*, sempiternos in eo cruciatus perpessuri. Tum novissimus dies iterum describitur, *qui propter Electos accelerandus est*: temporarias autem illis tribulationes quò fortiùs Electi constantiùsq; perferrent, utpotè post breve temporis spatium finiendas; duobus extremis capitibus beatitudines cælestis æternæque Ierusalem copiosissimè proponuntur.

Ad hunc modum inverecunda illa vis ac impudens, quam sensui duorum Scripturæ locorum Cardinalis attulit, *Pasce Oves meas*; &, *tibi dabo claves*, ut ex eis supremam in temporalibus Pontificis potestatem supra Reges ac Principes astrueret, me impulit, ut ex hoc, quem modò excussi, Scripturæ libro, Pontificem Romanum Antechristum esse evincerem; eumque quo teli genere me erat adortus, eodem ulciscerer. Neq; me ab ista sententia ullus Pontifex dimovebit, nisi qui nihil sibi juris esse in temporalibus Principum rebus ac negotiis piùs fatebitur. Id autem mihi maximè in votis est, ut si cui hanc meam de Antichristo conjecturam libebit refellere, singulis disputationis meæ partibus ordine respondeat: nec illi satis sit meam sententiam condemnare, sed methodum meliorem ad *Apocalypseos* expositionem subiicait, quæ neque ulli contextus parti repugnans sit; nec ineptum aliquid absurdumque contineat. Alioquin nihil faciliùs *Momo*, quàm alienam narrationem carpere, suamque longè deteriorem ejus loco subiicere: cùm multò difficiliùs sit errata emendare, quam arguere.

Exspatiatus aliquandiu in Antichristi vita ac titulis, quæ equidem Pontifici multò rectiùs convenire probaverim, quàm Bellarminus suum illum Papæ dominatum in Reges: redeo tandem ad hunc Censorem meum, qui, ut dixi, *materiam* scriptionis scribendi *modo* mirùm quàm probè adaptavit. nam ut illius scriptio mera est Satyra, & in me meamque Apologiam convitiorum & maledictorum congeries: sic & ipsa materia mendaciis & figmentis tota scatet.: quæ nomina tam in illud scriptum jure cadunt, quàm in meum injuriâ conferantur. Tria enim mendacia confinxit contra fidelitatis Sacramentum, cui propugnando Apologiam destinaveram: ut mittam illud toties ab eo repetitum mendacium, nolle se meis mendaciis, nugis, contumeliis, & blasphemiis respondere, Vnum insigne mendacium profert

etiam de Papæ primo Brevi; Alterum, de Puritanis, quos ad ſuas partes traducere ſtudet, & aliud de occaſione duæ perduelles noſtros ad nitrati pulveris conjurationem invitavit. Tria deinde mendacia effutit, de Parliamenti ſive Ordinum decreto, quo fidelitatis jusjurandum præſcribitur. Vnum quoq;, ſed illud grave, in ſuos illos ſcriptores Catholicos: duo denique in recenſendis cauſis, ob quas duo in Angliâ Ieſuitæ extremo ſupplicio ſunt affecti. Sed & diverſas quinq; hiſtorias aut adulterat, aut negat, aut detorquet, ut & libellum typis excuſum: ne quid dicam de illo impudenti mendacio à me paulò antè refutato, me in Scotia ſcilicet, fuiſſe Puritanum. Et ne pars libri aliqua tam precioſis vacaret mercibus, illum quinq; tam novis ac peregrinis in Theologia dogmatibus referſit, ut Papiſtarum pauciſſimis vel audita, vel probata exiſtimem. Quæ omnia mendacia, cum quinque novis, atque, ut videtur, falſis doctrinæ capitibus, hiſtoriiſq; compluribus ementitis, in Tabulam relata ſunt ſeparatim ad finem hujus Monitionis, quibus ſingulis ſua eſt annexa confutatio.

Sed librum illum refellere, id verò neque mihi neceſſarium; nec meæ dignitati conſentaneum eſſe duxi. Non quidem neceſſarium, quód ut antea monui, ſumma illa ac primaria de Sacramento fidelitatis quæſtio, quam Apologiâ meâ aſſerui, necdum eſt juſtâ aliqua & directâ reſponſione impugnata. Citationum in margine notulas perperam locatas carpere, vel ſimiles typographorum fortuitos errores, qui inter excudendum voces fortè aliquas aut addiderint, aut prætererint, quæ tamen ad argumentum & rei ſummam non faciunt; ea verò validiſſima tela ſunt, quibus meam Apologiam oppugnat. Iam autem præter Regis Majeſtatem eſſe puto, ut in lite ac certamine Cardinali ſe componat, ſaltem cum eo Cardinali, qui non feliciùs ac illuſtriùs, quám iſte, natus ſit. Nam Eccleſiaſtica illa dignitas, quanquam Principum incuria (ut jam dixi) ad hoc præſumpti honoris culmen aſcendit, tamen ſi ad ejus originem & cunabula redeamus, nihil eſt aliud, quám titulus Presbyteris & Diaconis Parœcienſium Eccleſiarum urbis Romæ attributus: olim quidem Presbyteris & Diaconis cujuslibet Cathedralis Eccleſiæ universè conceſſus. Sed cûm ejuſmodi Cardinaliũ ingens multitudo undiq; Romam commeantium, Vrbem impleret, tandem nomen Cardinalis cæteris ademptum eſt, & ſolis Romanarum parœciarum Presbyteris & Diaconis reſervatum. Et cùm ante S. Gregorium nemo illius tituli meminerit, qui ſexcentis poſt Chriſtum annis in quibuſdam Epiſtolis de Cardinalibus loquitur, atq; ita multis poſt Apoſtolos ſeculis, hodierni iſti Sedis Apoſtolicæ Electores inviſi omnibus & incogniti fuerint: cumque ipſe Gregorius non eos alio loco ponat, quàm quem eos olim obtinuiſſe modó dixi; non poteſt, opinor, Cardinalis, qui Gregorium Angliæ Apoſtolum vocat, mihi Angliæ Regi vitio vertere, ſi Cardinales eodem gradu & ordine habeo, quo conſtat noſtrum illum Apoſtolum habuiſſe. Sed quo modo, præter rationem ſuæ originis ac inſtitutionis, tam prodigioſè ſint elati, ut ex parœciarum Presbyteris ac Diaconis, jam è Principes facti ſint, Regùmq; æquales, & ex gradu, Epiſcopali dignitate minori (ut Bellarminus & Onuphrius fatentur) ſint hodiè ſoli Pontificis Electores, qui cum generalium Conciliorum vice funguntur (unde & jam uſus generalium Conciliorum penitus exolevit) immò ut non niſi ex illorum collegio fas ſit Pontificem eligi, qui ſupremam in Reges ſibi auctoritatem vindicat; hoc, inquam, tam inſolens incrementum quomodo cœperit, nulliſq; repugnantibus adoleverit, noſtrum eſt omnium providere: qui cùm in terris Vicarii Dei ſimus, jure optimo ſuſpectos habere debemus iſtiuſmodi nuper exortos Principes, qui ſuà origine modici humileſq;, ſeipſos ad ſummum faſtigium, ſuis ipſi ſuffragiis ſubvehunt, Regibusque deinde ſe componunt. Sed hæc eſt præcipua, quam nobis in-

bis inferunt, injuria, quòd jus Christianis commune Regibus in generalibus Conciliis, nobis adimant; cùm illorum habendi modum penitus sustulerint; eorum vi ac potestate ad se pertractâ, & velut monopolio in Pontificio Conclavi constituto. Et tamen si spes ulla aut exspectatio superesset, posse Christianos omnes ad aliquem in religione consensum adduci, id esset à Generali Concilio exspectandum, indicto in commodum nec suspectum locum conventu, ubi Christiani omnes Principes aut ipsi, aut per Legatos possent adesse; & Ecclesiastici omnes, qui Christianam religionem profitentur, illisque veteribus veræ, antiquæ, Catholicæ & Apostolicæ Fidei fundamentis adhærescunt, tutum accessum ac commeatum haberent, incendiariis utrinq; furiosis ac novitiis, sive Iesuitis, sive Puritanis exclusis.

Cùm igitur non id mihi negotii dare statuerim, ut illi libro respondeam, eis de caussis quas attuli, quæ me & ipsius controversiæ, & controversiam facientis hominis caussa moverunt, sat visum est, si iterum meam Apologiam curarem excudi, nihil penè emendatam, nisi quatenus librarii aut typographi peccaverant, istamque Epistolam ac Præmonitionem præfigerem, ut etiamnum experiar sitne aliquid, quod dicere in eam jure possint: sat certus, nequaquam ex meis subditis defuturos qui scriptoribus illis, meisque scilicet Censoribus fusè copioseque respondeant. Vobis interim hanc mentem atque animum oro, ut perpendere diligenter velitis, quàm hæc controversia vobis omnibus, & gravis & communis sit censenda. Nam nec in tota mea Apologia, nec in illa præclara ad illam responsione, ullo modo speciatim de me agitur, num excommunicari à Pontifice & regno abdicari possim: (quippe tam benignè Cardinalis mecum agit, ut sentire Pontificem dicat, non è re esse, ut me hoc tempore nominatim excommunicet) sed controversia nostra generalis est, Num Pontifex legitimam aliquam in temporalibus supra Reges sibi possit potestatem arrogare.

Iam vos antea docui, Ecclesiasticos ex illius sententia, nullius secularis Principis jurisdictioni esse subjectos, quale autem ab illis hominibus obsequium *de facto* exspectare debeatis, ipse non obscurè significat illius obedientiæ exemplo, quam Imperatori Mauritio Gregorius Magnus detulit. Vbi hominem non puduit Christianum sancti illius viri humilitatem traducere: quasi id fuisset violentum coactumq; obsequium, Gregorio vel non satis valente, vel non auso repugnare. Qua in re non injuriam Gregorio tantùm facit, sed omninò humilitatis ac patientiæ splendorem illum, qui in prima illa & adhuc Oriente Ecclesia, ac præsertim sub persecutionem sævitia nituit, fœdâ turpique labe maculat; si hæc ingens Martyrii & Christianæ patientiæ gloria, non demissioni animi spontaneæ, sed necessitati ascribatur; quòd aut viribus, aut animis defecti (instar Iudæorum aut Turcicorum mancipiorum) fortioribus adversariis cederent: contra S. S. Pauli Petriq; præcepta, qui *propter conscientiam* subditos esse jubent; contra illam etiam Tertulliani pro Christianis Apologiam, & antiquorum Patrum apertam professionem & ubique repetitam. Sed benè cum illorum temporum Christianis, qui sub Ethnicis Imperatoribus degebant, actum est, quòd hæc nova, insolensq; doctrina nondum emerserat, alioqui funditùs exstirpati sublatiq;, ne suis quidem malis, aliquos ingemiscentes invenissent: cùm periculosa in Republicâ factio atque secta jure videri posset, quæ vellet parêre duntaxat, donec auctis viribus imperium excutere, aut invadere potuisset.

Iam igitur perspicitis Cardinalem nostrum id agere, ut hinc quidem Reges omnes, atque Monarchas Pontificiæ potestati mancipet; illinc autem vel ex Pontificiis subditis minimum omni Christianorum Principum jurisdictione exsoluat. Neque illi satis fuit Pontificem omnium nostrûm cervicibus

impo-

imposuisse; nupero quoque tractatu, cui titulum fecit, *Recognitio librorum de Controversiis*, uniuscujusq; nostrûm populos ac subditos nostris fascibus superiores esse voluit. quippe recensere suos de Controversiis libros aggressus, & emendare atque exponere, quicquid in illis esset vel incuriâ, vel errore peccatum, exemplo *Retractationum* Augustini (ita enim in Præfatione scribit) nihil quidem ex pristinis erroribus rescindit, sed reverâ recinit, repetitque, & absurdissimum quemque novo argumentorum subsidio confirmat. Inter cætera eximere Clericos ab omni temporalium Principum potestate: & non modò Pontificis, sed & ipsius populi supra nos imperium stabilire, penè præcipua sunt egregiæ illius Recognitionis argumenta.

Et quidem in illâ eximendorum Clericorum quæstione, eo studio, eáq; contentione depugnat, ut & Cæsarem neget legitimum Iudicem Pauli fuisse, contra ipsa Contextus verba, & provocationem Pauli, qua Cæsarem suum esse Iudicem fatebatur: ut omittam toties ab eo imploratа Civitatis Romanæ jura ac privilegia, cujus esse se Civem, ac proinde Imperatori subjectum prædicabat. Sed mirum est, non pudère istos Romano-Catholicos tam magnificè tum Ecclesiæ suæ antiquitatem, tum doctrinæ jactantes, nobis autem novitatem adeò acerbè exprobrantes, tam novum atq; ineptum in illum S. Pauli locum glossèma confingere: quod ut repugnat Apostoli verbis, ita nec ullius ex antiquis Conciliis, aut alicujus Patris hunc locum eo sensu exponentis auctoritate firmatur. Sed nec in dubium Primitivæ Ecclesiæ temporibus unquam est vocatum, an Apostoli, aut alii cujuscunq; gradus Christiani, Imperatoribus de jure subjicerentur. Vbi veró fasces Regios populo submitti debere disputat, hoc seditionum fundamento utitur, ut probet non Regibus auctoritatem à Deo immediatè, perinde ac Pontificibus esse concessam. Nam Rex quilibet, inquit, à populo suo eligitur; immò & *populus nunquam ita suam potestatem in Regem transfert, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu recipere possit.* Egregium profectò Theologiæ Axiòma, & factiosis ac rebellibus avidissimè arripiendum, qui in Principes insurgere, seq; in libertatem vindicare, quandocunq; ipsis videbitur, eo jure freti, possunt.

Et quidem inter alia testimonia, quibus Reges inaugurari à populo ac creari solitos conatur evincere, trium Regum ex Scripturis creationem profert, Saulis, Davidis atque Ieroboam. Et quanquam ipsis Scripturæ verbis fateri adigatur, Deum Samuelis Prophetæ ministerio Saulem, ac deinde Davidem inunxisse, nihilominùs ex subsequente populi consensu probare annititur, non immediatè à Deo Reges illos; sed per populum, mediatè, ad illud auctoritatis & potentiæ culmen evectos: quamvis verbum illud *sortis* ter repetat, cujus beneficio Saulem electum fatetur. Quod si ea *sortis* electio, non immediatè à Deo est, ergo nec Matthias, qui eo modo ad Apostolatum promotus est, à Deo immediatè est electus, ex quo sequitur, & illum, qui sedem Apostolicam occupat, sine rubore non ausurum se immediatè à Deo constitutum prædicare; cum & Matthias ipse in locum Iudæ suffectus, & Apostolis annumeratus; non immediatè sit electus. Sed ut impium blasphemumq; prorsus esset, ambigere num immediatè à Deo in illum locum Matthias assumptus sit (quanquam prærogativa *sortium* illi honos, ut & Sauli, delatus sit) ita & multis vestrûm *Fratres Amantissimi* incognitum certè non est, quis sit sanctus ille Spiritus, quæve *sortes*, quibus Pontifices istis seculis eliguntur; cùm & Collegium Cardinalium, quibus solis eligendi Pontificis jus est, multis ante me natum annis, in duas, easque præpotentes factiones discesserit: nec jam conjectu *sortium*, sed prægrandi annuâ pecuniâ in avidas Cardinalium aliquot fauces conjectâ, hæc ad Principum nutum partibus studentium comitia peragantur. Sed inprimis memoriæ lapsum in homine miror. Hîc enim per populi

conten-

consensum, qui postea accessit, vult duos illos Reges, (quanquam anteà Dei jussu inauguratos á Prophetâ, atq; inunctos) potestatem Regiam accepisse; oblitus, cùm ejusdem libelluli initio cujusdam objectioni responderet, qui ex Cypriano colligit Episcopos à populo Cypriani tempore judicatos, se asserere; illis verbis assensum tantum populi eligendis intervenisse Episcopis. Nec adduci ullâ ratione ibi potest, ut concedat populi in probandis Episcopis improbandisvè consensum eo modo debere intelligi, quasi eligendi Episcopi populo jus ac potestas esset. Et hæc Cypriani tamen verba magis faciunt ad populi in eligendis Episcopis potestatem comprobandam, quàm hic locus, quem ex Scripturis attulit, ad auctoritatem populi in Regibus inaugurandis confirmandam. Hæc enim ipsa sunt Cypriani verba, quæ à Bellarmino referuntur: *Ipsa plebs maximè habet potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi.*

Iam verò, nullis unquam, opinor, Scripturæ testimoniis evicerit, Israelitarum judicio fuisse permissum, Saulem ac Davidem jam inunctos, & in publicum à Prophetâ productos, Reges admittere vel repudiare.

Videtis quàm non curet, etiam in exiguo volumine ipse sibi repugnare, dummodò caussæ, quam præ manibus habet, inserviat. Hic enim vult per consensum populi, Regis eligendi potestatem designari; cùm autem de Episcopis agitur, eodem illo consensu non jus eligendi Episcopi, sed electionem ab aliis factam confirmandi intelligit. Quód autem Ieroboami exemplo utitur, profectò non ignorat, eum á tumultuante populo, & à suo Rege per seditionem deficiente, in Regem, Dei & populo & Regibus irati permissu, fuisse electum. Sed si extraordinariis hujusmodi exemplis ad generalem regulam statuendam abuti vult, & hoc modo suam caussam contra omnem Theologiæ rationem propugnare; cur non & nobis Regibus exemplum inaugurationis Iehu, in contrarium opponere liceat; qui cum tantum à Prophetà, idque secretò unctus esset, nihil populi consensu expectato, se statim pro Rege gessit?

Equidem vos arbitror jam planè animadvertere, quantum jus illud ac potestas, quam sibi Babylonius Monarcha vindicat, nostræ auctoritati in commune præjudicet. Nam ut modò præmonui, nec ipse Pontifex, nec ex ejus vasallis, id est, Ecclesiasticis quisquam debet, ulli Regi Principivè submitti: & è contrario, Reges, Regumque subditos non oportet modò Pontifici, sed & Reges ipsos populo subjacere. Iam vero quàm immensa & periculosa, vel machinandi in Principes vel conjurationes fovendi licentia, Ecclesiasticis hac doctrinâ concedatur, vobis equidem relinquo cogitandum: cùm illi quicquid egerint atq; deliquerint, nullo jure ad nostra tribunalia trahi possint: immò cùm eorum nefaria in caput nostrum consilia, piis operibus ascribenda sint; & illi (si qui ejusmodi criminum supplicia luerint) in Martyrum Sanctorumq; album continuò referendi. Ita Martyrologium illud nuper excusum, inter Anglicos Martyres Garnettum & Ouldcornium recensuit; qui hic proditionis in Regiam Majestatem, Regnumq; damnati, pro facinoris conditione pœnas luerunt: Vt cum Isaia pronunciare possim, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.*

Nam ut ea tempestate, quâ nox densior Pontificiæ doctrinæ orbi incubuit, non conjugi, non patri licuit, Sacrifico inter conjugis filiævè amplexus deprehenso, aliud suspicari quàm eum ad excipienda confessione peccata in illud secretum devenisse: ita licèt sat superq; idoneis probationibus Iesuitas perduellionis & conjurationum reos esse pateat, ipsiq; veritatis vi victi facinus confessi sint, nihilominus pro Martyribus habendi sunt, & eorum sangvine miracula patranda, & straminea miracula à stramine petenda; dum eorum interim capita erectis affixa palis, ad publicam tanti sceleris memoriam,

Sole

Sole ac ventis contabescunt. Immò & hæc inter alias ratio in epistolà typographi illius redditur, qui hunc sive Bellarmini sive Torti libellum Coloniæ edidit; se id operis suscepisse, quòd sancti illius constantisq; Garnetti innocentia, illâ scriptione propugnaretur contra rumores, quos nescio quis, temerè divulgaverat, quasi ille conjurationis Anglicæ reus ac particeps extitisset.

Sed quanta hæc, Deus bone! impudentia, aut malitiosa ignorantia, ut ille dicatur, á nescio quo, conjurationis infamiâ oneratus, qui quód & conjurationis nefas non ignoraverit, & illud reticuerit, suâ nec ambiguâ, nec coactâ, nec semel repetitâ confessione primùm convictus; tum publicè & more patrio facinoris damnatus, extremo tandem est supplicio affectus? Vt illi etiam tot sanctitatis, tot innocentiæ, tot constantiæ elogia atque attributa addantur? quasi verò sententia publico Iuris ordine lata & executioni mandata, dici possit rumor, à nescio quo temerè divulgatus. Fateor equidem auctorem, quod in Præfatione promissum est, graviter præstare voluisse; quippe qui locis aliquot straminei illius Sancti faciat plenum honorificis mendaciis mentionem. Vbi quanquam Garnettum pulvereæ conjurationis non ignarum fuisse fateatur, tamen quòd, ut ait, id tantùm sub Confessionis sigillo resciverit, ejus in ea re silentium commendat, & vel eo nomine cupit eum coronâ gloriæ redimitum. Neque veró illum pudet, id tanquam ex præcipuis Catholicæ fidei dogmatis intonare, *Secretum Confessionis Sacramentalis nullo modo esse, ne quidem ad maximorum malorum declinationem, revelandum.* Sed quám hæc perniciosa doctrina, & Principibus omnibus ac Rebuspublicis infesta sit, vobis, quorum maximè interest, relinquo judicandum. Quamvis enim nòn negarim, ex quo Scholastici Doctores auctoresq; haberi in Ecclesia cœperunt & antiqua Theologiæ fundamenta novis è Philosophia petitis distinctiunculis labefactari illos asseruisse quicquid Confessario sub Confessionis velo retegitur, quantumcunq; noxia & periculosa res sit, teneri eum Confitentis nomen celare: nemo tamen veterum certè Scholasticorum inficiatur; si quid illi patefactum fuerit, cujus occultatio magnum possit Reip. periculum creare, quin quoties id accidit, Confessarius possit, & debeat, quamvis hominem celet, rem indicare; atque efficere ut quoquo modo innotescat, quó periculo maturiùs occurratur. Sed ut nulla proditio, nulla quantumvis atrox & diabolica conjuratio, quamvis ad totius Imperii Regnive pestem ac perniciem spectet, si sub Confessionis sigillo revelata sit, prodi à Sacerdote ac retegi debeat, ac ne res quidem ipsa vel indirectè aperiri, quo ingruenti malo obviam eatur; id veró quanquam à paucis aliquot novitiis Doctoribus, qui Iesuiticas præceptiones imbiberunt, receptum sit, tamen tam novum est & periculosum dogma, ut neq; Rex, nec Respublica in securo possit consistere, ubicunq; thesis illa assertores invenerit.

Nunc autem ut tam cum *de facto* in hujus historiæ narratione, quàm *de jure* in hoc horrendo & suppositio Theologiæ fundamento mentitum probem de Garnetto, ut res se habuerit, sincerè exponam; quam historiam cavillator iste miserè ementitam ac adulteratam lectoribus obtrudit. Primùm enim, illud non est habendum Confessionis arcanum omninó reticendum, quod ille, qui detegit, non magno cum mœrore animi morsuque indicat, nec facinus esse putat ullâ pœnitentiâ emendandum; sed è contrario, ut pium mentis impulsum prodit, à quo nec Confessarius avertat, neque eo nomine ullam pœnam aut pœnitentiam imponat. Et eo quidem modo conjurationis scelus Garnetto, ut & ipse fassus est, innotuit. Præterea quanquam diu in eo perstitisset, rem totam sibi esse sub Cofessionis velo, nondum plenè finitâ Confessione, detectam; ad extremum tamen liberè professus est, se non inter confitendum, sed inter ambulandum ad illius facinoris conscientiam ascitum; suæ

tamen

tamen fidei commissum, quantâ potuit maximâ taciturnitatis cautione; idque se non aliter interpretatum, quàm sub ipso Confessionis sigillo. Conjectâsse etiam illud Confessioni esse affine, quòd & ipsius Confessarius esset, & aliquoties ante ejus Confessionem excepisset, esset que post dies aliquot excepturus: Sed & illi conjurationem aperienti denunciâsse, ad Superiorem se de re tota relaturum. Illud quoque observatione dignum est, fassum esse Garnettum, duos secum de illa proditione egisse, ex his alterum, nempe Catisbejum, præsente & audiente altero, de ea re sibi esse locutum. Et qualis hæc Confessio habenda, cui tertius aliquis arbiter ac testis interfuit? Sed & postrema jam admoti ad supplicium verba (quæ tantoperè à nostro hoc Censore jactantur) quàm apertè fateantur, hoc totum sub Confessionis sigillo minimè esse actum, Comitis Northamptonii liber satis declarat.

Jam verò ille alter, qui Garnetto hanc pulverariam conjurationem aperuit, Grenvvellus Jesuita est. Sic Jesuita Jesuitæ, nefariæ proditionis ordinem exposuit; nec ille, qui tantum scelus aperuit, ullum conscientiæ stimulum sensit, neque is, cui patefactum est, ullam confitenti ob cogitatum scelus pœnitentiam indixit. Ac ut palàm sit plures ex Jesuitis, hujus conjurations conscios fuisse, Oulcornius alter ille sulphureus Martyr, cùm in irritum cessisset è latebris suis extracta conjuratio, concionem Catholicorum suorum habuit, ubi eos consolatus, ac etiam hortatus est, ne animos sinistro & infelici conjurationis eventu despondrent, aut de caussa, quòd parum prosperè cecidisset, desperarent: sæpè anteà sanctis ejusmodi conatibus fortunam defuisse; idque S. Ludovici Regis exemplo: eum secundâ in terram Sanctam expeditione suscepta, morbo in itinere periisse: maximam exercitus partem peste esse absumptam: sed & parum feliciter priorem expeditionem cessisse, in qua à Soldano & Mahumetanis captus est. Eos itaque hortabatur, ne ab incœpto desisterent: sperarent potiùs suis illis consiliis, quanquam hoc tempore deploratis, divinam aliquando opem nequaquam defuturam.

Ex his, opinor, perspicitis, quà ille, quamque audaci impudentiâ, veritatem ipsam, tot publicis testimoniis fultam, mendacii insimulârit: qui & generaliter Jesuitarum nullum hujus conjurationis conscium ac participem extitisse asseruit (ita enim in illo suo libro scribit) nec ipsum Garnettum ad proditionis secretum aliter, quàm sub Confessionis sigillo pervenisse. Sed si primum hoc esset mendacium, quod de summis Angliæ rebus à fugitivis meis sacrificulis ac Jesuitis confictum, sparsumque fuisset, facilè esset forsitan huic malo remedium invenire. Quin & monasteria pleraque apud exteros, & Jesuitarum Collegia in parietibus depictas habent istiusmodi fabellas: & transfugarum libri pleni sunt impudentissimis id genus figmentis: cujusmodi sunt, sæva illa & innumera suppliciorum genera, quibus suos hîc Martyres esse affectos queruntur: eorum alios quaternis in diversum actis equis discerptos, alios ursinis pellibus inclusos à canibus fuisse laniatos: immò nec mitiùs cum fœminis actum: & mille alia funestæ & horrendæ carnificinæ exempla mentiuntur, quorum omnium vanitatem quam brevissimè vobis aperio. Ac primùm ut de suppliciorum caussis dicam, id constanter assevero, quod & in Apologia mea posui, hîc neminem, sive meis, sive defunctæ Reginæ temporibus, conscientiæ ac religionis causâ ultimo supplicio affectum. Nam quantumvis religioni suæ deditus sit, quantumvis eam apertè & constanter profiteatur, nullum ei à legibus impendet capitis periculum; nisi comperto contra leges externo aliquo actu deliquisse: aut conjurationem, consiliumvè summæ rei perniciosum iniisse: exceptis tantummodò sacrificulis, cæterisque Pontificiarum partium, qui in transmarinis regionibus sacris ordinibus initiantur: qui tot conjurationibus, tot proditionibus ab ipsis in Anglia, vel conceptis vel laudatis infames, à nostris finibus sub perduellionis

pœnâ arceantur: & tamen nullus ex illis in hunc diem, quòd contra legum ſa-
ctionem in patriam remigrârit, eam ſolam ob cauſſam morte mulctatus e
Jam de equuleis & exquiſitis cruciatuum generibus, quibus plurimos ſuoru
affectos queruntur; ſanè huic commento refellendo, ipſæ leges & intemera
multis ſeculis Angliæ in cauſſis capitalibus conſuetudo ſatis eſſe poſſunt. neq
enim quæſtionum ullum genus hîc habetur præter manicas & fidiculas; quæ
iam non niſi in Majeſtatis criminibus uſurpantur. Sed & proditores omne
ſive Proteſtantes, ſive Pontificios idem ſupplicium manet; ſi Reginæ Mar
tempora excipias, tunc enim nulla ſuppliciorum atrocitas, in viros, in fœmina
in infantes noſtram religionem profitentes, eſt omiſſa: immò contra DEI, N
turæq; leges, gravidis mulieribus mors immaniſſimè illata, infanſq; è mater
alvo exſiliens in eaſdem cum matre flammas injectus. Sed tanta hujus tyrann
cæ perſecutionis ſævitia, illius temporis Epiſcopos auctores habuit, qui Ponti
ciâ auctoritate freti, à perpetuis & receptis ſuppliciorum formis receſſerun
quæ regni moribus ac legibus conſtitutæ, in puniendis ſontibus conſtanter
inviolatè ſervantur. Nam & Sacerdotes & Pontificii omnes perduellionis re
in foro ſeculari hîc judicantur, ſic ut in eorum pœnis nihil gravius, eſſe poſſi
quàm quod vel legibus eſt præſcriptum, vel longâ conſuetudine receptum
Illud etiam in hoc negotio obſervandum; externum ac peregrinum neminem
religionis cauſsâ in judicium hîc vocari: quod in illis regionibus longe ſec
eſt, credo, ubi Inquiſitio dominatur.

Sed cùm verear, ne vobis tædio fuerim hac meâ prolixiore oratione, qu
ſpero vobis patefactum eſſe, nihil in me Pontificem ſuis Brevibus, nihil iſte
Apologiæ meæ oppugnatores his libellis eſſe molitos, quòd non Regibus omn
bus, Liberis Principibus, ac Rebuſpublicis æquè, ac meis rebus perniciosum
exitiabile videatur: nunc finem ſcribendi faciam, conceptis ad DEUM votis,
ſecuritatis veternum excutiat, quo & nos hactenus, & noſtri multis ſeculis d
ceſſores torpuerunt: ac ut nobis mentem injiciat, primùm ſeriò cogitandi qu
ad Evangelii plantationem & propagationem, ex conſcientia ſecundùm divin
Verbi præſcriptum præſtare teneamur, noſtra illius veri ac unici Paſtoris imp
rio ac voci, quam in Scripturis audimus obtemperantes (nam & oves ſuas vo
cem ſuam audituras ipſe prædixit) non inanibus, fluxiſque & pravis hominu
traditionibus attendentes. Deinde ut ſceptrorum noſtrorum ſecuritati m
turè prudenterque conſulamus, nec Babylonicum illum Monarcham lati
ſerpere, & quotidianis in noſtra jura victoriis graſſari patiamur. Quòd ſi DEI
cujus in terris Legati ac Vicarii ſumus, benignitas ea eſt, ut ſuam cauſſam cu
noſtra, ſpiritualem libertatem cum temporali voluerit eſſe conjunctam; qu
ſtudio, quo ardore animi, in id negotium incumbere nos oportet, qui noſtris la
boribus in regno cœlorum æternæ beatitudinis præmium ſcimus eſſe repoſi
tum; interim autem in hoc ſeculo temporalem ſceptris noſtris ſecuritatem a
quietem comparabimus.

Equidem arbitror, quotquot jam veræ illi Fidei, cui adhæreo, nomen ded
ſtis (quanquam inter vos needum benè de apicibus neſcio quibus convener
facilè ad pium hoc ac prudens conſilium erigi ac adduci poſſe. Nos, DEI be
neficio, nec numero, nec dignitate ita ſumus contemnendi, quin bono vicini
noſtris exemplo præire poſſimus: quandoquidem Chriſtiani Orbis, omnium
in eo ordinum, inde à Regibus, liberiſque Principibus, uſque ad infimæ cond
tionis homines, pars propè media in noſtram religionem jam conſenſit, de B
bylone certè exivit. Sed unum hoc vos (Fratres chariſſimi ac Conſangvinei
præque omnibus unum, obſecro obteſtorque, ut inter vos veræ Fidei unitatem
conſervetis, & communionem Spiritus in vinculo pacis retineatis, omneſque d
genealogiis quæſtiones ineptas & inutiles, nec non aniles fabulas (ut inquit S

Paulus


Paulus) abjiciatis; neu patimini fanatico Concionatorum fervore, atque inanibus super rebus adiaphoris altercationibus, discerpi ac dissipari mysticum illud Corpus, cujus partes ipsi estis; quando & illius, cujus nos membra sumus, tunica inconsutilis extitit. Nolite per DEUM immortalem committere, ut nostræ Fidei scandalum factis inter nos schismatibus oriatur, nevè parabola opprobrii simus in ore adversariorum, quibus unitas una è præcipuis est veræ Ecclesiæ notis.

Vobis autem (Fratres & Consangvinei dilectissimi) quorum mentes DEUS Opt. Max. Veritatis suæ fulgore nondum illustravit, cum Elizæo precor, ut oculos aperiat, quò cernatis quàm multi, quamque invicti Angelorum exercitus ad propugnandum pro Veritate accincti, paratique advigilent: immò cum Paulo opto, vos omnes fieri tales hac una in re, qualis & ego sum: inprimis ut velitis Scripturas pervolutare, ex his credendi norma petere, neque super aliorum incertis opinionibus, sed vestrâ ipsorum certâ scientiâ, Fidei fundamenta collocare; quando justus suâ fide vivet, & unusquisque fit fide propriâ salvus. Verùm hæc divinæ benignitati suo tempore providenda commendans, facere non possum, quin interim vos horter, ut pristinam libertatem, dignitatemque Imperiorum ac Rerumpublicarum, sartam, tectam retineatis, neque quenquam DEO minorem, vobis in vestris ditionibus majorem esse patiamini: illustrium decessorum vestrorum exemplo, qui etiam tùm, cùm densissima cæcitas, verique ignoratio hominum animos obsidêret, Pontificum in sua jura grassantium ambitioni fortissimè restiterunt. Certè è Regnis vestris Imperiisque reperire est aliquot, quæ omnibus seculis immunitates suas contra injustam ambitiosissimorum Paparum potentiam illibatas perpetuò tenuerunt. Nec desunt, quibus cognitum fuit recentibus admodum experimentis, Papam, ad secularia Principum invadenda, impotenter aspirare, cujus insolentem audaciam fortiter retudisse, & in asserendis vestris privilegiis constanter perstitisse, cedet vobis in gloriam nunquam intermorituram. Quamobrem vos toto pectore obsecro atque obtestor, ut in hoc negotio cùm piorum Regum, tùm incorruptorum in terris Judicum officium faciatis: quod ejusmodi est, ut non solùm non inferatis cuiquam injuriam, aut in aliorum libertates involetis (quod, si me auditis, neutiquam est faciendum) sed etiam ut eas, quæ vobis DEI benignitate contigerunt prærogativas, strenuè ac viriliter propugnetis. Quos enim DEUS propulsandis à vita fortunisque aliorum injuriis populo præposuit, ipsos ab aliis accipere injuriam, sit pudendum. Itaque animi jam certus, maturis vos judiciis, omnique præjudicio liberis, hac quæ vobis proposui rationum momenta ponderaturos, meamque in scribendo libertatem æqui bonique consulturos, Apologiam hanc meam benignâ vestri favoris aurâ prosequentes; saltem donec validioribus & certioribus argumentis expugnabitur, finem facio: ardentibus à DEO Omnipotente votis contendens, ut vos in terris quàm diutissimè velit fortunare, ac tandem temporario feliciter Imperio perfunctos, beatæ in cœlo immortalitatis coronam triumphalem reportare.



CATALOGUS MENDACIORUM TORTI, UNA' CUM BREVI EORUNDEM CONFUTATIONE.

Tortus Edit. Politan. pag. 9.



HIc [in juramento fidelitatis] apertè negatur summo Pontifici potestas excommunicandi Reges etiam Hæreticos.

Confutatio.

Quæstio de Pontificis potestate in Regibus excommunicandis nec tractatur, nec ullo modo disputatur in juramento fidelitatis; sed ex proposito declinatur. Inspiciantur verba Juramenti & Monitoria præfat. pag. 16. 17.

Tortus pag. 10.

2. Nam ex verbis illis Dominicis, *Quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cælis:* Catholici omnes colligunt, ad Pontificis maximi auctoritatem pertinere, non solùm potestatem absolvendi à peccatis, sed etiam à pœnis, censuris, legibus, votis atque juramentis.

Confutatio.

Quòd non omnes Romano-Catholici ita colligunt ex hisce Christi verbis Matth. 16. *ut alia argumenta tacitus præteream; vel inde appares, quòd ex plurimorum sententia quicquid Christus promisit* Matth. 16. *id actu præstitit* Ioan. 20. *cùm dixisset,* Quorum peccata remiseritis, &c. *unde constat, Christum potestatem illam solvendi promissam sensisse de absolutione à peccatis, nullâ hîc mentione factâ de absolutione aliquâ à legibus, votis, juramentis: Atq; ita sentiunt* Theophylactus, Anshelmus, Hugo Cardinalis, & Ferus in Matth. 16. *Sic etiam Scholasticorum primarii*, Alexander Hales in Summa, part. 4. q. 79. memb. 5. & 6. art. 3. *Thom. in 4. dist. 24. q. 3. art. 2.* Scotus in 4. dist. 19. art. 1. Hadr. 6. Papa in 4. dist. q. 2. de clavib. p. 302. edit. Paris. an. 1530. *qui etiam pro hac interpretatione citat* Augustinum & glossam interlinearem.

Tortus p. 18.

3. Odi parricidia, execror conspirationes, sed occasiones desperandi datas nemo inficiari potest.

Confutatio.

Quòd occasio desperandi pulverariis Proditoribus non erat data, ut iste mentitur; sed quòd ita à Iesuitis edocti, irruebant in hoc sanguinarium facinus. *Vide* Monit. præfat. pag. 150. 151. & Actionem in Proditores.

Tortus p. 26.

4. Nam ab eo Juramento non solùm Catholici, sed etiam Calvinistæ Puritani abhorrent.

Confutatio.

Puritani non abhorrent à juramento Primatus, sed quotidiè suscipiunt, nec unquam recusârunt: Eundem etiam Primatum tuetur Calvinus Instit. lib. 4. c. 20.

Tortus p. 28.

5. Principio non scribit Pontifex se mœrore affici ob calamitates, quas tempore Reginæ, aut initio Regni *Iacobi* Regis, in Anglia pro retinenda orthodoxa fide Catholici patiebantur, sed ob calamitates, quas hoc tempore patiuntur.

Confutatio.

Verba ipsius Brevis recitâsse, est hoc mendacium confutâsse: sic enim scribit Papa, Magno animi mœrore nos semper affecerunt tribulationes & calamitates, quas pro retinenda Catholica fide jugiter sustinuistis. Sed cùm intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est.

Tortus p. 28.

6. In 1. articulo (Statuti) confirmantur leges *Elizabethæ*.

Confutatio.

In primo articulo ipsius Statuti nulla fit mentio de confirmandis legibus Reginæ Elizabethæ.

Tortus p. 29.

7. In decimo articulo (ejusdem Statuti) additur, ut si tertiâ vice (Catholici) propositum sibi juramentum recusaverint, capitis vitæque dispendium patiantur.

Confutatio.

Nullus est ejusmodi articulus in toto illo Statuto, ubi vel de proponendo hoc juramento tertiâ vice, vel de capitis vitæq; dispendio ulla mentio habeatur.

Tortus

Tortus p. 30.

8. In 12. habetur ut qui Principibus externis militare voluerit, is prius Iuramentum præfatum præstet, alioqui perduellis habetur.

Confutatio.

Non dicitur in Statuto, quòd perduellis habebitur; sed quòd felonia reus habebitur, qui Principi extraneo militare voluerit priusquam Iuramentum susceperit.

Tortus p. 35.

9. Ostendimus eo Iuramento, negari potestatem Apostolicam tum ligandi tum solvendi.

Confutatio.

Nulla est sententia assertoria in isto Iuramento, nec ullum verbum nisi conditionale de Pontificis potestate ligandi, vel solvendi.

Tortus p. 37.

10. *Diocletiano* & *Neroni* vellent, nollent, ipsi etiam summi Pontifices subjecti esse cogebantur.

Confutatio.

Quòd Christiani sine exceptione non coactè, sed liberè & propter conscientiam, Ethnicis Imperatoribus subjiciebantur, vide Apolog. nostram p. 26. 27. *& Veterum* Apologetica.

Tortus p. 47.

11. Quibus verbis (Brevium *Clementis* 8.) non solùm *Iacobus* Scotiæ Rex non excludebatur, sed includebatur potiùs.

Confutatio.

Si Brevia (Clementis) *non excludebant me Regno, sed includebant potiùs; Cur ea flammis tradidit* Garnettu*? quarè non mihi videnda asservavit, ut sibi & suis Catholicis apud me majorem inde gratiam conciliaret.*

Tortus p. 60.

12. Ex quatuordecim (articulis in Iuramento fidelitatis comprehensis) undecim sunt qui primatum Pontificis in spiritualibus attingunt.

Confutatio.

Ex hisce articulis ne unus quidem Pontificis Primatum in spiritualibus attingit: Quorsum enim attingeret, cùm contra Primatum Pontificis in spiritualibus, expressum alibi Iuramentum extet?

Tortus p. 64.

13. Inter alias calumnias illam profert in medium, quòd *Bellarminus* vel conscius vel auctor fuit proditionum adversus Reginam *Elizabetham.*

Confutatio.

Nusquam dixi (in Apologiâ) Bellarminum *vel auctorem, vel conscium fuisse proditionùm adversus Reginam* Elizabetham*; sed proditorum præceptorem, eumq; tam pravis & perniciosis dogmatibus eorum mentes imbuisse, ut iis facillimum esset thesin transferre ad, hypothesin; & quæ ille è Cathedrâ dictaret, ad suas machinationes pro renatâ accommodare.*

Tortus p. 64.

14. Scit (*Bellarminus*) *Campianum* contra hæreticam pravitatem solùm conspiraſſe.

Confutatio.

Quòd Campianus *ultimo supplicio affectus est, non in caussa fuit quòd contra hereticam pravitatem, ut iste Libellator videri vult, sed quòd contra Reginam* Elizabetham *& hujus Regni statum conspiraverit: id quod ex actis judicialibus evidentissimè constabat.*

Tortus p. 65.

15. Cur *Henricus Garnettus* vir doctrinâ omnis generis & vitæ sanctitate incomparabilis, ultimo supplicio affectus est, nisi quia revelare noluit, quod salvâ conscientiâ revelare non poterat?

Confutatio.

Quòd hujus nefandi facinoris notitia, non ex solâ confessione ad Henricum Garnettum *pervenerit, ut iste mentitur sed aliis etiam modis: nec ex unius, sed plurium relatione, ita ut illud revelâsse salvâ conscientiâ potuisset; vide* Monit. Præf. p. 149. *&* Comitis Northamp. librum.

Tortus p. 71.

16. Itaque *Sixtus* Pontifex neque Regem cædi imperavit, neque cædem ut à privato illo homine factam approbavit.

Confutatio.

Quam splendidum sit hoc mendacium, patet ex Oratione ipsâ Sixti V.

Tortus p. 91.

17. Quòd autem additur de *Stanleianâ* proditione; non fideliter neque verè narratur; siquidem more suo Auctor Apologiæ multis additis mendaciis fœdè corrupit.

Confutatio

Quæ dicta sunt de proditione Stanleianâ,*recitata erant ad verbum ex Apologiâ Alani pro causâ* Stanleianâ, *ut ibi videre est.*

Tortus p. 93.

18. Constat *Henricum Garnettum* in publico judicio constanter semper dixisse; neque se, neq; ullum Iesuitam hujus conspirationis Auctorem, vel complicem, vel consultorem, vel consentientem ullo modo fuisse. *Et paulò pòst*: Id ipsum instante morte coram innumerabili populo longâ oratione protestatus est.

Confutatio.

Liber qui inscribitur Actio in Proditores, *& nostra* Monit. Præf. p. 149. 150. *clarè evincunt contrarium.*

Tortus p. 97.

19. *Iacobus* autem cùm Catholicus non sit, neq; Christianus est.

Confutatio.

Contrà. Ego verè Catholicus sum; ut qui fidem profitear verè antiquam, Catholicam & Apostolicam; ac proinde verè Christianus sum. Vide Confessionem fidei meæ inMonit. præf. p. 47. 48. *& deinceps.*

Tortus p. 98.

20. Etsi vera sunt quæ narrantur ab iis qui eum intimè noverunt, cùm in Scotiâ Puritanus & Protestantium inimicus esset, nunc in Angliâ Protestans, & Puritanorum adversarium se gerit.

Confutatio.

Contrà: Qualis Puritanus eram in Scotiâ, vide Præfationem in ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ *&* Monit. præfat. pag. 54. 55.

Historiæ ementitæ cum earum confutationibus.

Verba Torti p. 70.

CONstabat eum (*Henricum IV.*) naturali morbo extinctum fuisse.

Confutatio.

Non constabat: quandoquidem Historici nonnulli aliter scribant, eum in vinculis mortuum fuisse, vel fame, vel pædore situq; carceris. Lege Fasciculum temporis, *ad Annum* 1904. Laziard. epitom. universal. Hist. c. 198. Paulum Langium in ChronicoCitizensi *ad Annum.* 1105. Iacob V Vimpheling. in Epitom. Rerum Germanic. c. 28.

Tortus p. 83.

2. A quo (vinculo Excommunicationis) ut absolui mereretur, ad istam humilitatem se ipse (*Henricus IV.*) sponte dejecit.

Confutatio.

Henricum IV. *non sponte, nec metu Excommunicationis Papæ, quam invalidam censuit; sed metu amissionis Regni & vitæ se se in tantam humiliâsse, testantur Historici* Lamb. Schnafnaburg. *ad Annum* 1077. Abbas Vrsperg. *ad Annum* 1075. Platin. inGregor. 7. *Auctor vitæ* Henrici 4. Bruno in Hist. belli Saxonici. Cuspinian. in Henrico 4 Sigon. deReg. Ital. lib. 9. Laziard. in Epitom. Histor. universal. c. 193.

Tortus p. 83

3. Hæc Historia(*Alexandri III. Friderici Barbarossæ* cervicem pede conculcantis)est dubiæ fidei.

Confutatio.

At non est dubia fidei apud Historicos, cùm nullus neget; multi affirment: ut Naucler. Genera. 40 Iacob. Bergomen. in supplement. Chron. ad an. 1160. Petrus Iustin. lib. 2. Rerum Venetarum, Papyrius Masson. lib. 5. de Episc. urbis, *qui etiam pro hac re citat* Gennadium *Patriarcham* Constantinopol. Alphon. Ciaccon. de vitis Pontif. in Alex. 3. Azorius *Iesuita* Institut. moral. part. 2. lib. 5. cap. 41. *Deniq;* Hieron. Bard. in Victor. naval. *alios complures hujus Historiæ fidem asserentes, adducit.*

Tortus p. 83.

4. Quid aliud *Fridericus*, nisi Excommunicationem?

Confu-

Confutatio.

At Fridericum timuisse solam Excommunicationem, nullus antiquus Historicus scribit: sed Imperii & Dominii amissionem potissimùm timuisse, testantur plurimi, Martinus Polon. ad an. 1166. Platina in Alex. 3. Laziard. in Epitom. Histor. universal. c. 212. Nauclerus generat. 40. Jacobus Wimphelingus in Epitom. Rerum German. c. 32.

Tortus p. 88.

5. Adde *Cuspinianum* (in hac re de Turcæ fratre veneno sublato) aliorum Historicorum testimoniis destitui.

Confutatio.

Eadem Historia à plerisq; aliis celeberrimis Historicis memoriæ prodita est. Vide Francisc. Guicciard. lib. 2. Hist. Ital. Paulum Jovium lib. 2. Hist. sui temporis. Sabellicum Ennead. 10. lib. 9. Continuatorem Palmerii ad an. 1494.

Nova Dogmata, unà cum novitatis eorundem declaratione.

Dogma primum p. 9.

INter *omnes* convenit posse Pontificem Max. hæreticos Principes jure deponere, & subditos ab ipsorum obedientia liberare.

Confutatio.

Immò verò tantum abest, ut inter omnes de hoc conveniat, veriùs ut dicas, ante Hildebrandi *Pontificatum, id nemini unquam in mentem venisse, qui primus omnium hanc novam doctrinam, planeq; antè inauditam prodidit, ut multi viri docti, cùm illius tum subsequentis seculi testantur (ut alios inferiorum ætatum testes omittam) quà de re vide Epistolam Cleri* Leodiensis *ad* Paschalem II. *Sententiam Episcoporum bonum temporum ab Aventino descriptam* lib. 5. fol. 579. Conradi Trajectensis *Concionem apud eundem* Aventinum, *dicto* lib. 5. fol. 582. *& alteram* Eberhardi Saltzburgensis *Archiepiscop.* Ibid. lib. 7. p. 684. *Sententiam Archiepiscopi* Trevirensis *in Constitut. Imp. rialibus* à M Haimensfeldio *editis* pag. 47. *Epistolam VValtbrami* Megburgensis *Episcopi, quæ extat apud* Dodechinum *in Appendice ad* Marianum Scotum, *ad an.* 1090. Bennonem *in vita* Hildebrandi: *Authorem libri de* Unitate Ecclesiæ *sive* Apologiam pro Henrico IV. Sigebertum *in Chronic. ad an.* 1088 *&* 1111. Godfridum Viterbiensem in Pantheone, part. 17. Othonem Frisingensem lib. 6. c. 35. & lib. 1. De Gestis Friderici c. 1. Vincentium in speculo Historiali, lib. 15. c. 84. *Similia habet* Fridericus Barbarossa, lib. 6. Guntheri Ligurini, de gestis Friderici, & lib. 1. c. 10. Radevici de gestis ejusdem Friderici.

Secundum p. 51.

In ortu supernaturali, quem habemus ex Baptismo, intelligi debet Juramentum tacitum & congenitum, ad obediendum Principi spirituali, qui est Christi Vicarius.

Confutatio.

Mirum est, unde iste hauserit hanc novam & prorsus incognitam Theologiam, quæ non aliundè quàm ex ipsius putrido cerebro nasci potuit: sin minùs, suos nobis auctores enumeret, qui docent & affirmant Christianos omnes sive parvulos, sive adultos, virtute Iuramenti cujusdam taciti in Baptismo suscepti, teneri ad obedientiam absolutam Christi Vicario præstandam, aut in aliud quàm Christi nomen baptizari.

Tertium p. 94.

Sed cùm Catholica doctrina non permittat ad ullum malum vitandum, secretum sacramentalis confessionis detegi, maluit ille mortem acerbissimam pati, quam tanti Sacramenti sigillum violare.

Confutatio.

Quòd secretum sacramentalis confessionis, ad nullum malum quantumcunq; vitandum, vel præveniendum possit detegi, nec indirectè saltem, aut in genere, modo persona, quæ confessionem edit, celetur, prætereo quam quòd Thesis est cunctis Principibus, & Rebuspubl. longè pernitiosissima, ut in Monit. præfat. pag. 147. *docui; novum est dogma, & Orbi Christiano ante hæc tempora inauditum. Scholastici enim Doctores & Canonistæ tàm veteres, quàm recentiores ferè omnes, planè contrarium affirmant. Consule* Alexandrum Hal. part. 4. q. 78. memb. 2. art. 2. Thom. 4. dist. 21. q. 3. art. 1. ad 1. Scotum in 4. dist. 21. q. 2. Hadrian. VI. in 4. dist. ubi de Sacram. Confess edit. Paris. 1530. p. 289. Dominic. Sot. in 4. dist. 18. q. 4 art. 5. Francisc. de Victor. sum de Sacrament. nu. 189. Navar. in Enchirid. c. 8. nu 12. Joseph. Angles. in Floribus part. 1 p. 247. edit. Antverp. Petrum à Soto lect. 11. de Confess. *Ipsi Iesuitæ astipulantur*, Suarez. Tom. 4. disp. in 3. part. Thom. disp. 33. §. 3. Gregorius de Valent. Tom. 4. disp. 7. q. 13. puncto. 3. *qui addit, hanc communem esse Scholasticorum sententiam.*

Quartum p. 102.

4. Ego verò audeo dicere, meliorem caussam habere Catholicos juramenti recusandi, quàm *Eleazarus* habuerit carnis porcinæ non gustandæ.

Confutatio.

Hæc assertio reverà novum Dogma continet, Breve scilicet Pontificium Legi Mosaicæ præferendum esse; & Catholicos magis teneri Pontificis decreto, quàm Iudæi olim Lege per Mosen traditâ tenebantur.

Quintum p. 135.

5. Clericos exemptos esse à Jurisdictione Principum secularium, ac per hoc non esse subjectos Regibus; sed debere tamen Leges eorum de temporalibus rebus observare, non vi legis, sed vi rationis; id est, non quia subditi sunt, sed quia ratio dictat ob commune bonum & pacem Reipubl. eas Leges ab hominibus esse servandas.


Confutatio.

Quàm sit amicus Regibus Cardinalis & qui Cardinali à Sacellis est, qui tot subditos ab eorum potestate exemptos velint, docet Monit. præfat. p. 25. 26. *Sed quod ad ejusmodi novos* Aphorismos *spectat, desinant isti veteratores has opinionum novellas subtilitates, vel potiùs subtiles novitates, pro antiquis & Catholicis Dogmatibus Orbi Christiano obtrudere, donec suis Catholicis* Venetis, *eos novitatis falsiq; arguentibus, hac in parte satisfecerint.*

CANDIDO LECTORI.

ETsi non diffido pium quemque & candidum Lectorem, sive meum in hac Præfatione consilium expendat, ubi de *Puritanis* verba facio, sive operis Epilogum, ubi professionis meæ Principes compello, facilè judicaturum *Puritanorum* nomine non alios intelligi, quàm populares & subditos, qui sub Imperio meo degentes, Legum imperiis reluctari animis obstinaverunt; *Ecclesias* autem apud exteros *Reformatas*, earumvè regimen non designari: Ne tamen invidus quisquam aut malevolus aliorsum atque ego sentio, verba mea interpretetur, hoc te paucis, Benigne Lector, monitum volui, quicquid inibi de *Puritanis* dicitur, de iis solis accipiendum, qui intra Ditionis meæ fines pervicaci huic se disciplinæ tradiderunt. Mihi enim alioqui est decretissimum, rebus alienis me non immiscere; sed alias *Reformatæ Religionis Ecclesias* Christianæ suæ libertati permittere. Immò tantum abest, de iis ut durius quid statuam, ob opinionum inter nos de quibusdam capitibus, quorum pleraque omnia sunt *Adiaphora*, dissensum, ut contrà existimem, per eam, quam Christus nobis commendavit libertatem, Christiano cuique Regi, Principi ac Reipubl. esse concessum, externam in rebus Ecclesiasticis regiminis formam suis præscribere, quæ ad civiles administrationes quàm proximè accedat: dummodò à Fidei veræque Religionis fundamentis nec tantillùm abscedat. Absit itaque à me eos ut judicem, quos DEUS à Jurisdictione mea voluit esse immunes; aut in illud committam, quod ab Apostolo sumptum in frontispicio libri hujus legitur, *Non ergo ampliùs invicem judicemus, &c.* Quod quidem de me spondeo; de te, pie Lector, spero, & cupio.

Triplici



Triplici nodo triplex cuneus.

SIVE

APOLOGIA PRO IVRAMENTO Fidelitatis.

ADVERSUS DUO BREVIA PP. PAULI QUINTI, & Epistolam Cardinalis BELLARMINI, ad G. BLACKUELLUM Archipresbyterum nuper scriptam.

ESDR III.

Tunc omnes populi clamaverunt & dixerunt, Magna est Veritas, & prævalet.



QVàm horrendum novum, & post homines natos inauditum planè scelus, ante aliquot annos apud nos in Anglia conflatum fuerit, ad internecionem meam, conjugis & liberorum, ad exitium omnium Procerum, & Regni Ordinum, cum innumeris aliis cujuscunq; conditionis atq; fortunæ; usq; adeò famâ jam ad ultimas Orbis terras percrebruit, ita omnibus ex ipsius nefandi facinoris infamia innotuit; ut supervacuum sit, rem pluribus repetere, aut divulgare velle; præsertim cùm scelus ipsum atrocitatem sui tam alta voce proclamat. Etenim si clamantia illa peccata (de quibus fit in sacris literis mentio) hoc titulo insigniuntur, & clamare dicuntur, propter infamem turpitudinis notam sibi adjunctam, seu quòd canorâ quadam voce cælitùs vindictam in auctores exposcere videantur; (quæ tamen ipsa peccata & antiqua sunt, & nimis usitata, nec ulla ætas, ullave gens unquam iis penitus vacavit) si illa, inquam, peccata in Scripturis clamare dicuntur; quid de hoc peccato existimare debemus, excogitato sine causâ, ultra modum crudeli, & citra exemplum singulari? Quid exinde secutum sit, neminem opinor latère potest. Satis factum est Iustitiæ publicæ paucorum pœnâ, & ultra sontes, severitas non transiit; hæcq; omnia peracta honorificâ & publicâ judicii formâ, quâ nulla unquam in hoc Regno visa est illustrior.

Quamvis enim conjurati non aliam concepti furoris rationem redderent quàm quòd Romanæ religioni impensè vellent: nemo tamen Pontificius eâ de causâ deinceps duriùs unquã habitus, ut ex Edicto nostro clementissimo, post detectã conjurationem edito, apertissimè constat. Tantùm proximo Ordinum conventu latæ sunt leges, quibus tam atrocibus in posterum sceleribus meliùs occurreretur: in quibus concepta erat Sacramenti quædam formula, in quam subditi mei liquidò jurarent, palamq; profiterentur se in fide & obedientiâ mihi lege nascendi debitâ, constanter permansuros. Nec in alium finem constitutum est Iuramentũ, quàm ut non modò inter fideles subditos, & perfidos proditores, discrimen aliquod extaret: sed etiam inter illos, qui quamvis cæteroqui Pontificiæ religioni faverent, retinerent tamen impressa pristini officii in cordibus vestigia; & inter hos, qui eodem fanatico superstitionis zelo perciti,

quo nitrati pulveris proditores, abriperentur extra debitæ fidelitatis metas, crederentque disparem religionis cultum, justissimum esse prætextum contra Regem conjurandi. Hoc prudens & pium consilium ita fortunavit Deus, ut permulti omne genus subditi, tam Sacerdotes quàm Laici Pontificii, hoc fidelitatis Sacramento se obstringere non dubitarent. Ex quo abunde utrinque satis factum est, & mihi, & subditis: mihi, quod de fidelitate subditorum certo constaret: subditis, quòd tantâ, qua laborabant infamiâ, liberati essent: ita ut, licèt eandem cum proditoribus viam religionis sequerentur, tamen ab eorum pessimis consiliis, se longissimè abhorrere demonstrarent. Quâ quidem re omnibus moderatis & non rigidis Pontificiis, omnis erat vel dubitandi, vel desperandi ansa præcisa, & ego satis ostendi nullam me in Pontificios, conscientiæ caussâ, persecutionem meditari, nec ultrà quid desiderare, quàm ut de eorum fide & constantiâ securus fierem, quam propter conscientiam mihi præstare tenebantur.

Sed quid à Diabolo ipso vel suggeri malitiosiùs poterat, vel tentari nocentiùs, ad turbandum hoc tam mite & placidum consilium, quàm quod accidit ex Pontificis quodam *Brevi* huc misso, hìc vulgato, quo Papicolis omnibus interdictum est, ne hoc Sacramentō fidelitatis se astringi paterentur? Ex quo nova sunt zelotypiæ inter me & meos, quotquot Pontificii sunt, sparsa semina, dum incitantur (cùm potiùs deterreri debuissent) ad retinendum meo mandato de Iuramento fidelitatis suscipiendo; quod eo fine constitutum erat, ut instar pignoris & auctoramenti subditorum erga me fidei foret. Atq; ita dum isti Papæ obtemperant, & mihi Sacramentum legitime exigenti renituntur, nimis amplam mihi, nimisq; justam materiam suppeditant infligendæ pœnæ extra caussam conscientiæ, dum in has angustias miserè se compingi & contrudi sinunt, ut aut cum discrimine vitæ, & jacturâ fortunarū, fidelitati erga Principem renuncient, aut cum Catholicæ fidei detrimento animarum suarum salutem, ut obtendit Pontifex, in periculum adducant.

Porro, quamvis dispar in religione cultus, omne ferè commercium, inter me & Papam partis alterius caput sustulit, nec facilè patitur, ut more Principū hinc inde nuncii commeent: tamen cùm indictum bellum non sit, negari non potest, quin Pontifex contra bonos mores, & consuetudinem Principum, maximè Christianorum, peccarit vehementer, cùm me inauditum condemnârit: quod quidem fecit, partim me persecutoribus annumerando (ut ex eo, quód cohortatur Catholicos suos ad Martyrii gloriam aspirare, non obscurè innuitur) partim imperando severè omnibus Anglis qui stant à suis partibus, ut ab hoc Iuramento abstineant; quod dum detrectant, fidelitatem suam profiteri recusant.

Pontifex, si existimat se meum Iudicem, quod dici solet, competentem, cur me indictâ caussâ condemnat? Sin aliter res se habet, & si nihil Papæ mecum est negotii (quod est verissimū) quare se immiscet operi non suo, & falcem mittit in messem alienam, in re præsertim civili, & quæ ad eum nullatenus spectat?

Numquid potuit *Pius Quintus* ipse, qui nihil nisi minas spirabat, & ruinam Reginæ Elizabethæ & ejus regno meditabatur, qui cùm tanta atrocitate sæviebat in eam, & anathemate fulminabat; Num potuit is, inquam, aliquid acerbius statuere aut gravius, quàm in me statuit hic Pontifex? Quid enim inter hæc duo interfit, subditos à vinculo obedientiæ solvere, ac præcipere ut arma capessant, quod *Pius Quintus* fecit, & edicere subditis ne, Principi Iuramentum fidelitatis exposcenti, obtemperent, quod hodiernus fecit Pontifex, non facilè cerni potest.

Sed ut ad ipsum *Breve* propius accedamus: negari quidem non potest, quin multam eamque non necessariam operam insumpserit, dum ad verbum

integram recensuit Iurisjurandi formulam; cùm idem fuisset, si respicias ejus responsum, vel minimam tituli particulam descripsisse, ut qui unâ liturâ, & levi quadam ac generali rejectiunculâ integrum Iuramentum proscribat. Quâ quidem in re, si me respicias, imprudenter; si Catholicos suos, injuriose se gessit Pontifex. Imprudentia est, me si respicias quòd partitè & minutatim Iuramentum non refutaverit, nec verbulum aut sententiolam quam inibi reprehendit, aliquo detexerit indicio. Id verò si fecisset, pro paterna mea cura, quæ non sinit ut quenquam meorum ad extrema tentanda adigam, quæ duriusculè sonare videbantur, fortasse aut delèssem planè, aut benignâ interpretatione molliora reddidissem. Injustitia est, Catholicorum suorum respectu; nam si mihi visum fuisset, in Iuramento quippiam vel mutare, vel interpretari, omni illicò labore Pontificii levati fuissent. Sin secus mihi constitisset, nihil ex Iurisjurandi conditionibus remittere, prætextum saltem aliquem recusandi illius Sacramenti invenissent; quasi non obsequium fidemq; debitam abnuentes, sed anxiis religiosi animi scrupulis deterriti, in ea verba, quæ speciatim notavisset Pontifex, jurare vererentur.

Nun verò ipsum tonantem audiamus.

CATHOLICIS ANGLIS
Paulus P P. Quintus.

Dilecti filii, Salutem & Apostolicam benedictionem. Magno animi mœrore nos semper affecêrunt tribulationes & calamitates, quas pro retinenda Catholica fide jugiter sustinuistis. Sed cùm intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est: Accepimus namq; compelli vos gravissimis pœnis propositis Templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse: profectò credimus proculdubio eos qui tantâ constantiâ atque fortitudine atrocissimas persecutiones, infinitas propemodum miserias hactenus perpessi sunt, ut immaculatè ambularent in lege Domini, nunquam commissuros esse ut coinquinentur communione desertorum Divinæ legis. Nihilominus zelo Pastoralis officii nostri impulsi, & pro Paternâ sollicitudine quâ de salute animarum vestrarum assiduè laboramus; cogimur monere vos atque obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum Templa accedatis; aut eorum Conciones audiatis; vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento Divini cultus, ac vestræ salutis. Quemadmodum etiam non potestis absque evidentissimâ gravissimaq; Divini honoris injuria obligare vos Iuramento, quod similiter maximo cum cordis nostri dolore audivimus propositum vobis fuisse præstandum, infrà scripti tenoris; videlicet:

EGo A. B. verè & sincerè agnosco, profiteor, testificor & declaro in conscientiâ meâ coram Deo & mundo, quòd supremus Dominus noster Rex *Iacobus*, est legitimus & verus Rex hujus Regni, & omnium aliorum Majestatis suæ Dominiorum & terrarum: Et quòd Papa nec per se- ipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiæ, vel sedis Romanæ, vel per ulla media cum quibuscunque aliis aliquam potestatem, nec auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Majestatis suæ Dominiorum vel regnorum disponendi, vel alicui Principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas invadere auctoritatem concedendi, vel ullos subditorum suorum ab eorum suæ Majestatis obedientiâ & subjectione exonerandi, aut ullis eorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Majestatis suæ Perso-

Personæ, Statui, vel Regimini, vel aliquibus suis subditis infra sua Dominia offerendi. Item, juro ex corde, quod non obstante aliquâ declaratione, vel sententiâ Excommunicationis, aut deprivationis factâ vel concessâ, aut fiendâ vel concedendâ per Papam vel successores suos, vel per quamcunq; auctoritatem derivatam vel derivari prætensam ab illo, seu à suâ sede contra dictum Régem, hæredes aut successores suos, vel quacunque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientiâ; fidelitatem tamen, & veram obedientiam suæ Majestati, hæredibus & successoribus suis præstabo: Ipsumque & ipsos totis meis viribus contra omnes conspirationes & attentata quæcunq;, quæ contra Personam illius, vel illorum, eorumque Coronam & dignitatem, ratione vel colore alicujus sententiæ vel declarationis, aut aliàs facta fuerint, defendam: omnemque operam impendam revelare, & manifestam facere suæ Majestati, hæredibus & successoribus suis omnes proditiones, & proditorias conspirationes, quæ contra illum aut aliquos illorum ad notitiam, vel auditum meum pervenerint. Præterea juro, quòd ex corde abhorreo, detestor, & abjuro tanquam impiam & hæreticam, hanc damnabilem doctrinam & propositionem, Quòd Principes per Papam excommunicati vel deprivati, possint per suos subditos, vel aliquos alios quoscunq; deponi, aut occidi. Et ulteriùs credo, & in conscientia meâ resoluor, quod nec Papa, nec alius quicunq; potestatem habet, me ab hoc Iuramento, aut aliquâ ejus parte absolvendi: quod Iuramentū agnosco rectâ ac plenâ auctoritate esse mihi legitime ministratum; omnibusque indulgentiis ac dispensationibus in contrarium renuncio. Hæcque omnia planè ac sincerè agnosco & juro juxta expressa verba per me hìc prolata, & juxta planum ac communem sensum & intellectum eorundem verborum, absque ullâ æquiuocatione, aut mentali evasione, vel secretâ reservatione quacunque. Hancque recognitionem & agnitionem facio cordialiter, voluntariè, & verè, in verâ fide Christiani viri: Sic me Deus adjuvet.

Quæ cùm ita sunt, vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quòd hujusmodi Iuramentum, salvâ fide Catholicâ, & salute animarum vestrarum, præstari non potest, cùm multa contineat quæ fidei ac saluti apertè adversantur. Propterea admonemus vos, ut ab hoc, atque similibus juramentis præstandis omninò caveatis: quòd quidem eò acriùs exigimus à vobis, quia experti vestræ fidei constantiam, quæ tanquam aurum in fornace perpetuæ tribulationis igne probata est, pro comperto habemus, vos alacri animo subituros esse quæcunque atrociora tormenta, ac mortem denique ipsam constanter oppetituros, potiùs quàm Dei Majestatem ulla in re lædatis. Et fiducia nostra confirmatur ex his quæ quotidie nobis afferuntur de egregia virtute atque fortitudine, quæ non secus ac in Ecclesiæ primordiis, resplendent novissimis hisce temporibus, in martyribus vestris. State ergo succincti lumbos vestros in virtute, & induti loricam justitiæ, sumentes scutum fidei, confortammini in Domino, & in potentia virtutis ejus nec quicquam vos detineat. Ipse autem, qui coronaturus vos certamina vestra in cælo intuetur, bonum opus quod in vobis cœpit, perficiet. Nostis quia discipulis suis pollicitus est, se nunquam eos relicturum esse orphanos: fidelis enim est qui repromisit. Retinete igitur disciplinam ejus, hoc est, radicati & fundati in charitate, quicquid conamini, in simplicitate cordis & in comitate spiritus, sine murmuratione aut hæsitatione unanimes facite. Siquidem in hoc cognoscunt omnes, quia discipuli Christi sumus, si dilectionem ad invicem habuerimus. Quæ quidem charitas cùm sit omnibus Christi fidelibus maximè appetenda; vobis certè, dilectissimi filii, prorsus necessaria est. Hac enim vestrâ charitate diaboli potentia infringitur, qui nunc adversus vos tantoperè insurgit, cùm ipsa contentionibus atque dissidiis nostrorum filiorum præcipuè nitatur. Hortamur itaque vos per viscera Domini Iesu Christi, cujus charitate è faucibus æternæ mortis erepti sumus, ut ante omnia, mutuam inter vos charitatem habeatis. Præscripsi sant

psit sanè vobis præcepta maximè vilia de fraterna charitate vicissim exercenda, felicis recordationis Clemens *Papa octavus suis literis in forma Brevis ad dilectum filium* Magistrum Georgium Archipresbyterum Regni Angliæ, *datis die quintâ mensis Octobris 1606. Ea igitur diligenter exequimini, & ne ullâ difficultate aut ambiguitate remoremini. Præcipimus vobis, ut illarum literarum verba ad amussim servetis; & simpliciter, prout sonant & jacent, accipiatis & intelligatis, sublatâ omni facultate aliter illa interpretandi. Interim nos nunquam cessabimus* DEUM *Patrem misericordiarum precari, ut afflictiones & labores vestros clementer respiciat, ac vos continuâ protectione custodiat atq; defendat: quos Apostolicâ benedictione nostra clementer impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, Decimo Calend. Octob. 1606. Pontificatus nostri anno secundo.*

RESPONSIO AD PRIMVM Breve Pontificis.

Hic initio Pontifex dolorem, & magnum animi sui mœrorem exprimit, propter tribulationes, & calamitates, quas pro retinenda fide Catholica jugiter sustinent filii sui: ubi præter crimen falsi, quod in meam contumeliam tantoperè redundat; dissimulare non possum, sed ut res postulat palàm profiteor, & quod certò scio, præ me fero, Reginam *Elizabetham* gloriosissimæ memoriæ, nemini ex Pontificiis religionis causâ pœnam irrogâsse, antequam eorum scelera & flagitia, veluti invitæ supplicia, quæ pertulerunt, extorsissent: quòd cuivis æquo rerum æstimatori, & actiones ipsas cum earum circumstantiis prudenter pensiculanti, manifestum fiet. Antequam enim *Pius Quintus* Anathemate in eam intonuisset, & quasi prædæ eam exposuisset, & omnibus suis subditis rebellandi copiam fecisset, palàm est, Reginam graviorem aliquam mulctam Catholicis non imposuisse; cùm tunc temporis, neque severiores leges, nec ulla capitalis pœna esset in Pontificios constituta.

Ab illo tempore, quicunque animo non iniquo comparare voluerit, multa & varia ejus regni invadendi consilia, machinationes privatas foris, rebelliones publicas domi, simul cum astutiis, & insidiis, venenis, cædibus, cum omni doli & decipularum genere *deniq; quid non?* Romæ elaborata, Romæ concinnata: & has omnes, & consimiles merces *ovo prognatas eodem*: insuper his adde illecebras illas ad defectionem, quibus hunc populum perpetuò corruperunt, modò præmia mortalia & caduca ad promittentes, modò beatæ immortalitatis spe inescantes: denique libros, alios ex aliis continenter editos, & à fugitivis ipsis conscriptos, quibus hæc tàm pia, scilicet, in eam consilia probarentur; Qui hæc omnia, inquam, animo non iniquo simul comparare voluerit, & hinc immensa illa & infinita irritamenta intueri; inde justas, moderatas, tamen paucorum delinquentium pœnas contemplari, facilè videbit clementissimam illam piæ memoriæ Principem tantum abfuisse à persecutionis infamiâ, quantum isti Satanæ satellites alieni sunt à Martyrii gloria.

Nunc verò, cùm defunctæ Principis Manibus (si ita loqui fas est) parentâtim; proximum est, ut cum Apostolo famam meam ab infinitis, quibus me onerant, calumniis vindicem; & veritati, ut par est, justissimis meis erga Pontificios actionibus testimonium perhibeam. Quo in loco verè possum affirmare, qualiscunque fuerit Reginæ laus à clementia in Pontificios (quæ certè fuit

amplissima) eam tamen nostræ mansuetudinis & pietatis in eosdem exemplis, ita superatam, ut non modò Pontificii præ nimiâ indulgentiæ meæ fiduciâ in superbiam elati, in certam spem venerint, & confidenter sibi promiserint, se brevi Religionis suæ libertate fruituros, & in omni re pari prorsus cum cæteris jure usuros: verùm etiam pleriq; ex optimis & fidelissimis meis subditis magnoperè formidârint, & quodammodò obstupuerint, cùm rem ita procedere cernerent, semper animo præcipientes, & justissimis de caussis metuentes acerbissimum illum indulgentiæ meæ fructum, qui in nefaria illa proditione pulveraria pòst apparuit.

Quàm multi, Recusantes, ut vocant, cogniti & convicti, à me nihilominùs sunt equestri dignitate ornati? Quàm promiscuè utramq; Religionem colentes accessu & colloquio dignatus sum? Quàm nullo religionis discrimine, & honores & beneficia largitus sum? Quàm liber aditus & frequens in Aulam meam, & comitatum meum omnibus Pontificiis cujuscunque ordinis, & conditionis? Ante omnia, quàm liberaliter & munificè Pontificios annuâ taxatione liberavi? Præterea constat, quàm studiosè caverim, judices meis ipse verbis admonens, ut Sacerdotum omnium, etiamsi essent convicti, supplicio supersederent? Addito insuper clementissimo Edicto, quo permissum est Sacerdotibus omnibus non comprehensis, & tum extra custodiam agentibus, intra constitutam diem è Regno excedere, quòd si qui convicti Sacerdotes in carcere detinebantur, ad illos liberandos generalem nostram indulgentiam gratiosè porrigi & extendi voluimus: Vnde quasi probi subditi fuissent, è carcere emissi sunt; denique Sacerdotes post illud tempus comprehensi, trans mare ablegati sunt, & ibi libertati restituti. Sed tempus & oratio me deficient, si omnia beneficia, omnemque munificentiam & gratiam, tum universè Papistis omnibus, tum viritim certis exhibitam enumerem. Quâ quidem in enumeratione, quoties calamum duco, toties mihi videor Pontifici ingratitudinis & injustitiæ labem aspergi, qui tàm iniquâ mensurâ, tanta beneficia compensârit.

Atque ita, ut existimo, abundè lacrymam ab oculis Papæ, tàm diram persecutionem deplorantis detersimus. Qui si vel politicè modò saperet, etsi nec justitiam, nec veritatem tantilli fecisset; discrimen tamen aliquod in hac sua querela agnovisset, inter Reginæ nuper defunctæ, & hæc nostra tempora: atque hanc meam moderationem, pristini temporis respectu celebrando, sperare potuisset, se apud me effecturum, ut feliciter in suscepto clementiæ & misericordiæ cursu, ad extremum usque perseverarem. Verùm enim illud est, quod dici solet, Insinuationem beneficiorum apud generosos animos magnam vim habere, & mira operari,

Et quod me de Catholicorum persecutione calumniantur; nunquam probari potest, quenquam conscientiæ caussâ, & religionis ergò, me regnante, hactenus vel morte mulctatum fuisse, vel in mortis periculo modò versari. Nisi fortè hæc nupera Catholicis interdictio à Papa facta, quò minùs sub juramento de fide sua mihi promittant, caussa sit dehinc, cur multi eorum meritò plectantur. Quod quidem si contingat, in caput Pontificis sangvis eorum recidat, qui solus tantæ severitati caussam dedit,

Ad proximum caput *Brevis* quod attinet, quo Pontificiis omnibus interdicit, Ne Ecclesias nostras adeant, nevè ritus, & ceremonias nostras frequentent; non est mihi jam animus hæc attingere; siquidem id solum negotii nunc incumbit, ut orbi proloquar injurias, & injustitiam Pontificis, interdicentis subditis meis, ne obedientiam suam erga me profiteantur. Nunc verò quod ad illum locum, in quo juramentum reprehenditur, pauca sunt verba, quibus

perstrin-

perstringitur: sed quæ pondus habent atque momentum: Nempe *quod perspicuum esse debet Catholicis omnibus, quòd hujusmodi Juramentum, salva fide Catholica, & salute animarum suarum præstari non possit; cùm multa contineat, quæ saluti & fidei apertè adversentur.* Huic verò vetus dictum quadrat, quod de Philosopho circumfertur, *Multa dicit, sed pauca probat: imò verò nihil omninò probat.* Nam quomodo professio fidelitatis erga Principem in subditis, possit religioni & saluti animarum adversari, ita meam excedit Theologiam, quantulacunque illa est, ut prorsus novam & exoticam planè assertionem esse, non possim non existimare, nec ex ejus ore proferendam, qui se universalem Episcopum, & omnium Christianarum animarum œcumenicum Pastorem satis insulsè venditat. Legi equidem, nec semel, iterum, aut tertiò, sed sæpiùs in Scripturis, Subditos Principibus suis sive bonis sive malis obtemperare, idque propter conscientiam, teneri. Sic *Josue* dixit populus, *Quemadmodum* Mosi *obedivimus in omnibus, ita & tibi obediemus.* Sic Propheta hortatus est populum, ut auscultarent Regi *Babel* dicens, *Submittite colla vestra subter jugum Regis* Babylonii, *eiq; & populo ejus servite, ut vivatis.* Similiter Israelitæ se gesserunt erga *Pharaonem*, cui etiam supplicârunt, *ut veniam daret liberè discedendi.* Similiter erga *Cyrum*, à quo etiam impetrârunt veniam reditus, ut Templum ædificarent. Atque ut verbo finiam, Apostolus omnes mortales hortatur, ut *subjecti sint propter conscientiam.* Nec doctrina Patrum abludit à doctrina sacrarum literarum. *Augustinus* de *Juliano* loquens, *Julianus*, inquit, *extitit infidelis Imperator. Nonnè extitit Apostata iniquus, idololatria? Milites Christiani servierunt Imperatori infideli: ubi veniebatur ad caussam* Christi, *non agnoscebant nisi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi* DEUM. *Quando autem dicebat, Producite aciem, Ita contra illam Gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.* Tertullianus etiam, *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens à* DEO *suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & revertatur, & honoret, & salvum velit; cum toto Romano Imperio, quousq; seculum stabit: tàm diu enim stabit. Colimus ergò Imperatorem sic quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à* DEO *secundum, & quicquid est, à* DEO *consecutum, solo* DEO *minorem. Hoc & ipse volet: sic enim omnibus major est, dum solo vero* DEO *minor est:* Justinus Martyr, *Nos solùm* DEUM *adoramus, & vobis in rebus aliis læti inservimus, Imperatores ac Principes hominum esse profitentes.* Ambrosius, *Dolere potero, potero flere, potero gemere, adversus arma, milites,* Gotthos *quoq; lachryma mea arma sunt. Talia enim munimenta sunt Sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere.* Optatus, *Super Imperatorem non est nisi* DEUS, *qui fecit Imperatorem.* Gregorius etiam ad *Mauritium* scribens de lege quadam, ne reciperetur miles in monasterium nondum expletâ militiâ, *Omnipotenti* DEO, inquit, *reus est, qui serenissimis Dominis in omne, quod agit & loquitur, purus non est.* Deinde se appellans *indignum famulum pietatis ejus*, per totam epistolam progreditur ostendens iniquitatem illius legis, ut ipse quidem judicat: demum autem epistolam concludit his verbis; *Ego quidem jussioni subjectus, eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci: Et quia lex ipsa Omnipotenti Deo minimè concordet, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nunciavi. Vtrobique ergo, quæ debui, exolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui.*

Jam verò quàm diversa ratio, quàm contraria praxis antiqui illius Pontificis existat morem gerentis Imperatori, in decreto publicando, quod quidem decretum ipse secundùm animi sui sententiam putat injustum, ab hodierni

Pontificis instituto, qui denunciat subditis meis, ne in re licita mereque civili mihi obtemperent, penes æquum lectorem sit judicare.

Patrum doctrinæ accedit Conciliorum quoque consensus in decretis suis: veluti ex Concilio Arelatensi patet, cujus Antistites submittunt Imperatori Carolo totum Concilium his verbis: *Hæc igitur Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut si quid hîc minus est, ejus prudentia suppleatur: si quid secus quàm ratio habet, ejus judicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio, divinâ opitulante clementiâ perficiatur.*

Sed quid ego de Carolo Magno loquar? cui non unum, sed sex Concilia generalia, Francofordiense, Arelatense, Turonense, Cabilonense, Moguntinum, ac Rhenense, sese penitùs tradiderunt? Quid ni potius semel omnia generalia Concilia loquar Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, & quatuor alia sic vulgò appellata, quæ Imperatoris prudentiæ ac pietati sese in omnibus subjecerunt? adeò ut Ephesinum illud quater satis distinctè inculcet, se accitos coiisse Imperatoris Oraculo, nutu, sanctione, & mandato: Denique universos se supplices ad pietatis ejus dominationem confugere, ut quæ contra Nestorium & illi consentientes gesta sunt, robur suum haberent, ut manifestò apparet ex epistola generalis Concilii Ephesini scriptâ ad Augustos.

Quin etiam Christum dixisse lego (Johan. 18.) *Regnum suum non esse de hoc mundo*, jussisseque, ut quæ Cæsaris sunt, Cæsari tribuamus, quæ DEI, DEO, (Matth. 22.) Et hoc in Theologia semper certum & exploratum habui, civilem obedientiam, civili Magistratui præstitam, nec fidei Christianæ, nec saluti animarum quicquam repugnare.

Quòd autem civilis obedientia fidei & saluti animarum adversetur, prout in hoc Brevi asseritur, peregrinum, & antehac inauditum est dogma in Ecclesia Christiana.

Quamobrem optârim sanè, ut Pontifex, priusquam hoc suum mandatum omnibus hîc Pontificiis dedisset (quoniam in scrinio pectoris ejus residet potestas, ex infallibilitate spiritus, condendi novos Fidei articulos, quandocunque ei visum fuerit) hoc pro articulo Fidei definivisset, & tunc omnibus Catholicis mandâsset, ut credendo & parendo ei acquiescerent.

Concludam igitur responsum meum, ad hunc locum, hoc Dilemmate:

Aut licet Principi obtemperare in temporalibus, aut non licet.

Si licet (quod nemini dubium esse potest) cur tàm iniquus est, & crudelis in Catholicos suos, ut iis imperet, ne legitimo Regis sui mandato obtemperent?

Si non licet, cur rationem non reddit, caussam non exprimit, unde id probet? vel cur non interim veniam indulget? imò verò cur non disertis & expressis verbis hortatur ac jubet, uti ex ejus principis ditionibus demigrent, cui nullum obsequium aut fidelitatem debent?

Ad Hortationem verò Pontificis tàm vehementem ut in constantia perseverent Catholici, Martyriumque oppetant, nec ullis difficultatibus deterreantur, ut hanc caussam deserant; sic respondeo, si stabile & firmum sit fundamentum, cui eos inniti & insistere jubet, necessariam esse hanc ad constantiam cohortationem: sin fundamentum infirmum (ut est, & aliqua ex parte antea me probâsse confido) certè non aliam ejus vim esse, quàm ut ipsum Pontificem faciat reum sangvinis tot civium suarum, quot hâc quidem ratione, sciens


videns,

vidensque perdiderit; non solùm ad jacturam vitæ non necessariam, & familiarum dissipationem atque ruinam, verùm etiam ad æternum Papistici nominis dedecus & opprobrium: ac si impossibile esset Pontificiam religionem ardenter profitentem, subditum esse fidelem; & quasi Romanam religionem profiteri, & civilem obedientiam Principi præstare, duæ quædam res essent inter se pugnantes & dissociabiles.

Sed ficti rumores, & falsi nuncii (qui longo itinere hinc Romam perlati, non possunt non augeri) forsitan imposuêre Pontifici, & hoc suum Breve tàm temerè expediendi caussam præbuêre. Septicollis enim illa magna civitas, mundi domina & regina, &, ut ipsi fatentur, mysticè nuncupata *Babylon*, nunciis infinitis & rumoribus undequaque resonat. His adde, quòd omnes, qui de conditione sua conqueruntur (ut hîc plerunque Pontificii assolent) naturâ suâ sunt prompti atque proclives ad exaggerandos dolores suos, eosque sermonibus amplificandos. Adeò ut mirandum non sit, etiamsi judex quantumvis justus in cathedra sedens, non benè de caussa edoctus, sed falso interdum rumore seductus, sententiam pronunciet iniquissimam: Vt quidam ex Pontificiorum partibus fateri non vereantur, *Pium Quintum* vanis quorundam delationibus temerè abreptum, in Serenissimam Principem *Elizabetham* fulmen illud suum Excommunicationis displosisse. Et fieri potest (si conjecturâ augurari liceat) persimilem aliquando fore excusationem, de duobus illis Brevibus à *Clemente Octavo* datis, & huc in Angliam missis paulò ante obitum Reginæ nuper defunctæ, quibus vel me, vel alium quemcunque à Regni gubernaculo exclusis, qui vel ipse profiteretur, vel ullo pacto nostræ religionis cultores toleraret; contra fidem suam non semel datam, contra protestationes propè innumeras, simul & eodem tempore, uno & eodem spiritu factas non paucis meis ministris peregrè tum agentibus, quibus omnem operam suam obtulit, omniaque pollicitus est, quæ conducere possent ad me in hujus Regni solio collocandum. Immò verò plerique hîc Pontificii, cùm fama hujus ipsius Brevis ad eorum aures pervenisset, idque manifestò vidissent longè ab omni Theologiæ ratione, prudentiâ politicâ, sensu denique communi abhorrêre; certò sibi persuaserunt libellum quendam duntaxat esse fictitium, in odium Papæ compositum & disseminatum, vel saltem non nisi opus tumultuarium, ex falsis rumoribus, ut diximus, collectum. Qua quidem in sententia, non tantùm crassiores hebetioresque Papistæ, sed quidam etiam ejus sectæ tum à doctrina, tum ab experientia Principes, inter quos & ipse Archipresbyter, versati sunt.

Verùm enimverò, quò meliùs Pontifex Catholicos suos ab hac ancipiti cogitatione liberaret, non ulli labori pepercit, sed & alterum Breve expedivit illicò, tantummodò ad prioris fidem ac firmitatem, ut quod priùs temeritatis & ignorantiæ commissum censeri poterat, & ex rumore nescio quo ortum habuisse, nunc geminatum scientis & prudentis crimen meritò videatur.

Exemplar hujus Brevis hîc sequitur.



DILECTIS FILIIS CATHOLICIS Anglis Paulus PP. Quintus.

Dilecti Filii, Salutem & Apostolicam benedictionem. Renunciatum est nobis reperiri nonnullos apud vos, qui cùm satis declaraverimus per literas nostras anno superiore, 10. Calend. Octobr. in forma Brevis *datas, vos tutâ conscientiâ præstare non posse juramentum, quod à vobis tunc exigebatur; & præterea strictè præceperimus, ne ullo modo illud præstaretis:*

Nunc dicere audent hujusmodi literas de prohibitione Juramenti, non ex animi nostri sententia, nostraq; propria voluntate scriptas fuisse, sed potiùs aliorum intuitu atque industriâ: eaq; de caussâ iidem persuadere nituntur, mandata nostra dictis literis non esse attendenda. Perturbavit sanè nos hic nuncius, eoq; magis, quia experti obedientiam vestram (filii nostri unicè dilecti) qui ut huic sanctæ sedi obedieretis, opes, facultates, dignitatem, libertatem, vitam deniq; ipsam piè ac generosè nihili fecistis, nunquam suspicati essemus, potuisse vocari apud vos in dubium fidem literarum nostrarum Apostolicarum, ut hoc prætextu vos ex mandatis nostris eximeretis. Verùm, agnoscimus versutiam atque fraudem adversarii humanæ salutis, eiq; potiùs quàm vestræ voluntati tribuimus hanc renitentiam. Eapropter iterum ad vos scribere decrevimus, ac denuò vobis significare, literas nostras Apostolicas anno præterito decimo Calendarum Octobris datas de prohibitione Juramenti, non solùm motu proprio & ex certa nostra scientia, verùm etiam post longam & gravem deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur, adhibitam fuisse scriptas, & ob id, teneri vos illas omninò observare, omni interpretatione secus suadente rejectâ. Hæc autem est mera, pura, integraq; voluntas nostra, qui de vestra salute solliciti, semper cogitamus ea, quæ magis vobis expediunt, & ut cogitationes ac consilia nostra illuminet is, à quo Christiano gregi custodiendo nostra fuit præposita humilitas, indesinenter oramus: quem etiam jugiter precamur, ut in vobis filiis nostris summoperè dilectis fidem, constantiam, mutuamq; inter vos charitatem & pacem augeat. Quibus omnibus, cum omni charitatis affectu, peramanter benedicimus.

Datum Romæ apud *S Marcum* sub annulo Piscatoris, decimo Calend. Septembris 1607. Pontificatus nostri anno tertio.

Petrus Stroza.



RESPONSIO AD SECVNDVM Breve Pontificium.



QVod ad hoc Pontificis *Breve* spectat; jure possum in auctorem ipsius verba regerere, *Versutiam esse atq; fraudem adversarii humanæ salutis.* Satanas enim etiamsi mille annos cogitâsset; de Romano-Catholicis nostris insigni infortunio mulctandis, non aliud profectò hoc gravius reperire potuisset; Quòd cùm non pauci Pontificii, & quidam etiam inter eos Sacerdotes, Juramentum hoc susceperint; immò nec Archipresbyter ipse recusârit, sed liberè sine hæsitatione ulla jurârit; nunc non solùm professionem naturalis erga me fidelitatis recusare cogentur (quod tamen ipsum excusari utcunque potuisset diversis scrupulis à verbis ipsius juramenti petitis) sed etiam tenebuntur renunciare, atque adeò repudiare eam professionem fidei & obedientiæ, in quam non ita pridem juraverant; & sic in hâc tertia veluti instântia, duo priora juramenta ejurare; unum tacitum & congenitum, natalium jure debitum: alterum declaratorium in confirmationem prioris adhibitum, quod ipsum juramentum nihil aliud est quàm prioris congeniti expressio & publica declaratio. Vnde sequitur, neminem posse in *Anglia* Romanam religionem profiteri, nec salutem animæ suæ curare, qui non priùs fidelitatem suam erga Principem congenitam & juratam exuerit & ejuraverit.

Sed

Sed neque hoc satis est, ut superioris anni *Breve*, altero nunc emisso corroboretur, nisi (ut non modò singulis annis, verùm etiam singulis mensibus novi semper monstri aliquid patiatur) magnus ille & præclarus controversiarum scriptor Cardinalis nuper *ex- Iesuitatus Bellarminus*, suo quoque talento cœptum hoc opus bonum locupletet: dum quasi flabello admoto, & calcaribus infixis, seditionem acuit, accenditque missis huc ejusmodi ad Archi-presbyterum literis, ut mirum sit quomodò partim animi morbus, partim ambitiosum fulciendæ Pontificis Monarchiæ studium, hominem tantâ doctrinæ opione celebrem, transversum egerint ac fascinaverint.

Quarum literarum exemplum hîc subiicitur.

ADMODUM REUERENDO DOmino D. Georgio Blackuello Archi-presbytero *Angliæ*.

Robertus S. R. E. Cardinalis Bellarminus S. D.




Enerabilis in Christo Domine frater, Anni sunt ferè quadraginta, quòd invicem non viderimus: sed ego tamen veteris nostra consuetudinis nunquam oblitus sum, teque in vineá Domini strenuè laborantem, quandò aliter non potui, orationibus Deo commendare non destiti: me quoque in tuá memoriá toto hoc tempore vixisse, & in tuis orationibus ad Altare Domini locum aliquem habuisse non dubito, Ita igitur ad hoc usque tempus non verbis, aut literis, sed opere, & veritate, ut Sanctus Ioannes *loquitur, alter in alterius dilectione permansimus. Sed hoc silentium rumpere coegit nuncius, qui diebus istis de tuis vinculis, & carcere ad nos venit. Qui quidem nuncius, etsi tristis videri poterat ob jacturam pastoralis tua sollicitudinis, quam Ecclesia ista fecit: tamen lætus quoque videbatur, quoniam ad Martyrii gloriam, quo dono Dei nullum est felicius, propinquabas, ut qui tot annis gregem tuum verbo, & doctrinâ pavisses, nunc exemplo patientia gloriosiùs pasceres. Verùm hanc latitiam non mediocriter inturbavit, ac ferè corrupit tristis alius nuncius, qui de constantiá tuá in recusando illicito juramento ab adversariis tentatá, fortè etiam labefactatá, & prostrata successit, Neque enim, frater charissime juramentum illud ideo licitum esse potuit, quòd aliquo modo temporatum, et modificatum offerebatur. Scis enim ejusmodi modificationes nihil esse aliud, quàm Satana dolos, atq; versutias, ut fides Catholica de primatu sedis Apostolica vel apertè, vel obscurè petatur: pro qua fide tot inclyti Martyres in ista ipsa* Angliâ *ad sangniaem usq; pugnarunt. Certè enim quibuscunq; verbis juramentum ab adversariis fidei concipiatur in Regno isto, eò tendit, ut auctoritas capitis Ecclesia à successore Sancti* Petri *ad successorem* Henrici *octavi in* Angliâ, *transferatur. Quod enim obtenditur de periculo vita Regis, si summus Pontifex eam in* Angliâ *potestatem habeat, quam in aliis omnibus Christianis Regnis habet; inane prorsus esse, omnes qui sunt aliqua prudentia praditi facilè vident. Neq; enim auditum est unquam ab initio nascentis Ecclesia, usq; ad hæc nostra tempora, quòd ullus Pontifex Maximus Principem ullum, quamvis hareticum, quamvis ethnicum, quamvis persecutorem cadi mandaverit, aut cadem forte ab aliquo patratam probaverit. Et cur, quæso, unus Rex* Angliæ *timet, quod ex tot Christian. principib. nullus timet, nullus timuit? Sed, ut dixi, vani isti pratextus decipula sunt, & stratagemata Satana. Qualia non pauca in Historiis veterum temporum inveniuntur, qua facilè referre possem, si non epistolam, sed librum integrum scribendum suscepissem: unum tantùm, exempli gratia, ad memoriam tibi revocabo. Scribit S.* Greg. Nazianzenus *in prima oratione in* Iulian. *Imperatorem, illum ut simplicibus*

Christianis imponeret, in imaginibus Imperatoriis, quas Romani civili quodam genere honoris pro more adorabant, imagines Deorum falsorum admiscuisse, ut nemo posset Imperatoris imaginem adorare, quin simul Deorum simulachris cultum adhiberet. Hinc nimirum fiebat, ut plurimi deciperentur, & si qui forte fraudem subodorati, Imperatoris imaginem venerari recusarent, ij gravissimè punirentur, ut qui Cæsarem in sua imagine contempsissent. Tale aliquid in juramento vobis oblato mihi videre videor, quod ea fraude compositum est, ut nemo possit proditionem in Regem detestari, civilemque subjectionem profiteri, quin primatum sedis Apostolicæ perfidè abnegare cogatur. Sed Christi servi, ac præsertim primarii Domini Sacerdotes, ubi periculum Fidei subesse potest, tantum abesse debent à susceptione illiciti juramenti, ut ab omni etiam suspicione simulationis præstiti juramenti cavere debeant, ne fidelibus populis ullum prævaricationis exemplum reliquisse videantur. Quod egregiè præstitit insignis ille Eleazarus, qui neque porcinas carnes comedere, neque simulare comedisse voluit, quamvis gravissima tormenta sibi cerneret imminere: ne, ut ipse ait in secundo libro Macchabæorum, multi juvenum per eam simulationem ad Legis prævaricationem animarentur. Neque minus fortiter Magnus Basilius, & exemplo ad res nostras magis accommodato, cum Valente Imperatore se gessit. Nam ut in historiâ scribit Theodoritus, cùm Præfectus Imperatoris hæretici hortaretur Sanctum Basilium, ut non vellet propter parvam dogmatum subtilitatem Imperatori resistere; respondit vir ille sanctissimus & prudentissimus, non esse ferendum, ut de Divinis dogmatibus, vel una syllaba corrumpatur, sed potius pro eorum defensione omne genus supplicii amplectendum. Equidem arbitror non deesse apud vos, qui dogmatum subtilitatem esse dicant, quæ in Iuramento Catholicis hominibus proposito continentur: & non esse propter rem tam parvam Regis Imperio reluctandum. Sed non deerunt etiam viri sancti, ac magno Basilio similes, qui palàm affirmabunt, non esse de Divinis dogmatibus, vel minimam aliquam syllabam corrumpendam, etiamsi tormenta & mors ipsa toleranda proponatur. Inter hos unum, vel potiùs horum Principem atque antesignanum te esse par est. Et quamvis vel inopinata comprehensio, vel acerbitas persequutionis, vel senectutis imbecillitas, vel quid aliud in caussa fuerit, ut constantia titubaverit; confidimus tamen de Domini pietate, & de diuturna tua virtute, fore, ut qui Sancti Petri & Sancti Marcellini casum aliqua ex parte imitatus videris, eorundem fortitudinem in reparandis viribus & veritate asserenda feliciter imiteris. Nam si rem totam diligenter apud te cogitare volueris, videbis profectò non esse rem parvam, quæ ob Iuramentum istud, in discrimen adducitur, sed unum ex præcipuis Fidei nostræ capitibus, ac religionis Catholicæ fundamentis. Audi enim quid Apostolus vester magnus Gregorius in Epistola quadragesima secunda libri undecimi scribat; Apostolicæ sedis reverentia nullius præsumptione turbetur: tunc enim membrorum status integer perseverat, si caput Fidei nullâ pulsetur injuriâ. Itaque Sancto Gregorio teste, cùm de primatu sedis Apostolicæ vel turbando, vel minuendo, vel tollendo satagitur, de ipso capite Fidei amputando, ac de totius corporis, omniumque membrorum statu dissipando satagitur. Quod ipsum Sanctus Leo confirmat in sermone tertio de assumptione sua ad Pontificatum, cùm ait; Specialis cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. Ex quo idem ipse in Epistola ad Episcopos Viennensis provinciæ affirmare non dubitat, necesse esse exortem illum mysterii esse Divini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere. Qui rursum ait, Quisquis huic sedi principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ semetipsum in inferna demergit. Atque hæc quidem, & alia ejusdem generis multa tibi notissima esse certò scio, qui præter cæteros libros, visibilem monarchiam Sanderi tui, scriptoris diligentissimi, & de Ecclesia Anglicanâ optimè meriti sæpe legisti: quique ignorare non potes, sanctissimos viros, eosdemque doctissimos, Ioannem Roffensem, & Thomam Morum pro hoc

uno

uno gravissimo dogmate duces ad Martyrium plurimis aliis, cum ingenti Anglicæ *nationis gloria, nostra memoria fuisse. Sed ad memoriam tibi revocare volui, ut colligas te, & magnitudinem rei considerans, non tuo judicio nimiùm fidas, neque plus sapias quàm oportet sapere; & si fortè lapsus tuus non ex inconsideratione, sed ex infirmitate humana, ex metu carceris, & suppliciorum profectus est, non anteponas libertatem temporalem libertati gloriæ filiorum Dei: neque ob momentaneam, & levem tribulationem fugiendam, amittere velis æternum gloriæ pondus, quod ipsa tribulatio operatur in te. Bonum certamen diu certasti, cursum fermè consummasti, fidem tot annis servasti; noli igitur tantorum laborum præmia tam facilè perdere; noli coronâ justitiæ quæ tibi jam dudum paratur, te ipse privare: noli tot patrum & filiorum tuorum vultus confundere. In te sunt hoc tempore conjecti oculi totius Ecclesiæ, quin etiam spectaculum factus es mundo, Angelis & hominibus: noli in extremo actu ita te gerere, ut & tuis luctum, & gaudium hostibus relinquas. Sed contrà potiùs, quod omnino speramus, & pro quo ad Deum nostrum assiduè preces fundimus, vexillum Fidei gloriosè erigas, & quam contristaveras, lætam facias Ecclesiam: nec jam solùm veniam merearis à Domino, sed coronam. Vale, viriliter age, & confortetur cor tuum. Romæ, die 28. Septembris 1607.*

Reverendæ admodum D. V. frater & servus in Christo, Rœbertus *Cardinalis* Bellarminus.



RESPONSIO AD LITERAS Cardinalis.

ATque hîc in mediam quod dicitur aciem ad literas ejus refutandas progressurus, ab hac protestatione initium mihi faciendum esse duxi: me nullo inanis gloriolæ aucupio illectum, concertationem cum tam docto viro instituisse: sed conscientiâ, sed religione motum, ne absque responso via per orbem pateat Circæis hisce veneficiis, & in auratis pilulis, tam externâ quadam specie eloquentiæ fucatis, quàm mendaciorum & fraudis intus plenis. Vnde & mea existimatio hactenus illibata, mendaciorum caligine, & falsorum criminum nebulis, obscurari posset, cordaque hominum leviculorum minusque stabilium induci in errorem, & tandem veritas ipsa opprimi.

Sed antequam accedam ad accuratiorem refutationem hujus epistolæ; cunctos mecum hic mirari exoptem tam crassum errorem viri tam docti, qui tanto conatu tam elaboratam adornârit epistolam, ad refutandam positionem à quæstione prorsus alienam. Videntur enim, transfugæ nostri, de quorum intimâ familiaritate tantoperè gloriatur, ita homini Iuramentum Primatus (quod Papistis tanto semper fuit terriculo) inculcâsse, ut dum per literas novissimi hujus Iuramenti formam refutare cogitaret, ejus loco Iuramentum Primatus quod ei penitissimè insederat, tantummodò impugnaret: non secus ac qui seriâ cogitatione defixus in aliud ab eo, quod tum agitur, rem aut personam, de quibus cogitat, pro eo quod in manibus est, sæpe nominat. Etenim ut Iuramentum Primatus excogitatum est ad discrimen faciendum inter Pontificios, & eos qui nobiscum de religione sentirent; sic hoc Iuramentum, cujus iste impugnator videri vult, institutum est ad distinguendos Pontificios qui in rebus civilibus obedientiam & obsequium retinent, ab iis qui sulphureæ proditionis disciplinæ adhærescunt. Ille tamen in totâ suâ epistolâ hoc unum agit; ut invehatur in vim Catholicis illatam,

quâ Primatum successorum Sancti *Petri* negare coguntur, & ejus vice successores *Henrici octavi* substituere. Nam sub *Henrico octavo* primùm introductum est Iuramentum Primatus; sub eoque *Thomas Morus* & *Roffensis* supplicio affecti; idq; partim ob eam caussam, quòd Iuramentum illud recusarent. Ab eo deinceps omnes mei decessores quotquot sunt hanc religionem amplexi, idem sibi, aut non multò secus asseruerunt; atque in eo duntaxat Iuramento, absoluta Regis potestas supra omnes tam civiles quàm Ecclesiasticas personas continetur; omnibus peregrinis, tum Principibus, tum Potestatibus, à caussis cognoscendis intra ejus ditiones exclusis. Cujus nihil simile novissimum hoc Iuramentum continet, sed tantummodò civilem obedientiam subditorum erga Principem in caussis merè temporalibus attingit.

Ac quò meliùs innotescat, dum nominatim videtur novissimum hoc Iuramentum damnare, re verâ per vniversam epistolam nihil aliud agere, nisi ut Iuramentum Primatus exagitet; non à proposito putavi alienum, exemplum ejus ipsius Iuramenti subjicere, quo cuivis æquo lectori liberum esse possit judicare, an non planè & re verâ in Iuramentum Primatus tantummodò feratur, nisi quòd falsâ & ementitâ nomen claturâ rem causamque corruperit.

EGo A. B. palàm testor, & ex conscientia mea declaro, quod Majestas Regia, unicus est supremus gubernator hujus regni, omniumq; aliorum suæ Majestatis Dominiorum ac territoriorum, tàm in omnibus Spiritualibus sive Ecclesiasticis rebus aut caussis, quàm in Temporalibus: & quod nullus extraneus Princeps, Persona, Prælatus, Status, aut Potentatus, habet aut habere debet ullam Iurisdictionem, potestatem superioritatem, praeminentiam, vel auctoritatem Ecclesiasticam sive Spiritualem infra hoc Regnum; & proinde renuncio penitùs, & rejicio omnes extraneas Iurisdictionis potestates, superioritates, & authoritates: Et promitto, me deinceps fidem, & veram obedientiam Regiæ Majestati, ejùsque Hæredibus, ac legitimis Successoribus præstiturum: & pro virili mea adjuturum ac propugnaturum omnes Iurisdictiones, privilegia, praeminentias, & auctoritates Regiæ Majestati, Hæredibus suis, ac Successoribus concessas, vel debitas, sive imperiali hujus Regni Coronæ unitas & annexas. Ita me Deus adjuvet, & per hujus libri contenta.

Atque injustitia non minùs quàm error hujus tam crassæ hallucinationis liquidiùs appareat; statim post Iuramentum Primatus è re esse duxi hoc loco inserere conclusiones omnibus illis articulis contrarias, ex quibus hæc recens Iuramenti formula componitur; unde constet, quàm absurdis & planè proditoriis positionibus, omnes meos Subditos irretire & implicare velit, dum illos ab hoc Iuramento suscipiendo, prout conceptum est, arcere contendit.

Quicunque enim Iuramentum illud recusaverit, has sequentes Propositiones, vel saltem earum aliquot, necessariò tueatur opotet.

1. Quòd ego *Iacobus* non sim Rex legitimus hujus regni, aliarumque omnium mearum ditionum.

2. Quòd Papæ liceat me regno deponere, ex merâ suâ auctoritate; vel si non suâ, tamen auctoritate Ecclesiæ Sedisve Romanæ: Si non Ecclesiæ auctoritate vel Romanæ Sedis, tamen aliis mediis atq; aliorum subsidiis ei liceat me regno deponere.

3. Quòd Papæ liceat de regnis ac ditionibus meis pro arbitrio statuere.

4. Quòd penes Papam sit extraneó cuicunque Principi potestatem concedere invadendi ditiones meas,

5. Quòd Papæ liceat absolvere subditos meos à fide atq; obedientiâ, mihi debitis.

6. Quòd

6. Quód penes Papam ſit, licentiam concedere unî aut pluribus ex ſubditis meis arma contra me ferendi.

7. Quód liceat Papæ veniam dare ſubditis meis vim perſonæ meæ, aut dominiis, aut quibuſdam è ſubditis meis afferendi.

8. Quòd ſi Papa ſententiâ latâ me excommunicaverit, aut depoſuerit, non ſit liberum ſubditis permanere in fide atq; obedientiâ mihi debitâ.

9. Quòd ſi Papa me judicialiter excommunicaverit, vel depoſuerit, ſubditis non ſit liberum perſonam & coronam meam omnibus viribus ſuis defendere.

10. Quòd ſi Papa ſententiam aliquam aut excommunicationis aut depoſitionis contra me promulgaverit, ſubditi ex vi ejus ſententiæ nequaquam obligentur retegere omnes conjurationes aut proditiones contra me initas, quas vel audire vel nôſſe ipſis contigerit.

11. Quòd non ſit hæreticum, neque deteſtabile opinari, Principes à Papâ excommunicatos impunè deponi aut occidi poſſe à ſubditis ſuis aliiſve quibuſcunque.

12. Quòd Papa habeat poteſtatem abſoluendi ſubditos meos ab hoc Iuramento; aut ab ejus aliquâ parte,

13. Quòd Iuramentum hoc neutiquam adminiſtretur ſubditis meis, plenâ & legitimâ auctoritate.

14. Quód Iuramentum hoc ſuſcipiendum ſit cum æquivocatione, cum mentali evaſione, aut tacitâ reſervatione, & non ex animi ſententiâ, atq; ex initimo pectore in verâ fide hominis Chriſtiani.

Hi ſunt articuli ex variis Iuramenti partibus per Antitheſin eliciti. Quibus oppoſitæ Theſes, neque Pontificis Primatum in cauſſis Spiritualibus ullatenus attingunt, neque ullo unquam Concilio generali plenè finito concluſum & definitum eſt hujuſmodi in Reges poteſtatem ad Pontificis auctoritatem pertinere; Et ipſi denique eorum Doctores ſcholaſtici in explicabili quodam litigio, de iis inter ſe diſſident in hunc diem.

Atque ut clariùs adhuc (ſi fieri poſſit) perſpiciant univerſi, me & Regni Ordines, cùm hoc Iuramentum componeretur, non novum aliquid excogitâſſe, ſed & auctoritatem à Verbo Dei habuiſſe, & exemplum ſumpſiſſe à Iuramento fidelitatis, ante mille annos confirmato: cujus Iuramenti formulam illuſtre tum Concilium unà cum multis aliis ſuccedentibus, tantum aberat ut damnarent (id quod Papa hoc noſtro Iuramento factitat) ut cum inſtituto conjunctiſſimum eſſe duxerim illorum hic ipſiſſima verba deſcribere, quæ in eo negotio peragendo tam diligenter adhibuerunt; Ex quibus appareat, me à ſubditis meis in hoc Iuramento nihil aliud requirere, quàm quod accuratè admodum & diſertè, ut ab omnibus fieret ſine ullâ perſonarum exceptione, Concilia illa tum edixerunt. Sed nec in illo ipſo articulo æquivocationis, quam tam ſollicitè evitari hoc in Iuramento volui, minorem diligentiam dicta Concilia in ſuis Decretis ad eam profligendam adhibuiſſe videmus. Immò quod nos jam agimus, planè convenire & conſpirare cum eo quod illi tum egêrunt, in omnibus præterquam in hoc uno reperietur; Quòd antiqua illa Concilia rigore quodam & ſeveritate utantur, ut omnes ad ſe aſtringendos illo Iuramento cogant: cùm contrà, is, qui caput ſe Conciliorum jactitat, non minùs ſollicitè & ſeverè omnibus interdicat, ne hoc fidelitatis Iuramento ſe obligari patiantur.

Verba Concilii hæc ſunt.

Audi ſententiam noſtram. Quicunque ergo ex nobis, vel totius Hiſpaniæ populis, qualibet conjuratione vel ſtudio Sacramentum fidei ſuæ quod pro patriæ gentiſq; Gotthorum ſtatu, vel conſervatione Regiæ ſalutis pollicitus eſt, temeraverit, aut

Regem

Regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit; Anathema sit in conspectu Dei Patris & Angelorum, atq; ab Ecclesia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Christianorum alienus, cum omnibus impietatis suæ sociis: quia oportet ut una pœna teneat obnoxios, quos similis error invenerit implicatos.

Quæ Synodi sententia distinctè ter in eodem Canone simul, & eisdem ferè verbis iteratur; quâ tertiò reiteratâ, & assensu universi Cleri & populi rogato, tandem ab universo Clero & populo dictum est: *Qui contra hanc vestram definitionem præsumpserint, anathema, maranatha; hoc est, perditio in adventu Domini sint, & cum Iuda Iscarioth partem habeant ipsi, & socii eorum. Amen.*

Quin & in quinto Concilio continenter sancitum est, ut hoc decretum de juramento fidelitatis in omnibus deinceps *Hispaniæ* Conciliis inculcetur. Decreti verba sic habent: *Propter malarum mentium facilitatem & memoriæ oblivionem, hoc sacratissima statuit Synodus, ut in omni Concilio Episcoporum Hispaniæ, universalis Concilii decretum, quod propter Principum nostrorum est salutem constitutum, peractis omnibus in Synodo, publicâ debeat voce pronunciari. Quatenus sæpe replicatum auribus, vel assiduitate iniquorum mens territa corrigatur, quæ ad prævaricandum & oblivione & facilitate perducitur.*

Rursus in sexto Concilio: *Testamur coram Deo & omni ordine Angelorum, coram Prophetarum atque Apostolorum, vel omnium Martyrum choro, coram omni Ecclesia Catholica, & Christianorum cœtu, ut nemo intendat in interitum Regis, nemo vitam Principis attrectet, nemo regni eum gubernaculis privet, nemo tyrannicâ præsumptione apicem regni sibi usurpet, nemo quolibet machinamento in ejus adversitate sibi conjuratorum manum associet. Quòd si in quippiam horum quisquam nostrorum temerario casu præsumptor extiterit, Anathemate Divino perculsus, absq; ullo remedii loco habeatur condemnatus æterno judicio.*

Sed & adhuc in decimo Concilio (ut alia multa omittam, eaq; Toleti etiam habita) sic dicitur: *Si quis religiosorum, ab Episcopo usque ad extremum ordinis Clericorum, sive Monachorum, generalia Iuramenta in salutem Regiam, gentiisq; aut patriæ data reperiatur violasse voluntate profanâ, mox propriâ dignitate privatus, & loco, & honore habeatur exclusus.*

Iam verò occasionem præbuit Patribus de hoc juramento decernendi: quòd in suspicionem tum veniebant Christiani de fidelitate suâ erga Principes, atque quòd aut æquivocatione in juramento illo suscipiendo utebantur, aut saltem flocci non faciebant, servarent nècne semel susceptum; ut ex variis ejus Concilii sententiis elucescit. *Multarum quippe gentium, ut fama est, tanta extat perfidia animorum, ut fidelitatem Sacramento promissum Regibus observare contemnant, & ore simulent juramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem.* Ac rursus; *Iurant enim Regibus suis, & fidem quam pollicentur prævaricantur: nec metuunt volumen illud judicii Dei per quod inducitur maledictio multaque pœnarum comminatio super eos, qui jurant in nomine Dei mendaciter.* Ad eundem modum loquuntur Patres Concilii Aquisgranensis; *Si quisquam Episcoporum, aut quilibet sequentis ordinis Ecclesiastici, deinceps timore, aut cupiditate, aut qualibet suasione, à Domino & orthodoxo,* Ludovico *Imperatore defecerit, aut etiam Sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, & ejus contrariis malevolâ intentione se copulaverit, gradum proprium canonicâ atq; Synodali sententiâ amittat.*

Nunc verò ut sigillatim ejus epistolæ respondeamus; Principiô, quod attinet ad iucundam illam memoriam veteris consuetudinis cum Archi-presbytero, facilè credo non injucundam ei accidere illius recordationem. Illud interim est mihi exploratissimum, consortium ejus cum illo atque cum cæteris ex eodem sodalitio hujus Regni fugitiuis (de quo in primâ Præfatione Controversiarum ad lectorem gloriatur) nobis quidem, & huic genti satis acerbum

bum extitisse. Quidam enim ex eo numero Sacerdotum & Jesuitarum, qui & ipsi præcipui proditores erant,& proditionum gravissimarum fautores in nuper defunctam Reginam initarum, Patrem *Robertum Bellarminum* tanquam unum ex præcipuis suis vel auctoribus vel oraculis celebrare non dubitaverunt. Itaque sanè non invideo ei tantam gloriam, quam ex eo consequi potest, quòd cum transfugis & proditoribus alieni Regis tam arctum consuetudinis vinculum intercedere sibi jactitat: quos quidem si nihilo rectiùs instituerit, quàm hactenus fecit, existimo socios ejus eo nomine non multùm ei debere.

Quòd autem eum rogat, ut in precibus mentionem sui faciat ad altare Domini; Si Archi-presbyteri preces pro *Bellarmino* fusæ non plus afferunt subsidii ejus animæ, quàm *Bellarmini*, quod *Blackvello* dat consilium, ipsius & animæ & corpori salutare futurum videtur, si id sequi velit, non magnam jacturam faceret auctor hujus epistolæ, etsi *Blackvellus* pro eo nullus oraret.

Jam verò qui primus (quantum video) læto de Archi-presbytero nuncio *Bellarminum* beavit, is fuit, qui de ejusdem Archi-presbyteri tum comprehensione, tum appropinquante martyrio renunciavit. Magnum procul dubio argumentum mortificati Cardinalis animi, quòd gestiverit ita & exultaverit comprehensione, vinculis, morte etiam appropinquante, tàm cari, tamque vetusti amici. Sed oportuit priùs constitisse, religionem caussam fuisse horum suppliciorum, quàm martyrii ejus expectatione tàm vehementer triumpharet. Primùm enim, quânam lege charitatis ei licuit me pro persecutore habere, antequam id Archi-presbyteri tum condemnatio, tum mors ipsa palàm populo comprobasset? Vnde resciret ille, non fuisse comprehensum Archi-presbyterum, quòd affinis esset suspicioni proditionis pulverariæ? Quis certus ad eum nuncius pervenerat, de rebus iis omnibus, quæ Archi-presbytero objicerentur? Postremò, quânam divinatione suâ prædicere potuit, quo crimine accusandus esset? nam tum quidem nihil omnino ei objectum fuerat. Quòd si charitatem non oportet esse suspiciosam, quódnam illi tantum argumentum suppetebat, ut me persecutionis & tyrannidis indubitanter arcesseret, quod necessariò de me innuendum erat, siquidem *Blackvellus* martyr erat futurus? Verùm id omninò dici de *Bellarmino* jure potest in hac caussa, quòd *Christus* Servator noster de omnibus mundanis & carnem sapientibus pronunciat, qui satis se fecisse putant, si amicos suos diligant, inimicos odio habeant: siquidem haud ultra hanc metam Cardinalitia se diffundit charitas, quàm ut ad suæ sectæ homines tantùm extendatur. Quantum enim redundavit supervacaneæ in eo erga *Blackvellum* charitatis dum futurum ejus Martyrium contemplans lætatur; tantum mihi detractum est non minùs injustè atque inhumanè, dum me pro cruento habet persecutore.

Quòd autem hæc ejus lætitia imminuta proximo nuncio & interrupta est, qui de constantia Archi-presbyteri in juramento recusando jam labefactatâ & prostratâ retulit; nulla sanè caussa fuit vel prioris gaudii, vel hujus recèns oborti doloris, cùm ex æquo utrumque falso fundamento nitatur. Nam ut mihi nunquam in mentem venit aliquid in *Blackvellum* statuere, ut nec in alium quenquam, conscientiæ causâ, hactenus feci: sic *Blackvelli* constantia non nutavit, nec in hoc suscipiendo juramento vacillavit, cùm & nondum comprehensus id pro re licitâ semper habuerit; auctorque Catholicis omnibus fuerit, ne detrectarent; & post comprehensionem, nullam quæsierit moram, nec ullâ tergiversatione usus sit; sed simul ac oblatum est libenter susceperit, tanquam quod legitimum esse neutiquam ambigeret; idq; nec minis, nec blanditiis ullis admotis ad eum persuadendum, ut & ipse adhuc optimè testificari potest.

Quod ad modificationem juramenti & temperamentum attinet: nisi fortè quòd res in se æqua & licita, æquis & moderatis verbis optimè ei consentientibus

tibus descripta est,non video,cur hoc nomine juramentum reprehendat. Nulla enim modificatio verborum, jure nominetur *dolus & decipula Satanæ*; cum res ipsa tàm luculenta sit, tamque luculenter omnibus juraturis exposita, ut non aliud quicquam habeat molestius, iis verbis, quæ adhibentur in extremo, quibus æquivocatio vapulat, reservatioque mentalis. Quæ quidem exotica doctrina à Pseudo-catholicis recèns excusa meretur multò justiùs stratagema Satanæ vocari, quam in re clara & temperata,clara & conspicua oratio.

Sed quid nos novis hisce *rusticis* dicemus, de quibus cum Satyro meritò queri possumus,quod ex eodem ore & calidum simul spirent & frigidum? *Lutherum* enim omnesque scriptores nostros præfervidos & paulò liberiores arguunt vehementer,quasi cerebrosos, & Diaboli instinctu locutos: nunc verò, si nos temperatiùs moderatiusque loquamur, stratagema Satanæ è vestigio nuncupatur. Meritò idcircò cum Christo conqueramur, quòd nec canentibus nobis saltant,nec mœrentibus collachrymantur; adeòque; nec *Joannis* severitas, nec *Christi* lenitas iis placere potest, qui adstruunt Monarchiæ suæ super basin traditionum suarum, & non ædificant Christo super fundamentum Verbi, & infallibilis Veritatis ejus.

Sed quid illud sibi velit,quòd ita dictitat, Satanæ versutiam ibi adhibitam, idque eo duntaxat fine, ut fides Catholica subvertatur, & *Petri* Primatus labefactetur; non possum equidem, nisi *Bellarmino* ipso utar interprete, divinare. In universa enim hac epistola sua, nusquam verbum ponitur; quo demonstret, Primatum Sancti *Petri* ullà juramenti hujus parte attingi, si modò nudam *Bellarmini* assertionem exceperis, quæ non est tanti, ut si omnis luculentior desit probatio, satisfacere possit conscientiæ cujusquam vel mediocriter cordati. Ego enim,quantum mea mens assequi potest, sic statuo: non cœlum à terra longius distare, quàm professio obedientiæ civilis erga civilem Regem, differt ab iis omnibus, quæ Catholicæ fidei aut Primatui Sancti *Petri* quoquo modo sunt affinia. Etenim ad Catholicam fidem quod attinet, ecquod verbum in toto juramento illo reperitur, quod religionis caussam aut spectet, aut sonet? Fidei articulum profitetur? Num vel omnino ibi aut veræ aut falsæ Ecclesiæ nomen attingitur? Rursus quod spectat ad Sancti *Petri* Primatum; nescio cujus Apostoli ibi nomen nominetur, excepto *Jacobi* nomine, quo Cardinali non placuit in tota epistola me compellare; cum tamen ea, quæ scribit, ejusmodi sint, quæ me non leviter tangant modò, sed gravissimè feriant. Vllanè denique illic mentio fit, ac disertis verbis aut indirectè vel Hierarchiæ Ecclesiasticæ, vel successionis, vel sedis Apostolicæ Sancti *Petri*, vel consimilis rei cujuspiam? Nisi quòd auctor epistolæ hujus egregiæ meminit successionis Sancti *Petri*, eamque cum successione comparat *Henrici octavi*; cujus comparationis & ineptæ & petulantis atque procacis,miror eum non puduisse. Quod enim attinet ad successorem Regis *Henrici* (quibus verbis me denotat) equidem, sicut nec adhuc feci, nec postea facturus sum, ut novum quempiam Fidei articulum condere,aut de aliquo Fidei articulo judicem me constituere præsumam, sed exemplarem obedientiam præstabo, & omnibus Fidei articulis me submittam,non minori cum humilitate & modestia, quàm quivis Subditorum vel infimus: Sic si Pontifex æquè facilè probare posset, se vel à persona, vel à doctrina, Sancto *Petro* succedere atque ego continuâ serie Regum *Angliæ Scotiæq;* hæreditarium Successorem me probaverim; nunquam negotii tantum, neque tumultus fuisset ea de re in orbe Christiano excitatum; nec ipsi *Bellarmino* opus fuisset tantum chartæ commaculâsse de summo Pontifice disputanti in voluminibus illis ingentibus Controversiarum; & demum concludere cum morali quadam certitudine tantum, & cum illo suo *piè credendum*; introductis etiam Pontificum ipsorum, quorum tamen caussa agitur, authoritatibus in testimonium,

nium, qui certè tanti ponderis non sunt ut eorum historica narratio, articulus nostræ Fidei esse mereatur. Illud interim citra arrogantiam affirmare posse, videor, me ad majorum meornm res præclarè gestas propiùs accedere, quàm de hodiernis Pontificibus probari facilè posset, *similes esse Petro*, præsertim in Regibus anathemate percellendis, & subditis à fide sua erga Principes absolvendis.

Sed ad firmissimum ejus argumentum accedimus; quod in eo positum est, ut mihi Panicum terrorem affingat, ac si frustrà metuerem, ait enim Cardinalis, *Non est unquam auditum ab initio nascentis, Ecclesia usq; ad hac nostra tempora, quòd ullus Pontifex, Principem ullum, quamvis Hareticum, quamvis Ethnicum, quamvis persecutorem cadi mandaverit, aut cadem fortè ab aliquo patratum probaverit.*

Verùm primò, cur volens & de industria hîc præterit reliquos articulos juramento illo comprehensos; puta depositionem, abdicationem, incitationem ad arma, rebellionem denique contra Reges, quæ omnia non minùs quàm cædes, illo in juramento memorantur? Quippe cùm hæc omnia eòdem tendant, & quatenus à subditis tentantur contra Regem, nihil differant; cùm nemo tàm teneræ & scrupulosæ conscientiæ subditus existat, qui si alterum effecerit, alterum siquidem vires suppetant, sit recusaturus. Neque tamen irasci ei possum, quòd rem tacitus prætererit, cùm aliter effugere nullo modo potuerit, quin liquidò & apertis verbis sibi ipse contradiceret, quod nunc re tantùm, & ex consequenti facit. De depositione enim Regum & abdicatione per Pontificem, ita se magnificè venditat in libris suis Controversiarum, ut hîc negâsse non esset liberum, nisi cum honestate pudorem exuisset.

Sed ut redeamus ad cædes Principum à Pontificibus approbatas; nescio quâ fronte, hoc contrà quàm ipse novit, tàm audacter inficietur. Quàm multis enim Imperatoribus bellum à Pontifice excitatum est intra sua ipsorum viscera? Qui cùm essent victi in prælio, eâ conditione erant, ut & occidi possent: quod si contigisset, non potuisset (opinor) Pontifex illud non approbâsse, qui ita succensuerit *Henrico Quinto*, quòd patris sui corpus mortui sepeliverit, postquam eum Pontifex ad rebellandum contra patrem incitâsset, & auctor ipsi cladis fuisset. Sed veteres has historias ipsi *Bellarmino*, ejusq; liberis relinquentes, in quibus abundè, ut dixi, & authenticè descriptæ sunt; ad nostra tempora oculos convertamus, in iisque recordemur Panegyricam orationem à Pontifice habitam in conclavi: in qua laudes & ipsius sceleris celebrat & Monachi, qui *Henricum* Regem Christianissimum istius nominis tertium vitâ privavit: qui Rex tamen tàm longè abfuit, ut aut hæreticus, aut ethnicus, aut persecutor opinione illorum esset; ut Pontifex ipse in illa oratione de eo pronunciet hæc verba; *Quòd verus monachus fictum occiderit.* Præterea ac si satis non fuisset idem scelus oratione tàm vehementi, & congratulatione illustrâsse; quàm parum abfuerit, quin parricida Monachus in numerum Divorum propter hoc suum tam gloriosum facinus referretur, *Bellarmino* ejusque sodalibus notius est, quàm mihi: Tamen hoc mihi notum est, quòd nisi quidam è Cardinalibus in illo negotio, majore prudentiâ & circumspectione usi fuissent, quàm ipse Pontifex; fasti ipsi Pontificii, in quos relati sunt Divi, nobis tacentibus, *Bellarminum* manifesti mendacii coarguissent.

At ut propiùs adhuc ad nosmetipsos accedamus, quàm multa molimina & insidiæ contra Reginæ nuper defunctæ vitam comparatæ sunt, quæ omnia expresse per Confessarios suos nefariis illis proditoribus, approbante Pontifice, imposita sunt & injuncta. Ad quam veritatem confirmandam, non est opus alio argumento; quàm quòd nullus Pontifex ex eo tempore usque ad hodiernum diem, quemquam Ecclesiasticum in quæstionem vocaverit, quòd tàm

ſceleratis conjurationibus ſe immiſcuerit. Immò ſanctus ipſe *Sanderus*, is cui *Bellarminus* in ſuis literis tantum honoris tribuit, hoc; ſi viveret, eſſe veriſſimum comprobaret: cujus libros perlegerit, non aliâ doctrinâ, quàm hâc ipsâ, refertos inveniet. Et quodnam diſcrimen ſit, Regemne quis occidat, aut occiſum ab aliis approbet, utrum auctor, an hortator occidendi ipſe ſit; denique utrum alios ad cædem incitet, an incitatis annuat; has & hujuſmodi diſtinctionum ſubtilitates *Bellarmini* ipſius judicio remittimus. Ex hiſce tamen, quæ diximus manifeſtò apparet, quàm mirè hujus hominis impotentia & affectus eum tranſverſum abripuerint, & talia contradictione ſe irretire atque implicare coëgerint, ut & ſuæ notitiæ ac conſcientiæ, teſtimoniis tot librorum ſuorum & denique hujus temporis apertiſſimæ conſuetudini adverſetur.

Verùm quis miretur ipſum ſibi in hac cauſſa contradicere, cùm ingentia illa volumina contradictionibus undique ſint referta? quas cùm ipſe, aut alius quiſpiam conciliare potuerit, tum demum hanc quoque impudentiſſimam inficiationem (de Pontificibus nihil unquam contra Principes tentantibus) quam adhibet in epiſtola, cum ſuperioribus ejus libris (ut antè diximus) facilè conciliari poſſe credam.

Jam verò ne & illum imitari videar, ea temerè affirmans, quæ nuſquam probem; ad ipſius libros & locos, quos hìc deſcribam, lectorem ablegabo, ut de contradictionibus hominis, libri ipſi ſine me teſtificentur.

In libris ſuis de Juſtificatione affirmat, quòd *propter incertitudinem propriæ juſtitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutiſſimum eſt, fiduciam totam in ſola* DEI *miſericordiâ & benignitate reponere.*

Quæ ejus aſſertio è regione contraria eſt toti tractationi, & quinque illorum de juſtificatione librorum inſtituto, in quibus tamen libris, ea, quæ jam citavi verba continentur.

DEUS non inclinat hominem ad malum, neq; phyſicè, neq; moraliter.

Mox contrarium affirmat, quòd *DEUS inclinat quidem ad malum, non phyſicè, ſed tamen moraliter.*

Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere, Presbyteros autem ſeptuaginta Diſcipulis, docent conſtanter omnes Patres.

Sed & contrarium affirmat, quòd *Epiſcopi non propriè ſuccedunt Apoſtolis.*

Judas, inquit, *non credidit.*

At contradicit alibi: *Judas juſtus fuit, & certè bonus.*

Obſervatio Legis ſecundùm ſubſtantiam operis requirit, ut ſic Præceptum obſervetur, ut peccatum non committatur, & non fiat homo reus ob Præceptum non impletum.

Contra, *Sciendum eſt, non eſſe omninò idem, facere bonum morale, & obſervare Præceptum ſecundùm ſubſtantiam Operis: poteſt enim ſervari Præceptum ſecundùm ſubſtantiam Operis, etiam cum peccato.*

Petrus *non amiſit eam fidem, quâ corde creditur ad juſtitiam.*

Contrà, Petri *peccatum fuit lethale.*

Antichriſtus Magus futurus eſt, & more aliorum Magorum occultè Diabolum ipſum adoraturus.

At contrà, *Abhorrebit ab idololatria, execrabitur atq; oppugnabit idola, deniq; templum denuò ædificabit.*

Verbis conſecrationis, vera & ſolennis oblatio celebratur.

Contrà, *Sacrificii oblatio magis in re quàm in verbis conſiſtit, & illa actio, quâ corpus Domini ſuper altare ponitur, vera & realis oblatio eſt.*

Mundi finis non poteſt ſciri.

Contrà, *Poſt Antichriſti mortem non futuri ſunt, niſi quadraginta quinq; dies, uſq; ad mundi finem.*

Decem

Decem Reges comburent purpuream meretricem, id est, Romam.

Contrà, *Antichristus Romam odio habebit, & pugnabit contra eam, & comburet.*

Duobus modis intelligi potest nomen universalis Episcopi: uno modo, ut ille, qui dicitur universalis intelligatur esse solus Episcopus omnium urbium Christianarum, ita ut cæteri non sint Episcopi, sed Vicarii tantùm illius, qui dicitur Episcopus universalis: quo sensu Papa non est universalis Episcopus.

Contrà, *Omnis ordinaria jurisdictio Episcoporum descendit immediatè à Papa, & est in eo, & ab eo in alios derivatur.* Quos ego paucos è multis consimilibus selegi locos, ut prudens lector *ex ungve Leonem* dignoscat. Hoc enim in *Bellarminianis* scriptis, inter legendum sæpiùs observavi, cum quotiescunque graviori aliquâ objectione premitur, quæ ipsum vellicet & pungat, nihil morari, nec meminisse, utrum argumenti solutio, doctrinæ suæ alibi traditæ sit contraria, dummodò ei pro tempore inserviat, & effugio esse possit, quò præsentem procellam declinet.

Nunc autem ut eò redeamus, unde digressi sumus; *Neq; enim*, inquit, *auditum est unquam ab initio nascentis Ecclesiæ usq; ad hæc nostra tempora, quòd ullus Pontifex Maximus Principem ullum quamvis hæreticum, quamvis Ethnicum, quamvis persecutorem cædi mandaverit, aut cædem fortè ab aliquo patratam probaverit. Et cur quæso unus Rex* Angliæ *timet, quòd ex Christianis Principibus nullus timet, nullus timuit?* Quid audio? Nullinè unquam Imperatores, aut Reges Christiani sibimet à Pontifice timuerunt? Quomodo igitur miseri Imperatores isti, quos jam dicam, inquietati sunt per Pontifices atque jactati, tandem etiam penitùs per eosdem subversi perierunt? In cujus rei testimonium, jamdudum citavi *Bellarmini* libros. Nunquid non timuit Imperator ille, qui triduum expectavit ad januam Pontificis summo gelu & nivibus, antequam ei aditus pateret? Nunquid & ille Imperator non timuit, qui pronus in ventrem procubuit, dum alius Pontifex cervices ei conculcaret? Quid? Ille etiam Imperator parumnè timuit cui tertius quidam Pontifex Regni Diadema de capite pedibus deturbavit? Annon & *Philippus* timuit, de quo, cum Imperator invito *Innocentio tertio* creatus esset, Pontifex in hanc vocem erupit, *Aut Pontifex* Philippo *Diadema, aut* Philippus *Pontifici insigne Apostolicum adimet?* Quo dicto Pontifex *Otthonem* in eum incitavit, qui eum postea interimendum curavit. *Ottho* autem cæde factâ *Romam* venit, & Imperator à Papa inauguratus est, quamvis posteà ab eodem, imperio etiam dejectus. *Fridericus* annòn timuit, cùm eum *Innocentius* excommunicaret, regno privaret, Principes à juramento fidelitatis ei dato absolveret, denique in *Apulia* quendam subornaret, qui eum veneno extingueret? Quo tamen hausto cùm convaluisset, conduxit *Manfredum* filium ejus nothum, qui venenum ei daret, quo sumpto mortuus est. Quid autem *Alexander* tertius scripsit *Sultano?* Vt si absque molestia vellet vivere, aliquâ ratione tollendum de medio Imperatorem curaret: quâ gratiâ misit ei Imperatoris imaginem picturâ expressam. Quid *Alexander* ille sextus? nonnè ducenta millia aureorum à *Bajazete* Turcâ accepit, ut eâ mercede fratrem ejus *Gemen* vel (ut quidam appellant) *Sisimum* necaret, quem *Romæ* tum captivum tenebat? nonnè conditiones oblatas amplexus est, & peractâ cæde pecunias accepit? Quid *Henricus* noster ejus nominis secundus? nonnè timuit post occisum *Thomam Becketum?* qui præterquam quòd nudis pedibus religionis ergò peregrinatus est, virgis etiam pœnas in Sacrario, tanquam in schola puer dedit; lætus, quòd nihil gravius pateretur. An non timendi caussa fuit Regi *Joannis* Regis *Galliarum*, qui nunc est proavo, cùm régnum *Navarræ*, quod ipsius jure fuerat, Pontifex ab eo in *Hispanum* transferret, cujus regni dimidium Rex *Hispanus* hodieque obtinet? An non is, qui nunc regnat pronepos ejus, jure timuit; cùm se ab excommuni-

cationis vinculis relaxari tàm suppliciter obsecraret, ut Legatum suum *Romæ* virgis cædi, pœnitentium more, passus sit? Quid? *Elizabetha* Regina, nonnè erat quòd sibi caveret, cùm à *Pio* Quinto excommunicata est, subditi ejus à fide & obedientia quam ei debebant absoluti, Regnum *Hiberniæ* ab ea ad Regem *Hispaniæ* translatum, ac denique nobilis ille fugitivus Theologus, & purpureo ut nunc *Bellarminus*, galero decoratus, non est veritus *Stanlejanæ* proditionis apologiam publicare, in qua illud defendit, quòd quandoquidem excommunicata esset Regina & Hæretica, non solùm liceret jam ejus subditis, verùm etiam conscientiæ nexu tenerentur, nudare eam omni quo possent præsidio, & sive exercitus, sive oppida, sive arces & propugnacula ejus obtinerent, Regi *Hispano* hosti tradere, Reginâ jam nihil habente proprium aut suum?

Nam etiamsi verum sit, sapientes alieni periculi exemplo proposito excitari, ut sibi caveant, sibique prospiciant, juxta tritum illud sermone proverbium:

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet:

mihi tamen periculum in personam meam intentatum stimuli, vel potiùs classici cujusdam canori, instar fuit, ut caverem. Primò quidem Bullarum promulgatione excitatus, quarum memini suprà, quibus omni sum Regni, sceptrique aditu prohibitus. Deinde ubi intravi, plenamque possessionem adeptus sum, horrendâ illâ conjuratione pulverariâ, quæ me meosque omnes, & Regno & vitâ penitùs spoliatura fuisset. Vtut autem Pontifex omni ratione se pugnare laboret, quò minus ejus adminiculis fulta conjuratio illa fuisse videatur; tamen negari non potest, primarios ejus in hoc Regno administros, & præcipua mancipia Jesuitas, ipsissimos illius auctores & duces extitisse. Quorum is, qui Princeps fuit cohortis, mortuus est in confessione facinoris; alios conscientia egit in fugam: nonnulli etiam in ipsam Italiam penetrârunt. Neque tamen, aut illi, qui Regnum hoc fugâ deseruerunt, aut *Balduinus*, qui quanquam substitit in *Belgio*, laboravit tamen nihilominùs conscientiâ sceleris, unquam sunt in jus à Pontifice vocati, nedum pœnâ ab eo affecti, quòd in tàm turpe & nefarium facinus consensissent.

Quæ cum ita sint, quid illâ opus est vel admiratione, vel exclamatione, *Vnus Rex Angliæ timet, quòd ex tot Christianis Principibus nullus timet, nullus timuit?* Quasi vero eloquentia suâ præpotente efficere posset, ut aut ego, aut fideles mei subditi non credamus sensibus nostris, solem meridie lucere negemus; nec verò ad illius jam incantationes cum serpente, sed ad evidentem & conspicuam rerum veritatem aures obturemus. Neque tamen quantumcunque stupens miretur, Panicum hunc terrorem esse, quo laboro, unquam evicerit. Egóne à Papa meam aliquando securitatem flagitavi? Numquid alios Principes Christianos amicos meos & necessarios cohortatus sum, ut Papam pro me interpellarent? Vllamnè opem aut præsidium ab ipsis unquam emendicavi, quò incolumitati meæ consuleretur? Nihil minùs: adeóque totum hoc, quod *Bellarminus* tantoperè miratur, & quòd tanquam inauditam timiditatem exagitat, eò tantùm tendit, ut quòd sapientis est Pastoris, oves ab hœdis in meis pascuis discriminem. Nam cùm illud constet, sive Pontificis aliquæ partes in proditione pulverariâ, sive nullæ fuerint; tamen nefarios parricidas, qui pœnas dederunt, usque ad mortem suam professos esse, zelum duntaxat religionis caussam sibi fuisse tàm diri facinoris aggrediendi: imò cùm nonnulli ex iis, ne in morte quidem adduci potuerint, ut veniam criminis, aut à DEO, aut à meipso peterent, aliosque è sociis suis ad parem constantiam animârint; an non magna caussa fuit mihi & Ordinibus Regni, hoc oblato juramento subditos bonos à perditis, tanquam notâ, quâdam secernendi? Imò verò internoscendi inter illos ipsos è Papistis, qui quamvis incensi essent studio religionis suæ, tamen alioqui boni

cives

cives & probati erant; atque illos, non quidem homines, sed furias & faces infernales, qui iisdem principiis imbuti videbantur, quibus ipsius proditionis Principes erant innixi? Immò, quidnam à Rege benignius, (absit verbo jactantia) fieri potuit erga contrariæ religionis sectæq; homines, quàm ut hoc interposito Iuramento, fidem suam & integritatem in civilibus negotiis Regi sponderent, atque ita crimen illud & grave dedecus eluerent; quo omnes illarum partium Professores premebantur noxâ & contagione eorum, qui pulverarium parricidium conflassent?

Quòd autem illustrat invictum illud suum argumentum, adductâ per similitudinem *Iuliani* Apostatæ historiâ, illiusque ratione agendi cum Christianis, cùm in eas angustias illos concluderet, ut aut Idololatriâ, aut proditione se illaquearent; vellem meminisset hic noster Auctor, quanquam cuivis similitudini concessum esse ajunt, ut uno pede claudicet: tamen hanc similitudinem perperàm omninò electam, ut quæ & pedibus, & manibus, & omnibus omninò membris capta sit. Ostendam enim, idq; paucis, ne hilum quidem congruere cum præsenti instituto, præterquam in eo, quòd *Iulianus* Imperator fuit; ego, in quem hæc conferuntur, Rex. Principiò, *Iulianus* fuit Apostata, totiq; fidei Christianæ renunciavit, quam olim professus fuerat, & denuò in Ethnicum, vel potiùs in Atheum conversus est: Ego Christianus sum, nec unquam eam quam propemodum cum lacte imbibi, religionem deserui, nec me professionis meæ aliquando puduit. *Iulianus* Christianis infestus fuit, tantummodò quòd in confessione caussæ Christi perstarent: Ego hac in re cum subditis agens, id tantùm specto, ut nota extet aliqua, quâ distingui possit inter subditos fideles & perfidos. *Iuliani* finis fuit Christianorum eversio: Mihi finis non alius, quàm Fidem Christianam in tranquillitate atque otio tueri. *Iulianus* eò tendebat, ut homines impelleret ad idololatriam: Ego eò tantùm ut subditos meos alliciam ad manifestam professionem naturalis fidei, ac civilis obedientiæ hàc velut tesserâ obsignandem. *Iulianus* eam rationem præ cæteris inivit, ut subreperet in cautis, & non cogitantes irretiret: Tota mea hac in re ratio, plana est & evidens, omniq; obscuritatis integumento vacat. Siquidem nulli unquam eorum qui ad jurandum vocarentur, deliberandi, commendandique de eo in quod juraturus esset tempus negavi. Et, si quis fortè interpretationem requireret, eam quæ jure cuivis satis faceret, admisi. Sed summa dissimilitudo in eo vertitur, quod *Iulianus* eos impulit ad Idololatriam, statuis imaginibusq; colendis: Ego, omnesque mei subditi, qui de religione juxtà mecum sentiunt, tam longè absumus ab hac culpâ ut à vobis hæretici vel eo nomine censeamur, quòd ab idololatriâ patrandâ tam longè refugiamus: adeò ut in eo quod præcipuum est, præcipua etiam contrarietas existar. Nam *Iulianus* persecutionem movit Christianis, propterea quòd idololatriam nollent committere: Ego autem à vobis pro persecutore habeor, quòd idololatriam nolim admittere. Vt ergo concludamus hunc locum, rectè omninò quadrat in *Bellarminum* tam ineptà similitudine utentem, vetus illa sententia, *Perdere quos vult Iupiter, hos dementat.*

Itaq; non sequitur ejus conclusio illa tam aliena à charitate, sibi videri *ea fraude compositum esse hoc iuramentum, vt nemo detestari proditionem in Regem, ciuilemque subiectionem profiteri possit, quin & Primatum sedis Apostolicæ perfide abnegare cogatur.* Sed quonam modo delirum hoc figmentum ex eius cerebro enatum sit, non possum perspicere Id enim intelligo, quod & sæpe dixi, nunquam eum hoc probare vel conari quidem: imaginationi autem occurrere quæ nulla nititur probabilitate, est cum euanidâ vmbrâ velle luctari. Id quidem nemo negat Christi servos permultos tam Sacerdotem quam alios, genus omne tormenti constanter pertulisse, atque adeo mortem ipsam pro Christi confessione oppetiisse. Itaq; exemplis eius omnibus, quæ pro huius rei confirmatione adducit, non aliter mihi nunc opus est respondere, quam si monuero Sophistæ partes ab ipso actitari in his omnibus exemplis constantiæ martyrum inculcandis, dum *Controuersum* semper accipit *pro confesso*; quasi nihil inter illam caussam & hanc nostram interesset.

Sed tamen quò faciliùs lector cognoscat, non solùm quàm ineptè similitudines illas adhibeat, verùm etiam quàm turpiter in locis omnibus quos citat sese gerat: non alienum putavi loca ipsa describere quæ ab eo citantur, unà cum brevi pericope quadam genuini status particularium caussarum iis locis comprehensarum. Ex quo facilè manifestum fiat, quàm parum hæc exempla caussam nostram attingant; immò verò è contrario, quàm præclarè instituto nostro inserviat vera eorum sententia, sic ut ea tanquam tela retorquere jure possimus in illum ipsum qui intorsit.

Ac primò quidem quod *Eleazarum* attinet, si Archi-presbytero ratio esset recusandi Iuramentum à Rege oblatum tam bona tamque justa, quàm fuit *Eleazaro* curâ porcinis carnibus gustandis abstineret; adhiberi à Cardinale non sanè inscitè posset hoc exemplum, ad suum institutum comprobandum. Nam ut *Eleazarus* Scriba fuit primarius; sic Arch-presbyter primarius Sacerdos est. Vt *Eleazari* exemplum permagnam vim habuit ad juniores Scribas animandos uti Legem servarent, vel si ille simulatè comedisset, ut eos quoque ad simulationem instrueret: sic exemplum Archi-presbyteri plurimum valet, ut inferiores Sacerdotes vel ad suscipiendum Iuramentum hoc alliciat, vel etiam à suscipiendo deterreat. Sed cùm fundamentum malum sit ac vitiosum, ædificium superimpositum non potest ullo modo esse diuturnum. Quod enim exemplum, quæso, reperitur in universâ sacrâ Scripturâ, quo recusatio Iuramenti à Rege oblati, vel detrectatio obedientiæ erga Regem præstandæ, stabiliatur? Posset autem Cardinalis, si vellet, reminisci, quòd cùm ab Ecclesiâ lex fertur, verbi gratiâ, de carnibus per certos dies non gustandis, qui obtemperare legi detrectat, eum justam Ecclesiæ censuram incurrere. Quòd si ita comparatos esse homines oportet, ut emori omninò malint, quàm vel minimam ex ceremonialibus Dei legibus infringere: & macerare corpus potiùs, quàm positivam Ecclesiæ legem violare; nónne vicissim eam veniam daturus est Archipresbytero, ut & animam suam à peccato, & corpus à supplicio purum intactumque custodiat, politicis Regis legibus observandis? Nonne concedet, ut bono quasi prælucens exemplo, firmam in nobis opinionem ingeneret, fore ut similem obedientiam sacerdotes inferiores pari alacritate præstent? Atque hæc ut mihi quidem videtur, applicatio non paulò rectiùs congrueret cum exemplo Cardinalis.

Sed tamen caussam non video quare Cardinali memoriam non refricem de alio Iuramento quodam à Rege olim populis suis imposito, quo & suam ipsius vitam in discrimen adduxit, & totius exercitus salutem periculo exposuit: cùm manè populum jurare cogeret, se cibi nihil sumpturos ante noctem; cujus Iuramenti observationem adeò rigidè postea exegit, ut filius ejus natu maximus *Ionathan*, Regnique hæres, vitam propè amiserit, quòd contra eam legem fecisset, paululumque mellis summâ virgâ gustâsset: etsi ille quidem nesciebat talem aliquam omnino legem latam. Et nostrum hoc Iuramentum, præsertim tam justâ premente occasione natum, pro certâ meâ meorumque posterorum incolumitate, quo populus arceretur ne amarum illud poculum Antichristianatum scortationum ita ebiberet, quin tantulum modò mellis in cordibus retineret, quantum satis esset ad arguendum, eos desponsatos mihi manere in conjunctissimo illo obedientiæ vinculo; hòccine, inquam, Iuramentum nostrum à vobis ad inferos usque amandabitur, & Satanæ jam stratagema dicetur? Nihil addo, si priùs tamen hoc dixero; sortem à Deo datam ad illud Iuramentum *Saulinum* tum sanciendum, & vestrum hoc judicium, quo hoc nostrum Iuramentum infamandum censuistis, non ex eodem utraque gremio prodiisse.

Venio

Venio jam ad ejus exemplum de *Basilio*, adeò scilicet, ut ille præ se fert, caussæ suæ accommodatum. Primò autem observandum hîc est, si Cardinalis usitatum & familiare sibi artificium omitteret, quo in omnibus utitur citationibus, quodq; in eo consistit, ut si quid pro ipso facit assumat; relinquat, siquid adversatur & officit: & auctoris sensum non minùs quàm verba afferret, haud ita difficile nobis foret, antiquis Patribus quos contra nos profert, respondere. Exemplum ejus quod dico petamus, si placet, ab hoc ipso loco: Si verbis *Theodoreti*, quæ hîc citat, sequentia attexuisset, in eam sententiam proximâ planè lineâ incurrisset, quæ non paulò majores vires habet ad hortandum Archi-presbyterum uti Iuramentum suscipiat, quàm ad dehortandum ac deterrendum. Sequitur enim verbis omninò proximis, *Imperatoris quidem amicitiam magni se pendere cum pietate; quâ remota perniciosam esse dicere.* Sed ut omnes dispiciant utrì nostrûm plus faveat præsens hic locus, mihine, an illi; auctoris consilium paucis aperiam.

Valens Imperator, ut qui esset *Arrianus*, cùm instigente uxore Ecclesias omnes Pastoribus suis nudâsset, *Cæsaréam* venit; quem locum Sanctus tum *Basilius* regebat Episcopus, qui, ut habet historia, *lumen orbis terræ* habebatur. Antequam autem eò veniret Imperator, misit Præfectum suum, qui Sanctum *Basilium* verbis induceret, ut cum *Eudoxio* (qui Episcopus *Constantinopolitanus* tum fuit, princepsque Arrianæ factionis) communionem servare vellet: si verò renueret, non dubitaret rectà eum pellere in exilium. Hic præfectus Imperatoris cùm *Cæsaréam* venisset, *Basilium* ad se accersitum honorificè tractavit, blandè allocutus est, denique rogavit ut tempori cederet, nève utilitatem tot Ecclesiarum periclitari sineret *tenui exquisitione dogmatis.* Porrò & de Imperatoris gratiâ conciliandâ benignè ei pollicitus est, operamque suam obtulit, si quid esset in quo gratificari ipsi posset. Respondit ad hæc omnia Sanctus *Basilius*, *Illecebras has sermonis esse, & pueris quidem capiendis idoneas, inhiantibus ad palpum: Illos verò qui Divinis innutriti essent literis, nunquam omninò pati posse, ut earum una syllaba in discrimen veniret, adeoq; si opus esset, nullum genus mortis pro illis subeundum recusaturos. Imperatoris quidem amicitiam magni se pendere cum pietate; illâ remotâ, perniciosam esse.*

Sic se habet veritas historiæ. Iam verò comparet qui vult caussam Sancti *Basilii* cum causâ Archipresbyteri. *Basilius* illectus est ut *Arrianis* consentiret; Lis nulla mota est Archipresbytero de caussis fidei. *Basilius*, nisi verbum ei Divinum obstitisset, Imperatori libens obtemperasset: Cum Archipresbytero illud agitur, ut obtemperare non nolit, quandoquidem id ab eo verbum Dei exigit. *Basilius* permagni fecit gratiam Principis, si salvâ pietate eam promereri potuisset: Archi-presbyterum hortatur Cardinalis, ut eam rejiciat, etsi consentaneum pietati sit, ut amplectatur. Sed ut nihil planè non tentet, quò miserum Archi-presbyterum obruat & pessundet; non satis habet constantiæ & fortitudinis præcepta ei decantare, propositis, *Eleazari* & *Basilii* exemplis, nisi lapsum ejus comparans cum lapsu Sancti *Petri*, itemq; *Marcellini*, penitus eum exanimet. Quorum quidem duorum, *Petri* inquam, & *Marcellini* longè formidolosissima fuit conditio, (si utriusque personas & gradus spectes) ex omnibus qui aut in Scripturæ divinæ voluminibus occurrunt, aut in Ecclesiasticâ totâ historiâ memorantur. Alter enim unicum verum Deum abnegavit: alter Dominum & Servatorem nostrum *Iesum Christum*. Alter idolis immolavit profanæ Gentilitatis more: alter cum Iudæis contumacibus Dominũ & magistrum suũ ejuravit. Quòd nisi id agit Cardinalis, ut conscientiã Archi-presbyteri terrefaciat, aut ipsum in desperationis voraginẽ præcipitet, nescio profectò quor-

quorſum comparationem ejuſmodi inſtituat. Illud tamen certò ſcio neminem, niſi qui ipſorum poculo dementatus eſt, non vehementer miraturum, cùm audierit Iuramentum obedientiæ ac fidelitatis erga Principem, cum apoſtaticâ abnegatione Dei Opt. Max. aut *Chriſti* Domini ejuratione in comparationem aliquando venire potuiſſe.

Sed ut omittamus differentiam δὶς διὰ πασῶν utriuſque cauſſæ (ſimulque æquiparationem illam ſatis præpoſteram Sancti *Petri* Eccleſiæ capitis, ut ipſi perhibent, & Papæ Apoſtatæ) miror eum uti voluiſſe hoc exemplo *Marcellini*; cùm frater ejus Cardinalis *Baronius*, itemque noviſſima Conciliorum editio *Binniana* toti huic hiſtoriæ fidem abrogare videantur. Ajunt enim *& clarè refutari poſſe, & probabiliter oſtendi, hiſtoriam duntaxat obreptitiam eſſe; niſi quòd* (*inquit* Baronius) *non facilè recedendum eſſe putamus ab eâ ſententia, quæ communi hactenus conſenſu credita eſt.*

Quòd ſi liberæ eſſent conjecturæ, non recusâſſet, opinor, ne ipſe quidem Cardinalis in eorum quos dixi ſententiam pedibus concedere, niſi una & altera clauſula eum remoraretur in Concilio illo *Sinueſſano*, quippe ipſius inſtitutis valde accommoda. Quarum prior hæc eſt: *Prima ſedes à nemine judicatur*; Nec non altera conſimilis, *Iudica cauſſam tuam, noſtra ſententia non condemnaberis.* Verùm enimvero, cur Concilium præſertim magnum, ut ille hoc appellat, trecentorum Epiſcoporum, præter alios qui tum aderant, cogeretur, qui priuſquam convenirent, certò ſcirent nihil ſe jure agere poſſe? Itaque & cùm jam congregati eſſent, cuculorum duntaxat more eandem cantilenam ſuam ſæpiùs iterabant, quòd *Prima ſedes à nemine judicatur*, & poſt tridui ſeſſionem (longum profectò tempus magno inprimis gravique Concilio) re infectâ diſceſſum eſt. Et tamen ita fingitur, ſeptuaginta & duos teſtes, contra ipſum productos, eoſque Excommunicationi ejus ſubſcripſiſſe, & ſuo ipſum ore contra ſe pronunciâſſe *Anathema maranatha.* Quæ tam abſurdæ contradictiones ut conciliari poſſint, ablegandus eſt mihi Cardinalis hìc noſter *Venetias* ad Patrem *Paulum*, qui in Apologiâ ſuâ adverſus oppoſitiones Cardinalis valde eruditè diſſeruit.

Sed ab uno Pontifice ad alterum tranſeamus. Nam quem locum in articulis Fidei ac religionis hoc Iuramentum habeat, jam ſatis demonſtratum eſt. Cur *Gregorium* Apoſtolum noſtrum vocârit, neſcio; niſi fortè quòd *Auguſtinum* alioſque cum eo monachos huc in *Angliam* legâvit, qui nos ad Chriſti fidem traducerent. In quo utinam qui hodie ei ſuccedunt Pontifices, exemplum ejus imitari vellent. Etſi enim divinâ (ut quidem ait) revelatione, eos in *Angliam* miſerit ad Regem *Ethelbertum*; tamen cùm huc appuliſſent, nullam exercuerunt muneris ſui partem, niſi pace permiſſuque Regis. Eodem modo Rex *Lucius* miſit ad *Eleutherium Gregorii* anteceſſorem in Pontificatu, eique *Eleutherius* varios viciſſim delegavit Epiſcopos, qui omnes locum ſuum in hac provinciâ Regis auctoritate obtinuerunt. Hi & ad fidem convertêre gentem noſtram, & Regi parendum eſſe docuêre. Quòd ſi hodierni Pontifices his inſiſtere vellent majorum ſuorum veſtigiis, equidem nec transfugas alieni Principis foris exciperent, nec eoſdem rurſus domum remitterent (non ſolùm abſque ullâ veniâ Principis, verumetiam manifeſtò contra ipſius leges) cum conſiliis proditoriis, & doctrinâ meram rebellionem ſpirante, ad ſubditos abſolvendos ab obedientiâ ſuâ erga legitimum ſuum Regem & Principem. Neque verò tam crudeles eſſent erga ſua ipſorum mancipia, ut cum his mercibus eos dimittentes, & ſuſpectos eos Reipub. redderent, & in certum vitæ diſcrimen adducerent.

Iam quod attinet ad Apoſtolum noſtrum (quoniam quidem placet Cardinali hoc eum nomine inſignire) equidem ita mihi perſuadeo, rem utilem Eccleſiæ me fa-

me facturum, si hunc unum modò fructum laboris istius mei percipere potuero, ut à Cardinale impetrem, ne sinistrè deinceps agat in citandis Patribus, nec eorum dicta contra ipsorum mentem sensumve contorqueat. *Gregoriana* enim hæc epistola scripta est ad *Ioannem Panormitanum* in *Sicilia* Episcopum; cui concessit usum pallii iis temporibus, eoque ordine gestandi, quo *Siculi* sacerdotes & antecessores ejus uti erant soliti, simulque cautionem hanc interponit; *Ne Apostolicæ sedis reverentia ullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nullâ pulsetur injuriâ, & Canonum maneat incolumis atq; intemerata semper auctoritas.*

Iam verba ipsa expendamus: Scripta hæc epistola fuit ad Episcopum quendam, eoque fine scripta, ut pallii usum ei indulgeret, quod inter Ceremonialia est, atque *Adiaphora*. Pontifici Romano gratum fuit, ut videtur, quòd pallium gestare non auderet, nisi veniâ à sede Apostolicâ priùs impetratâ. Denique cautionem interserit eam, quam illa verba complectuntur, quæ ex *Gregorio* Cardinalis citavit. Quam quidem doctrinam tam longè abest nos ut oppugnemus, ut amemus probemusque vel maximè. Omnes enim ceremonias quas Christianus Magistratus & Ecclesia præscribunt ordinis causâ, inviolabiliter servandas esse censemus: omninoque ubi in rebus ejus naturæ & generis ipsi capiti & gubernatori non paretur, fieri non potest, quin ad Tartaream confusionem præcipiti cursu membra ruant. Sed quòd *Gregorius* illo vocabulo *Capitis Fidei*, caput se nostræ Fidei, aut religionis prædicaverit, consistere nullo modo potest cum reliquâ ejus doctrinâ atque scriptis. Primùm enim cùm alius *universalis Episcopi* titulum invaderet, *Gregorius* dicere non dubitavit, *Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit:* qui tamen titulus longè infra eum est, quo quis *Caput Fidei* nominatur.

Porrò cùm offerretur idem ipsi *Pontifici Romano*, *Gregorii* hæc sunt verba repudiantis oblatum, ac detestantis: *Nullus unquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit; Nullus eorum* (Romanorum Pontificum) *unquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec uti consensit. Nos* (Pontifices Romani) *hujus vocabuli gloriam oblatam non quærimus.* Et, quæso, qui nomē universalis Episcopi repudiabat, hic Caput fidei sese vocari æquo animo laturus erat? Nisi fortè eo sensu quem jam exposui; quem si ille sensum pertinaciter rejiciat, dabit mihi veniam ut id de uno nunc *Gregorio* dicam, quod ille de *Nicol. Lyrano*, *Minùs cautè locutus est*: vel quod alibi de *Chrysostomo*, *locutus est per excessum*. Igitur ut Apostolum nostrum è manibus ipsius eripiamus, ad nosque revocemus, ut noster porrò sit in hac causâ, non illius: est hoc quidem verum quod dicit hoc loco, sed eo tamen sensu quo dicit; Cùm disturbare, aut imminuere, aut abolere molimini jus auctoritatemque Ecclesiæ, quæ penes Regem residet intra suas ditiones atque fines, caput ejus abscinditis, summoque gubernatori injuriam facitis, & totius corporis compagem ac membra dissoluitis. Atq; ut hoc sic finiamus, petimus ab eo, ut ita existimet, nos eam opinionem de Apostolo nostro *Gregorio* imbibisse, ut haud aliud Papæ & Cardinalibus suggeri salubrius nunc optemus, quàm quod Apostolus noster Sanctus *Gregorius* *Sabinianum* quondam rogavit, ut Imperatori suggeret, totique Ecclesiæ, quæ istic fuit. Verba ejus hæc sunt; *Vnum est quod breviter suggeras Serenissimis Dominis vestris, quia si ego servus eorum in morte Longobardorum me miscère voluissem hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet; atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscère formido.*

Atque ita cùm loco ex S. *Greg.* allato responderim, venio ad alium Pontificem quendam, Apostol. ejus, Sanctum *Leonem*. Ac quo magis intelligat me non

more

niore sophistarum contentionis caussâ, sed studio duntaxat investigandæ veritatis, de prioribus citationibus ejus, litem ei intendisse; fatebor hæc testimonia quæ ex *Leone* desumpsit, cuncta verissimè recitata esse, ac nec in verbis usquam erratum, nec à sensu auctoris scopoque deflexum. Sed tamen concedat mihi oportet, ut hoc unum addam (verè an secus, conscientiam ejus imploro arbitram) quod *Cicero* olim de *Hortensio* dixit eloquentiam immodicè laudante, *Eum Eloquentiam in cœlum laudibus extulisse, ut ipse cum ea simul ascenderet:* id in *Leonem* jure quadrare, qui laudibus usque ad astra Sanctum *Petrum* extulit, ut cum eo ascendente, ipse pariter *Petri hæres* ascenderet. Fuit enim Sanctus *Leo* orator egregius, & eloquentiæ suæ viribus *Romam* bis servaverat, semel ab *Attila*, iterum à *Genserici* incendiis.

Aspersit item nonnullis eloquentiæ suæ flosculis etiam Sanctum *Petrum*, de quo alicubi ait ad hunc modum: *Petrum assumpsit Dominus in consortium individuæ Unitatis.* Quæ verba cùm finitima sint ei sententiæ quam Cardinalis ipse citavit, quòd *exors sit mysterii divini, quisquis ausus est à* Petri *soliditate recedere*; eum certè absterrere debuissent, quo minus ea quæ proximè præcedunt verba, tanquam Ecclesiæ, ejúsque Capiti honorifica recenseret, cùm quæ immediatè post insequuntur tam manifestò derogent Majestati Divinæ. Ac rursus: *Scripta humilitatis nostræ* (inquit) *auctoritate & merito Domini mei Beatissimi* Petri *Apostoli roborata sunt.* Rursus; *Obtestamur, ut ea quæ à nobis Deo inspirante, & Beatissimo* Petro *Apostolo decreta sunt, servetis.* Porrò; *Si quid à nobis rectè agitur rectéq; discernitur, si quid quotidianis supplicationibus à misericordia Dei obtinetur, illius est operum atque meritorum, cujus in Sede sua vivit potestas, excellit auctoritas.* Et, Petrus *Apostolus ab ipso omnium Charismatum fonte, tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut cùm multa solus acceperit, nihil in quenquam sine illius participatione transierit.* Denique adeò studiosus, ne dicam ambitiosus fuit, in extollendo amplificandoque Sancto *Petro*, ut sua mandata *Sancti* Petri *mandata esse*, & quicquid ipso præsente gerebatur, *Petro præsente geri* diceret. Neque verò incassùm ei cecidit hæc omnis eloquentia quâ usus est. Contendebat enim id temporis cum eo de primatu Patriarcha *Constantinopolitanus*; Et in Concilio *Chalcedonensi* Episcopi sexcenti & plures, æqualem auctoritatem illius sedis Patriarchæ asscripserunt; nec prærogativam *Romanæ* sedis supra *Constantinopolitanam* ullo modo admiserunt; sed contra *Leonem* decretis suis suffragiisque pugnârunt. Et tamen qui tantum *Petro* detulit, nihil *Cæsari* ademit, sed & honoris vocabula, & auctoritatis privilegia ei cuncta attribuit, potestatemque ejus agnovit Concilii convocandi arbitratu suo: ut hæc pauca è multis quæ subjiciam loca manifestò arguunt atque evincunt. *Si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra* Italiam *habere jubeatis Episcopale Concilium.* Itemque scribens ad Episcopum *Constantinopolitanum* sic habet; *Quia clementissimus Imperator pro Ecclesiæ pace sollicitus, Synodum voluit congregari, quamvis appareat rem de quâ agitur, nequaquam Synodi indigere tractatu.* Rursus; *Quamvis ad diem Concilii Episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me nulla ratio permittat.* Adeò scilicet hinc planum esse potest, qui *Petro* tam prolixè omnia tribuit, *Cæsari* tamen nihil invidisse, neque juris, neque prærogativæ suæ. Sed Cardinalis parum candidè agit in eo, quòd dum hæc omnia profert testimonia atque exempla, eáque satis perperám flexa & detorta; tamen testes haut alios in medium producit, quàm Pontifices ipsos, de quorum caussâ agitur: quasi Papali suffragio Papalis auctoritas satis validè confirmaretur.

Unum verò verum, quod ab eo ponitur in mediâ quasi turbâ exemplorum, non sanè possum quin vehementer collaudem. Id autem hoc est: Omne genus supplicii; ipsamque adeò mortem Martyres tolerare oportere, potius quam ut unam syllabam divinæ Legis corrumpi sinant. Ad quam amussim si

ipsi se

ipse se exigeret, & reliqui ejusdem fidei cum illo professores sese componerent; nec *Eucharistia* jam administraretur *sub unâ specie* contra evidentissimam Christi institutionem, contra praxin Apostolorum, usumque totius primitivæ Ecclesiæ; nec verò *Missæ privatæ* successissent in locum *Cœnæ Dominicæ*; nec verba *Canonis Missæ*, verbis opponerentur S S. *Lucæ* & *Pauli*: in quo habemus adversarium nostrum confitentem reum, & omninò negantem ea posse inter se conciliari: denique nec tanta humanarum traditionum in Ecclesiis eorum multitudo regnaret, quibus non solùm par honos ac Dei Verbo, verùm etiam multò major habetur. Sed hac unâ in re vereor ne non satis assequar ejus sensum: neque enim (credo) per *divina dogmata* sua Verbum Dei cœlestis intelligit, sed tantùm Canones legesque *Domini ac Dei sui Papæ*: alioqui nec de *Primatu* suo *Sedis Apostolicæ* tantoperè laboraret, cùm tam debili fundamento nitatur in verbo Dei.

Quòd autem metuit tantoperè, ne aut *inopinata comprehensio, aut persecutionis acerbitas aut senectutis imbecillitas*, aut alia quævis hujus generis difficultas, caussa lapsus Archi-presbytero esse potuerit; dixi equidem de hoc jam antea satis, demonstrauique id quod res est, & quod ne *Blackuellus* quidem ipse, sat scio, negaverit, qui adhuc vivit neque minis, neque precibus eum inductum, sed sponte suâ atque arbitrio illud Iuramentum liberrimè suscepisse.

Iam verò inter reliquos quos citat auctores, nullo modo obliviscendum sibi esse putavit Sancti *Sanderi*, ejusque *Visibilis Monarchiæ*, quem ego hominem cum factis nonnullis suis leviter paulò antè perstrinxi: omninoque quisquis simplice & oculo & animo ejus libros evoluerit, jure existimârit benè eum de Ecclesiâ suâ Anglo-Romanâ meruisse: sed tamen iidem homines non possunt non putare prorsus eum malè de Reginâ suâ Anglicanâ, universoque Angliæ regno meritum esse. Cui meæ de *Sandero* sententiæ testimonio sunt ipsius libri. Ex quibus excerpsi paucas hasce sententias quæ sequuntur, tanquam flosculos ex odorifero illo serto selectos.

Elizabetha Regina officium sacerdotale in Anglia exercet docendi atque evangelizandi non minori cum auctoritate, quàm Christus *ipse, aut* Moyses *unquam fecerunt.*

Fœmina Primatus in rebus Ecclesiasticis non aliunde est, quàm à Diabolo.

Porrò de Regibus omnibus sic generatim pronunciat; *Rex qui Pontificiis auctoritati se subjicere recusabit, nullo modo tolerandus est; sed omnem operam subditi dare debent, ut alius in ejus locum quàm primùm surrogetur.*

Et, *Regem hæreticum à regno quod in Christianos obtinet, removere oportet, Episcoposq; omni ratione providere, ut alius quàm primùm in ejus locum succedat.*

Et, *Meritò asserimus quoscunq; Reges Christianos, in iis quæ ad Fidei negotia pertinent, ita Episcopis & Presbyteris subesse, ut cùm in religionem Christianam post unam & alteram correptionem pertinaciter delinquentes perseveraverint, ob eam caussam à temporali sua præfectura, quam in Christianos habent, per sententiam Episcoporum deponi & possint, & debeant.*

Et, *Episcopi præsunt regnis temporalibus, si talia regna subjiciunt se fidei Christianæ.*

Et, *Potestas secularis, sive Regia, sive alia qualibet ex hominibus est.*

Et, *Inunctio quæ à sacerdote Regi confertur, declarat eundem sacerdote minorem esse.*

Postremò, *Prorsus contra Christi voluntatem est, ut Reges primatum habeant in Ecclesia.*

Quòd autem pro Coronide sive Epilogo omnium exemplorum, par *Anglicorum* Martyrum suorum sibi recensendum esse ratus est, *Morum* atq; *Roffensem*, qui *pro uno illo gravissimo fidei dogmate*, ut ipse quidem asserit, capite luerunt, quod dogma detrectatione Iuramenti Primatus continetur; admonendus mihi est, non satis eum quibusdam in rebus, iisque permagni momenti, quæ ad

historiam prædictorum ipsius Martyrum attinent, edoctum fuisse. Liquet enim,& nihil est probatu facilius variis ex Archivis, utrumque illorum in carcerem conjectum annum plùs minùs integrum, priusquam alteruter ipsorum in judicium capitis de Primatu Pontificis vocaretur; idque partim quòd tardiores essent ad successionem Regiæ prolis confirmandam, cui jam antea regni Ordines subscripserant; partim quòd eorum alter, nempe *Roffensis*, implicatus eo negotio tenebatur, quod de sancta virgine *Cantiana* illis temporibus fortè inciderat, adeò ut propter celatas Pseudoprophetiæ illius fraudes atque imposturas, reus judicatus sit Maiestatis, ob non detectam conjurationem.

Atque ut hæ præcipuæ fuêre causæ, cur in carcerem dati sint, Rege tum ne minimùm quidem de Primatu suo sollicito, in quem regni Ordines tàm propensos habebat, sed inprimis laborante, ut Sceptrum transmitteret ad prolem ex secundis nuptiis sibi natam: ita facilè perspici potuit, pòst primos in animis eorum gliscentes igniculos offensionis, paulatim eos magis magisque obduratos ad contumaciam contra Regem ejusque auctoritatem fuisse hac occasione; id quod rei exitus comprobavit. Promulgatâ enim legitimâ regis auctoritate in caussis Ecclesiasticis interim, dum ipsi in carcere versarentur, idque; tàm per universum quoddam Cleri decretum in Synodo, quàm per legem Parlamentariam mox inde consecutam; omninò tàm perversè tamque præfractè sese gesserunt in ea caussa, ut sopitam iram Regiam, & tanquam sub cineribus latentem, novâ hac pervicaciâ suâ non parùm redaccenderint atque irritârint. Vocati sunt ergo in judicium, idque tum de hoc *gravissimo fidei dogmate*, ut ille quidem appellat, super primatu Pontificis, tum de Regiis nuptiis, & prolis exinde natæ successione: id quod ex confessione ipsius *Thomæ Mori* plusquàm manifestum est. Cùm enim capitis jam damnatus esset, pro tribunali stans, Judices in hæc verba allocutus est: *Non ignoro, cur me morti adjudicaveritis; videlicet ob id, quòd nunquam voluerim assentiri in negotio matrimonii Regis.* Quæ ipsius confessio id arguit, planumque facit, magnum hunc Martyrem non aliam caussam necis suæ arbitratum, quàm quòd refractarium sese Regi in negotio nuptiarum & successionis præbuisset: quæ meo judicio valdè carnalis caussa martyrii fuit.

Quòd autem ad *Roffensem*, *Mori* scilicet in martyrio collegam, qui juramentum Primatus modificatum & temperatum non tenuisset suscipere; is ut nec solùm, nec præcipuè carceri mandatus est propter caussam Primatus; sic & in martyrio claudicans, & valdè sanè solitarius ac desertus à suis, *pro gravissimo illo* Fidei doctrinæque *Capite*, mortem oppetiit. Tota siquidem *Anglicana* tunc Ecclesia, uno ut sic dicam impetu & torrente diversam ipsi perrexit viam, diversumque sensit de illa caussa; in quibus erant non pauci & judicii maturioris, & eruditionis longè uberioris, quàm *Roffensis*. Itaque meritò hac in caussa mutuabimur à Cardinale pro nostro præsidio id, quo ille se tueri solet, cùm inter alias Ecclesiæ notas, quas commemorat, *Universalitatem* ponit. Habemus enim hoc loco universalem atque Catholicum Ecclesiæ *Anglicanæ* consensum nobis propitium atque faventem, ut apparet ex eo libro, quem tota edidit *Convocatio Anglicana*, *Institutionemq;* inscripsit *hominis Christiani*: ut omittam viros doctos privatim non paucos, qui de eodem argumento eruditissimè disseruêre, *Stephanum Gardinerum* in libro suo *De vera obedientia*; cui libro adjuncta est *Boneri Episcopi Præfatio*: itemque commentarium *De summo & absoluto Regis imperio* publicatum per D. *Bekinsaw*: nec non alterum *De vera differentia Regiæ potestatis & Ecclesiasticæ*: Conciones *Tonstalli*, itemque *Longlandi* Episcoporum; Epistolam etiam *Tonstalli* ad Cardinalem *Polum*, aliaque non pauca, & vernaculè scripta, & Latinè. Quòd nisi asper & impatiens præsentium animus in *Roffensi*, lactatus fuisset ambitiosâ expectatione Cardinalitii galeri, qui quidem, *Caletum* allatus dicitur, quo tempore illi caput amputatū est, antequam petasum impleret;
indu-

inducor equidem conjecturis haud levibus ut credam, non nimis illum constantem futurum Martyrem, nec adeò facilè oppetiturum pro illo uno *gravissimo fidei Dogmate*.

Omninoque, hos duos Duces & Antesignanos ad martyrium, perpauci è popularibus reperti sunt, qui sequerentur. Neque enim insigniorem virum legimus quempiam, sed & de obscuris haud adeò multos, qui sangvine suo *grave illud fidei Dogma* hîc in *Anglia* confirmârunt. Ita, si hinc, vera caussa pœnarum, quas pertulêre consideretur (de qua dixi satis anteà) hinc testium paucitas, qui *Dogma hoc* tàm *grave*, ut Cardinali nostro videtur, eorum exemplum insecuti sangvine suo obsignârunt; haud ita magna gloria ad gentem nostram *Anglicanam* redundare omninò poterit, solis hisce duobus tanquam *Enoch* & *Eliâ* contra Antichristianam nostram doctrinam animosè testificantibus.

Denique illud mihi compertum est ex verbo DEI (quod Verbum certa sit oportet & indubitata amussis omnia explorandi, *graviora* præsertim fidei *dogmata*) ex Verbo, inquam DEI, mihi compertum est & defendi meliùs posse, & defensum semper iri, Regum Primatum munus esse eorum proprium, intra fines suos atque ditiones; quàm ille suam defendet Regum Regiique juris imminutionem cum verbis contemptus & irreverentiæ plenis, quibus in eos utitur, semper quidem satis licenter, sed nominatim & in voluminibus illis prioribus atque majoribus, & in nuper editis suis contra *Venetos* libellis. Sub veteri Testamento Reges haud dubiè gubernatores erant Ecclesiæ intra fines suos: corruptelas purgavêre: abusus sustulêre: arcam ad constitutum quietis locum perduxêre: arcæ deportandæ ipsi præsultavêre. Templum ædificavêre: ædificatum dedicavêre, & suâ præsentiâ opus consecrationis cohonestârunt: librum Legis e tenebris erutum populo recitari fecerunt: fœdus inter DEUM populumque redintegrârunt: confregêre serpentem æneum, quamvis & diserto DEI mandato erectum, & Christum Dominum suo modo figurantem: idola omnia Deosque falsos exterminavêre, reformationes publicas instituêre, convocatis eo fine & congregatis promiscuè sacerdotibus & laicis: exauctoraverunt summum Pontificem, aliumque in ejus locum subrogaverunt. In summa, cuncta moderati sunt, quæ ad Ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinuerunt. Nec verò tituli & notæ, quibus insigniuntur honorariæ, ab his eorum actionibus discordant: vocantur enim *Filii altissimi*, imò verò *Dii*, & *Vncti Domini*, *in DEI solio sedentes*, *Famuli DEI*, imò *Angeli DEI*, *Lumina Israëlis*, *Nutricii Ecclesiæ*, cum innumeris ex eodem genere titulis atque insignibus honorariis, quibus & Vetus ubique scatet Testamentum, & adversarius ignorationem nullam potest obtendere.

Quid in novo Testamento? *Omnis anima iis subjici* jubetur, idque *propter conscientiam. Orandum quidem & pro omnibus, sed præcipuè pro Regibus & in authoritate constitutis, ut sub iis piam & pacatam, honestamq; vitam degamus. Magistratus DEI administer est ad vlciscendos facinorosos, innocentes autem atq; probos remunerandos. Omnibus quidem obtemperandum est superioribus potestatibus, sed potissimùm Principibus, & in eminentia collocatis. Reddite unicuiq; quod suum est, Timorem cui timor, amorem cui amor jure debetur. Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt, DEO quæ DEI sunt. Regnum meum non est hujus mundi. Quis me constituit Judicem super vos? Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Vtrùm autem hæ sententiæ, hi tituli, hæ prærogativæ, cum aliis infinitis ejusdem notæ tum veteri, tum novo Testamento comprehensis, satis magno argumento sint Regibus Christianis, ad Ecclesiam intra fines suos, non minùs quàm reliquum populum gubernandum, ut qui custodes sint utriusque Tabulæ; non quidem novos articulos Fidei condendo (id enim Papæ munus est, ut diximus) sed efficiendo, ut DEI Verbo publicè obtemperetur, Religionem repurgando juxta

divinam voluntatem in Sacris literis patefactam, & temporalem gladium in beneficium spiritualis potestatis distringendo, abolendo corruptelas, Ecclesiasticam auctoritatem sanciendo, quæstiones frivolas, & schismatum licentiam vel componendo, vel coërcendo tollendoque (quod *Constantinus* factitavit) denique *decorum* quoddam tuendo, & leges ac jura præscribendo de *Adiaphoris* rebus omnibus ordinis gratiâ, ad quem solum scopum collimat hoc Juramentum Primatus; utrùm, inquam, hoc officium munusque Regium cum auctoritate consentiat, quam Divinum Verbum iis attribuit, an secus, quivis æquus rerum æstimator judicet. Sed quî possint hæc honorifica officia, insignes tituli, & prærogativæ, quas Deus in Veteri ac Novo Testamento contulit in Reges, cum egregiis elogiis convenire, quæ *Bellarminus* illis tribuit, non video. Cujusmodi sunt hæc:

1. *Reges potiùs servos esse quàm Dominos.*

2. *Quòd non solùm subjecti sint Pontificibus, sed & Episcopis, sed & Presbyteris, atq; adeò etiam Diaconis.*

3. *Quòd Imperatorem non gravatè bibere oporteat non solùm post Episcopum, sed etiam post Presbyterum.*

4. *Quòd Regum auctoritas atq; functio non immediatè ex Deo descendat, neq; ex jure Divino, sed duntaxat ex jure gentium.*

5. *Quòd Pontifices multos quidem Imperatores deposuerint; nemo autem Imperator aliquando Pontificem*: Imò verò *quod Episcopis*, qui mancipia sunt Papæ, *deponere liceat Principes, & eorum leges rescindere.*

6. *Quòd Ecclesiastici homines tam longè supra Principes sint, quàm anima supra corpus.*

7. *Quòd Reges deponi possunt per subditos suos ob multas causas.*

8. *Pontifices nullo modo deponi posse: nemini enim mortalium permissum esse de iis judicare.*

9. *Obedientiam Papæ deberi propter conscientiam.*

10. *Obedientiam autem Regi non alio respectu deberi quàm propter ordinem politicum.*

11. *Quòd ipsi illi homines Ecclesiastici, qui & nati sunt & degunt in Regnis Principum, non tamen sunt eorum subditi, nec ab iis judicari possint; ipsis autem fas sit principes suos judicare.*

12. *Quòd obedientia quam Clerici tribuunt Regibus etiam in minimis mereq; civilibus negotiis, non sit à necessaria aliqua subiectione, sed tantùm ex discretione, & propter observationem boni ordinis atq; moris.*

Has ego Contradictiones & immane quantum discrimen, inter librum Dei & *Bellarmini* volumina inter se contuli, & opposui, ut contrariis juxta se positis, veritas magis elucescat. Porrò illud fidens animi affirmaverim, quòd quicunq; candidè & absque partium studio irreconciliabiles hasce contradictiones, quas modò posui, expendere voluerit; fatebitur haud gravatè, non magis Christum & Belial, lucem & tenebras, cœlum denique & inferos invicem distare, quàm *Bellarminianum* judicium de Majestate Regum, à Divino de iisdem judicio dissidet.


Ad conclusionem verò totius Epistolæ, quæ neruosis tantùm & validis exhortationibus abundat ad persuadendum & confirmandum Archi-presbyterum in proposito patientiæ, constantiæ, ac denique martyrii, si opus fuerit, nihil habeo quod respondeam; nisi duntaxat ut deplorem tam multas sententias, tamque bonas, è sacræ Scripturæ thesauro depromptas, nec malè profectò consutas invicem atque contextas, ad tam vitiosam caussam tamque falsam accommodari. Sed nullum quantumvis speciosum integumentum malam caussam adjuvat; nec unquam res mala lenocinio verborum fit melior. Vnde
jure

jure optimo in eum retorquere possim id, quod de *stratagemate Satanæ* nobis occinit: siquidem aut nullum Satanæ stratagema est, aut hoc primarium, cùm tàm sancta in specie cohortatio ad tàm improbum negotium adhibetur. Id modò vellem, decorum illud hîc studiosiùs servâsset; nec illi duæ tresvè profanæ voces inter tot graves ac sacrosanctas Scripturæ sententias excidissent. Nec enim in tota Scriptura, ac præsertim in novo Testamento, legere me memini de *Pontifice Maximo*. Et hoc sanè Papæ satis esse debet, ex instituto *Numæ Pompilii* usurpare hunc titulum, non ex S. Petri successione, cui nunquam ista Pontificalis dignitas, nec vigilanti nec somnianti venit in mentem.


De *Capite* autem *Fidei*, de quo memini etiam suprà: Apostoli, sat scio, nunquam illius nominis honorem cuiquam nisi Christo tribuerunt. Præstabat igitur omninò ne usurpâsse quidem eos titulos, qui partim in sacra Scriptura nusquam occurrunt, partim eo sensu, quo ab illo accipiuntur soli Christo delati sunt, quàm tàm sanctæ tamque gravi Epistolæ illos inseruisse.

Sed ut huic tandem negotio finis imponatur, æquum & candidum quemque lectorem vehementer obsecro, ut de duobus Brevibus Pontificiis, & de hac Cardinalis Epistola, non ex splendore verborum, sed ex rei pondere naturaque dijudicet: nec adeò quid vehementer objiciatur, quàm quid solidè ac judiciosè probetur, æstimare velit. Bonos autem & fideles meos subditos omnes hortor, ut permaneant cordibus in Veritate fundatis, nec transmarinis istis illecebris, à nativà pietate se abduci sinant. Omnes denique tàm subditos quàm exteros, qui in hanc nostram Apologiam fortè inciderint, ut alieni à studio partium prudenter de veritate sententiam ferant, prout hîc à nobis candidè descripta est, ad discutiendas illas tenebras mendaciorum, ac calumniarum, quæ in me contra jus fasque congestæ indignissimè fuerant: quem solùm finem nobis ista tum scribentibus, tum publicantibus fuisse propositum, ut credat benignus lector, iterum atque iterum cum ex animo rogatum volo.

FINIS.









Sumtibus HENNINGI GROSII Senioris.

L I P S I Æ

Excudebat Laurentius Cober.

Typis Tobiæ Beyeri.

M. DC. XI.